MYSTICA THEOLOGIA

DIVI THOMÆ

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/mysticatheologia0002rpth

MYSTICA THEOLOGIA

DIVI THOMÆ

UTRIUSQUE THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ ET MYSTICÆ

PRINCIPIS

AUCTORE

R. P. THOMA A VALLGORNERA Ord. Præd.

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

EDITIO QUINTA

Curante Fr. J. J. BERTHIER ejusd. Ord.

EXACTA

Tomus II.



TAURINI (ITALIA)

Ex officina " MARIETTI „ anno 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congr. et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

—

MCMXXVII

3527

V. Nihil obstat

Taurini, die 4 Maii 1923.

Can. CAROLUS FRANCO, *Censor Archiep.*

V. Imprimatur:

C. FRANCISCUS DUVINA *Prov. Gen.*

(28-IV-24-5).

THEOLOGIA MYSTICA
DIVI THOMÆ

QUÆSTIO IV.
DE VIA UNITIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PERFECTORUM

DISPUTATIO I.
DE INTIMA UNIONE ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ CUM DEO

ARTICULUS I.
De perfectis in via spirituali.

834. In secundo articulo Quæstionis secundæ vitæ purgativæ adduximus ex D. Thoma diversos status vitæ spiritualis, qui vocantur incipientes, proficientes et perfecti. Quærit D. Thomas, 2 2, q. 184, art. 2, utrum aliquis in hac vita possit esse perfectus, et respondet affirmative. Hoc probat in argumento Sed contra, ex illo Matthæi v: Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est: ergo videtur quod aliquis in hac vita possit esse perfectus. In corpore præsupponit id quod in multis locis dixit, nimirum perfectionem vitæ christianæ in charitate consistere. Hoc probavit multis in locis, præcipue Opusculo XVIII, cap. 1, ex illo Pauli, I. Cor. XIII: Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Beatus etiam Joannes apostolus totam vitam spiritualem in dilectione consistere asserit dicens, I. Joan. III: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non

diligit, manet in morte. Simpliciter ergo in spirituali vita perfectus est, qui est in charitate perfectus. Apostolus etiam, ad Coloss. III, perfectionem principaliter charitati attribuit: enumeratis enim multis virtutibus, scil. misericordia, benignitate et humilitate, etc., iterum subdit: Super omnia autem hæc, charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis. Hoc etiam probavit D. Thomas in expositione Epistolæ ad Philipp. III, lect. 2; et ad Rom. XIII: Plenitudo legis est dilectio. Et I. Tim. I: Finis præcepti est charitas. Et loco allegato 2 2: Potest ergo triplex perfectio considerari. Una quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur quantum diligibilis est. Et talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter et essentialiter invenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum: et talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc quod semper actu feratur in Deum, sed quantum ad hoc quod excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum, sicut Augustinus dicit in lib. LXXXIII Quæst. quod venenum charitatis est cupiditas: perfectio nulla cupiditas. Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Uno modo, inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale. Et sine tali perfectione charitas esse non potest, unde est de necessitate salutis. Alio modo, inquantum ab affectu hominis excluditur non solum illud quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectio charitatis esse potest, puta in incipientibus et proficientibus. Eamdem doctrinam tradit D. Thomas 2 2, q. 24, art. 8, et Quodlib. 1, art. 14, ad 2. Perfectio autem hominis in charitate consistit, quæ hominem Deo conjungit; unde quantum ad dilectionem Dei dicitur Genes. XVII: Ambula coram me, et esto perfectus. Et Quodlib. 3, art. 17: Perfectio spiritualis vitæ ex charitate pen-

sanda est, qua qui caret, spiritualiter nihil est. Amor autem vim transformativam habet, qua amans in amatum quodammodo transfertur; unde Dionysius dicit, cap. 4 De divinis nominibus: Est autem extasim faciens divinus amor, non sinens sui ipsorum amantes esse, sed amatorum. Quia ergo totum et perfectum est idem, ut dicitur III Physicorum, ille perfecte charitatem habet, qui totaliter in Deum per amorem transformatur, se ipsum et sua omnino postponens propter Deum.

835. Justus non dicitur perfectus propter charitatem afficientem, sed propter charitatem efficientem. Justus amicus Dei erga Deum dilectum suum habet et affectum charitatis, quo animam suam affectibus amoris inflammat, et ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad desiderandum ut ei omnes serviant, et divino subjiciantur imperio, et ad ipsius præsentiam suspirandam, et ad alios similes effectus impellit. De qua charitate loquitur Psalmista, Psal. XLI: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? D. Thomas exponens hos versus, dicit: Adaptantur viris perfectis. Vir autem perfectus est sicut cervus in petra stabilitus; Psal. XVII: Qui perficit pedes meos tamquam cervorum. Sitivit anima mea; hic jam comedit, idest destruxit peccatum. Eccli. XXI: Quasi a facie colubri, fuge peccatum. Et ideo nihil habet in mundo quod concupiscat, et ideo desiderat venire ad fontem vitæ. Et cantatur iste Psalmus in exequiis mortuorum, quia convenit viris perfectis accedere ad fontem vitæ æternæ. — " Ita desiderat anima mea ad te, Deus; „ hic adaptat similitudinem. Anima mea desiderat interiori affectu. Isa. XXVI: Anima mea desideravit te in nocte. Thren. III: Pars mea Dominus, dixit anima mea. —Sed numquid in Deo est fons aquarum? Ita; unde dicit: " Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. „ Fons dicitur qui scaturit et producit aquas vivas, et qui jugiter et indeficienter emittit aquas. Omnis aqua gratiarum ab isto fonte emanat, scilicet a Deo Patre. Jerem. II: Dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Item emanat a Filio, etiam inquantum Deus; Psal. XXXV: Apud te est fons vitæ. Fons sapientiæ verbum Dei est; Eccle. I. Item a Spiritu sancto, Joan. IV: Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et Joan. VII: Hoc au-

tem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Ergo quia ipse est fons, anima mea sitivit ad eum. — Sitis designat desiderium cum anxietate. Ita iste designat se pati anxietatem, non solum ex dilatione rei desideratæ, sed propter mala quæ hic affligunt. Matthæi v: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. — Sed de hoc fonte desiderat hoc, scilicet: " quando veniam, „ (hæc verba desiderantis sunt) ut videam te facie ad faciem, quia modo sum procul a te, quia video te per fidem: sed quando videbo te per speciem, tunc ero prope. Hæc ille. Charitas autem efficiens est ipsa virtus charitatis, prout movet ad custodienda mandata, ad amplectenda consilia, et ad divinum beneplacitum exequendum: ita ut supra dulcedinem et teneritatem amoris, operum efficacitatem habeat, et Dei in omnibus (prout in hac vita possibile est) perficiat voluntatem. De qua loquitur Psal. cxviii: Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Ps. xvi: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Et Psal. cxviii: In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. — Charitas affectiva magis ad tempus orationis pertinet; effectiva ad tempus actionis. Justus non dicitur perfectus quia dulcius et tenerius erga Deum afficitur, nec quia in fervore orationis majorem suavitatem aut consolationem percipit: sed quia majori fidelitate et conatu ex charitate mandata universa custodit, purius vivit et accuratius, et in omnibus divinæ se accommodat voluntati.

836. Justus non dicitur perfectus a quacumque gratia efficiente, sed ab illa de qua loquitur D. Thomas 2 2, q. 24, a. 4; qua principaliter incumbit homo ut Deo inhæreat, et eo fruatur, et nihil aliud cupiat nisi dissolvi et esse cum Christo. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. ad Tim. iii: Ut perfectus sit homo Dei (*dicit sic*): Non potest homo esse perfectus, nisi sit homo Dei. Perfectum enim est cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus, quando est instructus, idest paratus ad omne opus bonum, non solum ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis. Bonum autem facientes non deficiamus; Galat. ult. D. Thomas exponens illud Psal. xxxiii: Custodit Dominus omnia ossa eorum, dicit sic: Per ossa viri perfecti intelliguntur, quos Dominus custodiet. Ezech. xxxvii: Hæc dicit Dominus Deus

his ossibus: Ecce ego intromittam spiritum in vos, et vivetis, et dabo super vos carnes. " Unum ex his non conteretur, „ quia in tribulationibus nulla virtus hominis deficit quam Deus custodit. Non enim deficiebat charitas in sanctis per odium, quia pro persequentibus orabant sancti; non mansuetudo per iram, quia non murmur resonat; non patientia per tristitiam: immo in patientia sua possidebant animas suas. Et ideo dicitur de agno paschali: Os non confringetis ex eo. Exod. XII. — Idem Sanctus exponens illud Ps. XLI: Cum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei (*dicit sic*): Ossa Ecclesiæ sunt viri perfecti. Et quandoque per adversarios temporales, quandoque per tentationes affliguntur. Psal. XXI: Dinumeraverunt ossa mea. In quolibet homine quælibet virtus est sicut quoddam os: et si contingat justum cadere, confringitur os ejus. " Exprobraverunt: „ hic agit de causa tristitiæ quam patitur ex verbis injuriosis; unde dicit: " Exprobraverunt mihi, „ scilicet verbis injuriosis. Jerem. XX: Et factus sum in derisum tota die, omnes subsannaverunt me. Et hoc improperium est gravissimum. Tanto quis gravius fert improperium, quanto fit sibi de re de qua gloriatus confidit. Iste autem maxime gloriabatur de Deo: et ideo de hoc opprobrium est sibi gravissimum. Et ideo " inimici mei dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? „ Psal. XI. Hæc ille.

837. Ut perfectio et sanctitas judicetur, non satis est quod charitas animæ vitam tribuat. Multi enim Deo vivunt, et gratiam et charitatem habent, quos morbi animi cruciant, et spirituales dolores exagitant, quia, ut dicit D. Thom. in III, dist. 34, q. 1, art. 4, perfectio virtutis potest tripliciter accipi. Primo, quantum ad speciem virtutis, sicut prudentia quæ dirigit alias virtutes morales; et sapientia quæ dirigit alias intellectuales, et charitas omnes virtutes. Secundo, quantum ad statum perfectionis, ad quam perfectionem virtus pervenit per augmentum. Tertio, quantum ad modum: et tunc solum datur perfectio quantum ad essentiam, non tamen quantum ad statum et modum, de quibus loquimur hic, et sic si lepra invidiæ tabescis, si febri ambitionis ardes, si paralysi inobedientiæ dissolveris, si phrenesi iræ et indignationis ligaris, si hydrope cupiditatis inflaris, si furore superbiæ teneris, vivus fortassis eris, sed non sanus; tepidus eris et vitiosus, non vir sanctus atque perfectus.

Licet enim hæc aliquando non usque adeo procedant ut lethalia peccata sint, et animam mortis gladio confodiant, semper tamen sunt animi morbi, quibus qui subjacet non perfectus est, sed dolore cruciatibusque detentus. Illa igitur charitas perfecta judicanda est, quæ supra vitam, sanitatem etiam animæ et incolumitatem impertit: illa scilicet quæ sensus animæ vegetos et recte dispositos secum efferat: visum, qui attente res spirituales aspiciat; auditum, qui vocem Domini audiat; odoratum, cui aliorum fervor et virtutis cura bene oleat; gustum, cui propter Deum amara dulcescant; et tactum, qui crucem amplectatur, et labores patienter teneat. Quod dixit D. Thomas illis verbis secundum statum et secundum modum.

838. Illa charitas perfecta est quæ membra spiritualia, hoc est potentias mentis nostræ ad bene agendum, et opera virtutis præstanda consolidat; quæ humores, idest affectus amoris et odii, et cæteros temperet; quæ vires, nimirum virtutes, humilitatem, castitatem, mansuetudinem et reliquas ad operandum corroboret, et omnibus impedimentis, sive internis, sive externis absolvat; quæ cibum, vel potum mortificationis appetat, dicens cum Propheta: Et cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam, Ps. CI; ut somnum orationis et contemplationis concupiscat, eumque placide et quiete, et sine insomniorum phantasiis, idest sine distractione cogitationum accipiat; quæ tandem decorum ac jucundum oculis colorem habeat, nempe bonum ab omnibus testimonium.

839. Sed numquid charitas ad hoc usque progressa, jam est omnino perfecta? Nequaquam, nisi in his omnibus constans atque stabilis perseveret. Non quia perfecta charitas in hac vita non possit deficere, quod verum non est: nam et perfecti possunt cadere (ut cecidit David, et cecidit Petrus), et charitatem perdere, et perfectionem amittere; quibus etiam dicit Paulus, I. Corinth. X: Qui stat, videat ne cadat: quod exponit D. Thomas ad propositum: Qui existimat aliqua conjecturatione se stare, idest quod sit in gratia et charitate; videat diligenti attentione ne cadat peccando, vel alios faciendo peccare. Isaiæ XIV: Quomodo cecidisti, Lucifer? Psal. XC: Cadent a latere tuo mille: — sed quia ut sanctitas sit, debet stabilitatem virtutis propriam comparare. Sunt enim nonnulli ad breve tempus sensibili quadam devotione perfusi, et cœlestibus con-

solationibus inebriati, qui quamdiu sobria et sancta ebrietas consolationis durat, facile mundana contemnunt, se ipsos, et sua vitia, et passiones prosternunt; et disciplinæ religiosæ se ac legibus divinis accommodant: sed si vinum deficiat, si consolatio evanescat, statim turbantur, humanas consolationes repetunt, et ad pristina vitia et vana desideria revertuntur. An istos perfectos vocabimus, quos non charitatis magnitudo, sed devotionis admiratio continebat? Nullo modo, quia eorum rectitudo, non ex habitu, sed ex quodam extrinseco auxilio ac favore processit. Quemadmodum enim homo gibbosus potest ad breve tempus se ipsum erigere, et rectus apparere: non tamen ideo rectus est, quia gibbum habet, quem diligentia et conatu abscondit: ita homo pravis affectionibus ac vitiis corruptus, magnitudine alicujus devotionis sopitus, potest sanctus ac perfectus videri, qui tamen perfectus non est. Sunt ergo perfecti qui magnam charitatem habent, proprios affectus domantem, vitia destruentem, et ad puram atque illibatam vitam secundum cujusque statum impellentem. Qui sive læti sint, sive tristes, sive consolati, sive desolati, sive oleo devotionis inuncti, aut laboribus desolationibusque afflicti, mundana horrent, se ipsos deserunt, strenue mandata et consilia custodiunt, mentis puritatem avidissime consectantur, et Deum super omnia concupiscunt. Hæc charitas est sanitas et perfectio animæ, quæ vitam spiritualem communicat, actiones hujus vitæ proprias optime præstat, et in sinistris eventibus robur et stabilitatem impertit. — *Adde Append.*, nn. 300-310.

ARTICULUS II.

Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione Dei.

840. Jam stabilitum est perfectionem vitæ spiritualis consistere in charitate. In charitate sunt duo præcepta: quorum unum pertinet ad dilectionem Dei, aliud autem ad dilectionem proximi. Quæ quidem duo præcepta ordinem ad invicem habent, secundum ordinem charitatis: nam id quod principaliter charitate diligendum est, est summum bonum, quod nos beatos efficit, scilicet Deus; secundario vero diligendus ex charitate est proximus, qui nobis quodam socialis vitæ jure conjungitur in beatitudinis perceptione vel participatione:

unde hoc est quod in proximo ex charitate debemus diligere, ut simul ad beatitudinem perveniamus. Hunc autem ordinem præceptorum charitatis Dominus in Evangelio Matthæi, cap. XXII, ostendit dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc D. Thomas, Opusc. XVIII, c. 2. — In isto articulo solum explicabimus quid sit diligere Deum ex toto corde, etc., quia Deut. VI dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omni mente tua, etc.: ut cor referatur ad intentionem, mens autem ad cognitionem, anima vero ad affectum, fortitudo ad executionem. Hæc omnia in Dei dilectione sunt examinanda.

I. Ex toto corde.

841. D. Thomas, Opusc. LXI, c. 19, explicat quid sit diligere Deum ex toto corde. Corde, ore et opere contingit mereri et demereri: sed inter hæc primum est cor, quod influit super alia in malo et in bono. Matth. XV: De corde exeunt cogitationes malæ. Matth. XII: Bonus homo de bono thesauro suo profert bona. — Ex corde jubemur diligere, ut ordo influentiæ ostendatur. Sine opere etenim sermo non diligit; I. Joan. III: Charissimi, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Psal. LXXVII: Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei. Sine amore autem cordis cassa sunt verba et opera. I. Corinth. XIII: Si linguis hominum loquar, etc. Et si distribuero, etc. Natura autem humani cordis cognata est actioni dilectionis, ut patet ex proprietatibus ejus. Est enim cor in complexione calidum et siccum: hæc est ignea natura; sicut naturale igni calere est, ita naturale est cordi amando ardere. Hugo. Vita cordis amor est, et ideo impossibile est ut sine amore sit cor, quod vivere quærit. Psal. XXXVIII: Concaluit cor meum intra me, etc. Calidum consequitur leve, et sursum mobile, sed heu! filii hominum, usquequo gravi corde? Graves nimirum, quia frigidi! Matth. XXIV: Quoniam superabundavit iniquitas. — Item secundo est cor in substantia solidum, ne facile a voluptate dissolvatur, qua contra Judith cor Holofernis concussum est. — Item tertio quoad formam inferius

acutum, superius latum: inferius acutum, ut ad corporalia hic et inferiora modice attingat; superius latum, ut ad cœlestia dilatet affectum. Isa. LX: Mirabitur, et dilatabitur cor tuum. — Item quarto interius concavum, in signum quod per creaturas sufficienter impleri non valet. Bernardus: Capacem quippe Dei rationalem animam quidquid Deo minus est, non implebit. — Item duplici motu movetur continue, scilicet constrictionis, quo expelluntur fumositates superfluæ; et dilatationis, quo attrahitur aer ad mitigationem nimii caloris innati. Ex corde ergo amat, qui prudenter discernens expellit superflua et impedientia, et attrahit necessaria ad amandum adjuvantia. Augustinus: Prudentia est amor, ea quibus adjuvatur ab his quibus impeditur, prudenter secernens. Cor ergo, quod est secundum Philosophum originale domicilium vitæ, naturali excitatur præcepto, ut suo modo cooperetur ad eliciendum actum vitæ gratuitæ. I. Joan. III: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quasi diceret: Qui non diligit, manet in morte. Est enim secundum Aristotelem primum organum sentiendi: et ideo congrue primi mandati actio ab ipso et per ipsum debet sensibilis fieri. — Sed nota: " Diliges Deum ex toto corde tuo, „ non dimidio. Divisio cordis causat mortem. Oseæ X: Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Hæc ille.

842. D. Thomas, Opusc. LXIII, c. 2, secundum principale dilectionis, exponit hac ratione: Quid sit diligere Deum ex toto corde, nisi ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis inclinatum sit quam Dei; nec delecteris in specie amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, non in amicis, etc., sed præ his omnibus Deum ames? Si autem in aliquo horum occupatus fuerit amor cordis tui, jam non ex toto corde Deum amas. Pro quanta enim parte fuerit cor tuum ad aliquam rem, pro tanta parte minus est ad Deum. Idem sanctus super Matth. XXII, explicans eadem verba, dicit: Qui ergo diligit Deum ut finem, diligit in toto corde. Joel. II: Convertimini ad me in toto corde vestro. Et quantumcumque nitamini, non poteritis eum comprehendere, quia Deus est major toto corde. Opusc. IV, sic explicat idem sanctus (τὸ): Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Ut diligamus Deum ex toto corde, debemus auferre cor nostrum a rebus mundanis et terrenis. Magnam ergo injuriam Deo facit qui aliquid ei adæquat.

Isaiæ XL: Cui similem fecistis Deum? Tunc autem alia Deo adæquamus quando res temporales et corruptibiles simul cum Deo diligimus: sed hoc est omnino impossibile. Propterea dicitur Isaiæ XXVIII: Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest. Ubi cor hominis assimilatur strato arcto et pallio brevi. Cor enim humanum arctum est in respectu ad Deum. Unde quando alia ab eo in corde tuo recipis, ipsum expellis. Ipse enim non patitur consortem in anima, sicut nec vir in uxore. Et ideo dicit ipse, Exodi XX: Ego sum Deus tuus Zelotes. — Per cor intelligitur intentio. Est autem intentio tantæ virtutis, quod omnia opera ad se trahit, unde quæcumque bona mala intentione facta in mala convertuntur. Lucæ XI: Si oculus tuus, idest intentio, nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit, idest congeries bonorum operum tuorum tenebrosa erit. Et propterea in omni opere nostro intentio ponenda est in Deo. Apost. I. Corinth. X: Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

II. Ex tota anima.

843. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 20: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima. Oportet ergo nosse quid sit anima. Aristoteles: Anima est actus primus corporis organici, idest forma completiva, et perfectio dans corpori esse et vitam. Est autem duplex esse, naturale et morale: et cum vivere viventibus sit esse, secundum Aristotelem, similiter duplex erit vita, scilicet naturalis et moralis. Primum esse et primam vitam habet corpus ab anima tamquam a sua forma substantiali et completiva; secundum esse et secundam vitam habet anima a Deo summa et prima forma, et sui effective completiva. Est ergo quodammodo Deus anima animæ, si loqui licet improprie. Considera ergo te, o anima, secundum quod es anima, idest inquantum habes corpus animare, et cogeris ex hoc animam tuam, idest Deum, amare. — Vide tres status tui corporis, animandi, animati, exanimis: scilicet status in fieri, in esse, post esse. In animando tria sunt, potentia susceptiva animæ, naturalis appetitus ad habendum, virtus dispositiva organizans embryonem et disponens tandem ad suscipiendum. Completa ergo

dispositione animatur corpus, et sequitur esse post fieri, et status secundus, in quo anima adveniens corpori ut forma materiæ, et ut perfectio perfectibili, dat ei tria, vivere, sentire, moveri : moveri non tantum secundum locum et situm, sed etiam secundum operationem, et nutrimentum et augmentum. Cæterum si ex aliqua causa, vel corrumpantur organa necessaria, vel solvatur harmonia in medio unionis, solvitur unio et separatur anima, exanimatur corpus : et est status tertius in quo corpus deterioris conditionis efficitur quam si esset nondum animatum, amittens irrecuperabiliter in via naturæ tria prædicta, scilicet motum, sensum et vitam. Et quod in primo statu tendebat naturaliter ad esse completivum, continua dispositione, relabitur nunc ad non esse continua corruptione.

844. O anima mea, qualis es ad corpus, talis quodammodo ad te Deus tuus. Ab ipso habes in primo statu tria. Primo, potentiam susceptivam, quia sui capax es, et ab ipso solo perfectibilis es. — Habes et naturalem appetitum, quoniam omne incompletum appetit suum complementum, et omne imperfectum perfectibile appetit suam perfectionem, omnis materia suam formam. — Habes et virtutem dispositivam, scil. potentias naturales. Fac ergo animæ tuæ habendæ quod facit corpus suæ. Sicut per virtutem dispositivam continue sine interpolatione se disponit, ut suscipiat te suam vitam, sic tu per naturales potentias ad vitam tuam te dispone. Quod si feceris, cum sufficienter te disposueris, animaberis, perficieris, compleberis. Augustinus: Anima media est inter Deum et creaturas posita : conversione ad Deum illuminatur, melioratur, et perficitur ; conversione ad creaturas, obtenebratur, deterioratur, corrumpitur. — Eris ergo, anima, in statu secundo habens a Deo tuo tria quæ das corpori tuo : vitam, sensum et motum moralem. Et quandocumque corpus te vult abjicere, tunc liceat tibi et vitam tuam, scil. Deum, abjicere. Quod si hoc est impossibile, fac vitæ animæ tuæ, scilicet Deo, quod corpus suæ. Appete continuare conjunctionem, horre præ omnibus separationem. I. Joan. IV: Deus charitas est, etc. — Cæterum si solutum fuerit, quod absit! medium unionis, spiritualis harmoniæ temperantia, scilicet charitas et gratia, non abjicit te, sed abjicitur a te anima tua : et tunc sequitur status tertius miserabilis

prorsus et longe deterior quam primus, in quo vita, et sensu et motu debito careas, et de die in diem corruptione crescente vilior fias. Solvitur hic medium uniens extrema, et contemperans charitas et gratia, cum prædominatur morbida et distemperans concupiscentia: quæ cum ex conversione ad sensibilia nata sit in anima, ex eisdem nutritur et augmentatur, donec tandem charitati prædominetur: et sic per ipsam anima corrumpitur. Augustinus: Anima media inter Deum et creaturas posita, etc. Miraculum est si redeat anima ad corpus quod ipsa deseruit, mirabiliusque ad animam quæ ipsum deseruit redit Deus: mirabilius quidem si esset rarius, sed nunc propter frequentiam mirabile desiit esse. Quæ nimirum frequentia probat quam paratior est Deus uniri animæ qua penitus non indiget, quam anima corpori quo multipliciter eget. Taliter igitur ex anima Deus diligitur. Bernardus: Valde mihi amandus es, Domine, per quem sum, vivo, et sapio; quasi diceret anima: Valde a corpore amor, quod habet ista a me; valde ergo mihi amandus es, Domine, cum habeam ista potiora a te. Hæc ille.

845. D. Thomas, Opusc. LXIII, exponit quid sit diligere Deum ex tota anima, idest memoria sine oblivione; et aliter: certissimum habere animum in veritate, et firmum esse in fide; et 2 2, q. 44, art. 5, quod exterior actus noster obediat Deo; et in expositione Matthæi, c. XXII: Ex tota anima, ita ut sis paratus animam tuam ponere pro eo, si necesse est; Joan. XIII: Animam meam ponam pro te. — D. Thomas, Opusc. IV, aliter explicat quid sit Deum diligere ex tota anima: Per animam significatur bona voluntas. Frequenter enim aliquis bona intentione operatur, sed inutiliter, cum bona voluntas desit: ut si quis furetur, ut pascat pauperem, est quidem recta intentio, sed deest rectitudo debitæ voluntatis, unde nullum malum bona intentione factum excusatur. Rom. III: Qui dicunt: Faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio justa est. Tunc autem adest bona voluntas intentioni, quando ipsa voluntas voluntati divinæ concordat, quod quotidie postulamus dicentes: Fiat voluntas tua, etc. Ps. XXXIX: Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. Et propter hoc dicit: " In tota anima. „ Anima enim in Scriptura frequenter pro voluntate accipitur. Ad Hebr. X: Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ, idest voluntati meæ. Hæc ille.

III. Ex tota mente.

846. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 21: Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente, vel intellectu. Substantia illa, quæ inquantum alligatur corpori quod animat, anima dicitur, secundum se ratione absolutionis (quia separabilis est, et separata manet, ut angelus) spiritus vocatur; qui spiritus a Theologis mens, a Philosophis intellectus vocatur. Aristoteles enim vocat spiritum angelicum intelligentiam, in libro De causis, ut ibi: Omnis intelligentia est plena formis; spiritum humanum intellectum, in libro De animalibus, ut ibi: Solus intellectus est ab extrinseco; quandoque etiam intellectus nominat potentiam ejusdem substantiæ. Similiter mens quandoque est nomen potentiæ; quandoque autem substantiæ, ut ibi: Renovamini spiritu mentis vestræ. Glossa: Spiritu, qui est mens: Ita nunc sumimus. Ex hac ergo substantia jubemur diligere Deum, quoniam in quantum spiritus est, primo proprie diligere Deum potest. Hæc enim divinæ imago substantiæ substantia est, aut substantiæ divinæ imago simplex, invisibilis et incorruptibilis, et ideo valde nobilis, omne sensibile et omne corruptibile nobilitate et naturali bonitate transcendens, et ipsam solummodo summum bonum et simplex invisibile et immutabile complere et perficere potest. Hoc igitur ei solummodo propter se absolute amandum et desiderandum est. Nam uniuscujusque (*est*) desiderare quod melius est. Noli ergo, o homo, noli fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; Psal. XXXI: et ideo involvuntur sensibilibus. Aristoteles: Non habenti intellectum omnino insatiabilis est appetitus delectabilis: sed attende nobilitatem intellectualis substantiæ, et contemne sensibilia, et intellectuali bono intende, clamans cum Propheta, Psal. XV: Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Hæc ille.

847. D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 2, explicans dictum: Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente, dicit: Voluntate sine contradictione; vel aliter: ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, sapientia, cognitio, memoria. Qui ergo aliquid horum occupat circa temporalia, jam non ex tota mente diligit Deum. Hoc etiam impossibile est hic implere. — In expositione Mat-

thæi XXII: Ex tota mente (*ait*): Ut tota scientia referatur ad eum, idest ut scientiam captives in obsequium ejus. II. Corinth. X: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Hæc ille.

IV. Ex totis viribus.

848. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 22: Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis. Sunt autem tres virium differentiæ in homine, scilicet rationales, sensibiles et vegetabiles. — Rationales sunt propriæ hominis. Hæ dividuntur in intellectum et affectum, vel aliter in voluntatem, memoriam et intelligentiam. Voluntas, vel affectus, summum est in anima, et Deo simillimum, et proximum et immediatum. In hac enim libertas, quæ cogi non potest, imperium super alias vires omnes habet. Hæc subjectum charitatis est, et ideo hujus est diligere primo, et per se. Voluntate ergo Deum diligis dilectione concupiscentiæ, cum ipsum vis. Isaiæ XXVI: Anima mea desideravit te in nocte. Hæc est bona voluntas, imo optima quæ vult summum bonum. Lucæ II: In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pax eis, quia nemo diminuit quod volunt. — Item dilectione amicitiæ, cum voluntatem tuam suæ conformas: quia amicorum est idem velle et nolle. Hæc est recta voluntas. Matth. c. XII: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est. — Voluntas et affectus sunt idem in re. Motus autem affectus affectio est. Hæc quadruplex est, scil. spes vel concupiscentia, gaudium, timor et dolor. Istorum autem omnium radix est amor. Igitur si diligis Deum ex affectu dilectione concupiscentiæ, primo concupiscis et speras, ut habeas. Psal. LXXXIII: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Sed quantum concupiscis, tantum secundo gaudes cum habueris. Joan. III: Amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet. Ad Galat. V: Fructus spiritus gaudium et pax. — Item dilectione amicitiæ, si diligis Deum affectu, (*primo*) concupiscis et vis et appetis ei bonum, scil. gloriam et honorem, et similia: et magis quam tibi, cum diligas eum plus quam te. Psal. CXIII: Non nobis, Domine, non nobis. Secundo quantum appetis, tantum gaudes

Philipp. I: Sive per veritatem Christus, sive per occasionem annuntietur, in hoc gaudeo: sed et gaudebo. Tertio quantum gaudes, tantum times. Quarto doles tantum, si vadit in contrarium: hic est zelus. Ezechiel. IX: Signa Tau super frontes virorum gementium et dolentium.

849. Vis intellectiva dividitur in memoriam et intelligentiam; quæ vis affectui et voluntati immediate deservit et supponitur. Unde et actus ejus præcedit voluntatis actum, ut Joannes Christum, Præcursor Dominum. In hac ergo et in omnibus inferioribus viribus est dilectio et charitas ut in signo, non ut in subjecto; et motus earum sunt charitatis imperativæ, non elicitivæ. Igitur penes intellectum est vis inquirens incognita, scilicet ingenium; intelligens inquisita, hæc (*est*) proprie intelligentia: sed vis qua conservamus intellecta, hæc est memoria. Si igitur charitas sit in voluntate, et Deum diligas ex affectu, diligas et intellectu dilectione concupiscentiæ, (*primo*) ut inquiras voluntati et affectui ingenio tuo illud summum bonum quid sit, quomodo et per quæ haberi potest, et si plura, per quæ facilius. Facilius enim orando quam legendo. Boetius: Quid nunc agendum censes, ut illius summi boni sedem invenire mereamur? Invocandum, inquit, omnium rerum Patrem, sine quo nullum rite fundatur principium. Item, si amitti potest, quomodo conservari oportet? Ps. XXXIII: Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Anselmus: Excita nunc, anima mea, totum intellectum tuum, et cogita, quantum potes, quale et quantum sit illud bonum. — Secundo, ut inquisitum bonum intelligas. — Tertio, intellectum in memoria conserves, ut voluntas inveniat cui affici velit. Psal. CXLIV: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Item, dilectione amicitiæ dilige ex intellectu, ut amicum inquiras ingenio, si absens est. Cant. III: In lectulo meo per noctem quæsivi. Augustinus: Quærite quod petitis: sed ibi non est ubi quæritis; beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Item ut inquisitum intelligas. Joan. III: Amicus sponsi stat, et audit. Item intellectum in memoria reponas. Eccli. XXXVII: Ne obliviscaris amici tui in animo tuo, nec immemor, etc.

850. Vis sensibilis dividitur in apprehensivam et motivam. Apprehensiva duplex: exterior quæ in quinque sensibus; interior, scilicet imaginatio, et sensus communis. Diliges ergo ex sensibili

in actibus sensuum exteriorum dupliciter, scilicet cohibendo visum ne videat non videnda, jubendo ut videat videnda. Ex auditu similiter dupliciter, et ex odoratu, gustu et tactu. Item, in actu sensus interioris dupliciter: cohibendo imaginationem ne imaginetur non imaginanda, et præcipiendo ut imaginetur imaginanda. — Si vis scire quæ sunt sentienda, quæ non, nota regulam: Sensus est propter intellectum, intellectus propter affectum, qui est charitatis subjectum, immediate se habens ad summum bonum et finem ultimum. Sicut igitur ordinatur potentia ad potentiam, sic actus ad actum, objectum ad objectum. Nihil ergo sensus debet recipere quod, per intellectum receptum, affectum ab objecto suo, scilicet summo bono, possit avertere. Gregorius: Non licet intueri, quod non licet concupisci. Job XXXI: Pepigi fœdus cum oculis meis. In hac via amor et charitatis præceptum implet alia (*scil. præcepta*) et affirmativa, et negativa, ad sensus pertinentia, ut est illud Matth. V: Si oculus tuus nequam scandalizat te; et similia.— Motiva similiter duplex: interior, et ista imperans; et exterior, exequens motum. Diliges igitur ex motivo exteriori, ut ex amore moveas pedes per viam gressibilem ad ambulandum debite, et ex eodem amore cohibeas ne moveantur indebite. Item, manus similiter amor moveat, et contineat; linguam etiam, et universaliter membra corporis. Sic implet charitas præcepta decalogi et affirmativa, et negativa. — Dilige etiam ex motivo interiori irascibili et concupiscibili, ut irascibilem amor mansuetudine temperet; ut dissimulet dissimulanda, ne irrationabiliter irascatur, quoniam charitas non irritatur; I. Corinth. XIII. Humilitate premat, et timeat timenda, ne præsumptuose efferatur, quia charitas non inflatur, zelo inflammans animam; et confidentia corroboret, ut audeat audenda, ne terrore frangatur, quoniam charitas omnia sustinet, et audacem facit amor. Diliges et ex concupiscibili dupliciter, scilicet cohibendo ne concupiscat quæ impediunt, jubendo ut concupiscat quæ nutriunt charitatem. I. Corinth. X: Non simus concupiscentes malorum. Ps. CXVIII: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. — Diliges et ex vi vegetabili, ut ex amore ordines nutritivam per abstinentiam, et generativam per continentiam: nutritivam quidem temperabis ministrans necessitatem, ne corpus deficiat, amantis animæ organum; amputans voluptа-

tem, ne proterviat in domini sui, scilicet spiritus, detrimentum. Eccli. XXXIII: Cibaria, et virga, et onus asino: panis, et disciplina, et opus servo, idest corpori proprio. Hæc ille.

V. Ex tota virtute.

851. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 23: Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua, Matth. XXII. Differunt vis et virtus. Vis enim idem est quod potentia: sed secundum Philosophum, virtus est ultimum potentiæ, unde equus habet vim eundi, virtutem currendi: verum ipsa potentia vis gressibilis dicitur, quasi a gradiendo, non a currendo. Quælibet igitur potentia habet ultimum, et ideo virtutem et fortitudinem, quæ licet secundum rem idem sint, tamen distingui secundum rationem possunt, ut sit virtus ultimum potentiæ ad agendum et fortitudo ultimum potentiæ ad sustinendum. Diliges ergo Dominum non tantum ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo et laborando experiris summum potentiæ, quia si in hoc summo et ultimo termino actum dilectionis semper continuares, tunc non tantum ex virtute, sed etiam ex tota virtute diligeres. Verum hoc viæ non est, nec esse potest. Igitur, ut vides, potentia secundum aliquid quod potest, etiam minimum, potentia est, vel vis; secundum autem summum vel maximum quod potest, virtus est. Inter vim et virtutem quantum proficias videris, quia etsi nec modum diligendi ex virtute in via contingat attingere, contingit tamen magis et magis propinquare, secundum quod in majoribus et pluribus actibus vires studueris exercere, ut proponas cum Propheta de futuro dicens, Psal. XXXIV: Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? et moriturus glorieris cum Jacob de præterito dicens, Gen. XXXI: Nosti quod totis viribus meis servierim tibi. Pone ergo te in terminis extensione potentiæ. Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La: totum hoc extensum potentia vel vis est; solum La, virtus est. In hac spirituali musica potentiarum tuarum actiones dijudica, et erubesce semper in gravibus et infimis Deo, Sol, Fa, Re, cum videris multos in servitio diaboli etiam quasi voces mutare, qui non tantum La tenent, ut faciant totum quod possunt, sed mutando ascendunt, et cum diaboli adjutorio faciunt quodammodo plus-

quam possunt. Isaiæ XLVIII: Superbia ejus et arrogantia ejus plusquam fortitudo ejus, eo quod non sit juxta eam virtus ejus. Hæc ille.

VI. Ex tota fortitudine.

852. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 24: Diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua. Aristoteles: Nullus magis sustinet terribilia quam fortis. Augustinus: Fortitudo est amor facile tolerans omnia propter id quod amatur. Qui omnia dixit, nihil excepit. Quinque autem distinguit Aristoteles terribilia, scilicet malam opinionem, inopiam, ægritudinem, inimicitiam, mortem ultimum et maximum, et in hoc sustinendo proprie patet fortitudo. Diliges ergo Dominum tuum fortiter, primo ut pro ipso sustineas inopiam rerum si oportuerit. Cant. VIII: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro charitate, quasi nihil despiciet eam. Matthæi XIII: Inventa, sapiens negotiator, una pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Sic fortis ille omnia arbitrabatur ut stercora, ut Christum lucrifaceret; Philipp. III. Nondum fortiter, sed heu! nimis debiliter diligit Deum, qui mavult peccando perdere Christum summum bonum, quam modicum corruptibilis substantiæ necessario perituræ. — Item diliges Deum fortiter, studendo si oportuerit malam opinionem et infamiam patienter sustinere cum illo qui dixit: Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die... per infamiam vel bonam famam; I. Corinth. IV; II. Corinth. VI. Nisi sic fortis fueris, detractorem falso te fama privantem et de infamia maculantem amare vix poteris, quem tamen nisi diligas, manes in morte; I. Joan. III. — Item diliges Deum fortiter sustinendo pro ipso, si oportet, inimicitiam et damnum favoris, omnes in Deo habens amicos generaliter, quosdam et specialiter: sed inter hæc Deum diliges fortiter, ut pro nullius amicitia generali vel speciali adquirenda ipsum offendas. Non sic fortiter dilexit Adam qui offendit Deum propter Evam. — Item diliges Dominum fortiter sustinendo pro ipso ægritudines. Hic jam agitur in personam. Vocatur autem ægritudo omne incommodum corporis citra mortem. Fortiter ursus mel diligit, a quo nec verberibus si immineant, nec spinis si interpositæ sibi obvient,

avelli poterit. Sic Deum fortiter dilexerunt et diligunt qui cum Apostolo dixerunt et dicunt: Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an gladius, etc.; Rom. VIII. — Item ultimo Deum fortiter diliges, mortem pro ipso, si oportuerit, immo si locus fuerit, sustinendo: hoc est proprie ex fortitudine diligere. Cantic. VIII: Fortis est ut mors dilectio. Joan. XV: Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Possumus ergo et debemus nunc in via diligere Dominum Deum nostrum ex corde, ex anima, ex mente, ex intellectu: quæ comprehendunt totam compositam diligentis substantiam: et ex viribus, et ex virtute, et ex fortitudine, quæ comprehendunt substantiæ potentiam. Omnia quæ dicta sunt in toto isto articulo sunt D. Thomæ, Opusc. LXI.

ARTICULUS III.

Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione proximi.

853. Vivit Dominus, cujus ignis est, in Sion, scilicet in Ecclesia militante, per fidem speculante; et caminus in Jerusalem, (*scilicet in*) Ecclesia triumphante, jam pacem videnti. Hic ignis, ibi locus ignis: non tamen vacuus locus, nec caminus extinctus. Dicit autem Augustinus: Unaquæque res suo pondere ad locum suum tendit, pondus autem ignis sursum. Ignis ergo amoris hic est quasi violenter, illic quasi naturaliter. Illinc vero mittitur huc: hinc movetur illuc. Thren. I: De excelso misit ignem in ossibus meis. Ignis vero inferius, et ignis superius, quia Deum et in via amamus, et in patria amabimus: sed sursum solummodo proprius ignis locus; et ideo præcipitur: Diliges Dominum Deum tuum. Quod mandatum secundum Augustinum hic implere non possumus, cum non sit ignis locus. Sed ideo accipimus, ut ad caminum tendere sciamus, ubi totaliter ardendo, mandatum quod hic accipimus, et servare incœpimus, sine desertione impleamus. Hæc superius dicta sunt a D. Thoma, Opusc. LXI, de Dilectione proximi, cap. 1, in cap. 2. — Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; Matth. XXII. D. Thomas, cap. 3, dicit: Adverte, quomodo te ipsum diligere debeas, et consequenter quæ sunt proximi

tui ex te ipso cognoscas. Diligere aliquem est velle illi bonum: igitur diligere se ipsum est sibi ipsi velle bonum. Sed refert non modicum quod bonum mihi velim, et unde, et quomodo velim, quod objectum terminet, quæ origo principiet, et quis modus ipsum velle formet. Primum ergo in objecto distingue: quia aliud est bonum increatum, quod est primum et summum bonum, et ideo a diligente se ipsum primo et summe volendum; aliud creatum, quod ideo bonum est quia a summo bono profluit ut a principio, et ad ipsum refluit ut ad finem. Gen. I: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Primum bonum est bonum essentialiter, secundum participative. Primum finis, secundum ad finem. Primum fruendum, et ideo illud propter se appetendum et volendum; secundum utendum, et ideo propter aliud appetendum.

854. Bonum autem creatum ex D. Thoma, Opusc. jam citato, cap. 3, aliud naturæ, aliud fortunæ, aliud gratiæ, aliud gloriæ: quorum quodlibet multiplex esse cognoscitur, si a generibus ad species descendatur. Sed bona hæc omnia, quoniam non summe bona sunt, magis et minus recipiunt, et regulariter unumquodque eorum tanto melius quanto summo bono propinquius. Bonum, aliud simplex bonum; aliud secundum quid, ut quod bonum est cum determinatione diminuente, ut bonum nunc, vel hic, vel huic. Cum diligere se sit sibi bonum velle, velle sibi bonum simpliciter est diligere se simpliciter; et velle sibi bonum secundum quid est diligere se secundum quid: inde est quod velle sibi gratiam et gloriam, cum hæc simpliciter bona sint, est diligere se simpliciter; velle sibi divitias, cum ista sint bona secundum quid, est velle sibi bonum secundum quid: et cum debeamus diligere proximum sicut nos ipsos, debemus illi desiderare bona simpliciter, et bona secundum quid, scilicet bona gratiæ et gloriæ, et bona naturæ et fortunæ.

855. D. Thomas, Opusc. IV, explicans quid sit diligere proximum sicut se ipsum, dicit: Circa quod verbum quinque considerare possumus, quæ in dilectione proximi servare debemus. Primum est quia debemus eum diligere vere sicut nos: quod facimus, si propter se ipsum ipsum diligimus, non propter nos. Ideo notandum quod triplex est amor: quorum duo non sunt veri, tertius autem verus. Primus est qui est propter utile,

Eccli. VI: Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. Sed certe iste non est verus amor. Deficit enim deficiente utilitate, et tunc nolumus bonum proximo, sed potius bonum utilitatis volumus nobis. Est et alius amor qui est propter delectabile, et hic etiam non est verus, quia deficiente delectabili deficit. Et ideo nolumus bonum propter hoc principaliter proximo, sed potius bonum suum nobis volumus. Tertius est amor qui est propter virtutem, et iste solus est verus. Tunc enim non diligimus proximum propter bonum nostrum, sed propter suum. — Secundum est quod debemus diligere ordinate, ut scilicet non diligamus eum supra Deum, vel quantum Deum, sed juxta, sicut te ipsum debes diligere. Cant. II: Ordinavit in me charitatem. Hunc ordinem docuit Dominus, Matth. X, dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. — Tertium est quod debemus eum diligere efficaciter. Non enim te solum diligis, sed etiam procuras studiose tibi bona, et vitas mala. Sic quoque debes facere proximo. I. Joan. III: Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. — Quartum est quod debemus eum diligere perseveranter, sicut et te perseveranter diligis. Prov. XVII: Omni tempore diligit qui amicus est. — Quintum est quod eum debemus diligere juste et sancte, ut scilicet eum non diligamus ad peccandum, quia nec te sic debes diligere, cum Deum ex hoc amittas.

856. D. Thomas super cap. XXII Matthæi, explicans illa verba: Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum, dicit sic: Voluit significare quod in mandatis est ordo. Et quæ est causa? Constat quod mandata sunt de actibus virtutum: virtutes autem habent ordinem, quia una dependet ab alia, et sicut virtutes sic et mandata. Sed quare dicit quod est simile primo? Quia quando diligitur homo, cum homo sit ad similitudinem Dei, diligitur Deus in illo: ideo simile est primo mandato quod est de dilectione Dei. Sed quid intelligit nomine proximi, cum dicit: Diliges proximum? Istud satis significatur in parabola Lucæ X, ubi quæritur: Quis tibi videtur quod fuerit ejus proximus? et respondetur: Qui fecit misericordiam in eum. Unde qui debet facere misericordiam nobis, vel nos ipsi, sub nomine proximi continetur. — Sed non

est aliqua rationalis natura, cui non debeamus misereri, et e converso: et ideo sub nomine proximi continetur homo et angelus. Et quod dicit: " sicut te ipsum „ non intelligitur quantum te ipsum, quia hoc esset contra ordinem charitatis; sed sicut te ipsum, idest eo fine quo te ipsum, vel eo modo quo te ipsum. Eo fine, quia te non debes diligere propter te, sed propter Deum: sic etiam proximum; Apostolus, I. Cor. x: Omnia in gloriam Dei facite. Item, in eo quo te ipsum diligis. Diligis te in eo quo vis tibi bonum, et tale bonum quod sit secundum te et legem Dei: et hoc est bonum justitiæ. Sic etiam et proximo debes optare bonum justitiæ: unde debes eum diligere vel quia justus est, vel (*ut*) justus sit. Item debes eum diligere eo modo quo te ipsum, quia cum dico: Diligo istum dico: Volo bonum ei. Unde actus dilectionis cadit super duo: vel super ipsum qui bonus est, vel super ipsum bonum quod volo sibi: unde diligo istum, quia volo ipsum esse bonum mihi; unde aliquis diligit bona temporalia, quia scit ea bona esse sibi. Aliqui vero diligunt aliquid, quia bonum est in se: sic debes diligere te ipsum, et etiam proximum. Consequenter assignat rationem quare ista duo sint maxima mandata: In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ. Tota doctrina legis et Prophetarum dependet ab his. Finis in appetibilibus se habet sicut principium in speculativis. Procedit enim scientia a principiis ad conclusiones, et sic tota scientia ex principiis judicatur: sicut et in omnibus operabilibus totum dependet a fine. Quia ergo dilectio est finis, I. Timoth. I: Finis præcepti est charitas; ideo ab istis dependent omnia alia. Et hæc est expositio Augustini. Origenes sic exponit: In his, idest in observantia istorum, dependet intellectus Legis et Prophetarum, quia qui hæc observat meretur intelligentiam Legis et Prophetarum. Eccli. II: Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Hæc ille.

857. D. Thomas, Opusc. LXII, c. 7, explicans (τὸ): Diliges proximum sicut te ipsum, dicit: Dilectio gratuita, cum sit actio vel motus, causas habet et effectus. Causarum quatuor sunt genera: efficiens, materialis, formalis et finalis. Efficiens causa est unde principium habet motus. Et in motu dilectionis duplex est (*principium*). Motor primus qui movet non motus, scil. Deus, qui dat mandatum de diligendo, et addit exemplum ut sciamus.

Joan. XIII : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Item donat et spiritum et charitatis habitum ut possimus. Augustinus : In terra datur Spiritus sanctus, ut diligatur proximus. — Motor secundus, qui movet motus, est anima rationalis in quantum talis, quæ Deo grata per formam gratiæ quæ inest substantiæ, per potentiam liberi arbitrii vel voluntatis, dispositam habitu naturalis amoris et charitatis, producit hunc actum. Tunc ergo cognitiva apprehendens objectum, vel materiam debitam conferendo, advertit conditiones ejus ipsam disponentes respectu motivæ, et motum provocantes. Sunt autem decem moventia per modum efficientis: sex proprie, et quatuor improprie. Proprie movet Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: qui tres, sicut unus Deus, unus creator, ita unus motor movens in hoc motu mirabiliter, sensibiliter, suaviter et utiliter. Item substantia animæ, forma gratiæ, potentia voluntatis. Item finis. Principiat enim motum finis, prout in intentione et spe ; terminat autem motum et quietat, prout est in adeptione et re. — Circa materiam nota. Dilectio cum sit accidens, non habet materiam ex qua, sed in qua. Inquantum vero est actio vel motus, sic materia ejus dicitur objectum proprium in quod est. — Est autem duplex habitus amoris, scilicet naturalis, et gratuitus : et secundum hoc duplex actus et duplex materia seu objectum. Ex habitu naturalis amoris dilectione amicitiæ diligo me principaliter et summe, etiam plusquam Deum. Ex habitu amoris gratuiti e converso Deum principaliter et summe, et Deum plusquam me. Propria materia amoris naturalis Ego : gratuiti Deus. Uterque amor intuetur proximum. Habet enim proximus convenientiam mecum : secundum hanc cedit in materiam amoris naturalis; habet convenientiam cum Deo: secundum hanc in materiam gratuiti, scilicet charitatis.

858. Supposita doctrina dicta, dicit D. Thomas: Conditiones igitur proximi per relationem ad Deum sunt ratio gratuite diligendi ipsum. Hæ diversificantur secundum triplex esse naturæ, gratiæ et gloriæ. Quoad esse naturæ, quatuor in proximo considero. Primum est quod ille quem ex charitate summe diligo eum fecit, et utique diligit quem fecit; Sap. XI. Diligitur autem effectus necessario ab eo qui causam efficientem diligit. Quum autem Deus omnia fecerit et omnia diligat, ideo qui

gratuite et intime diligit ipsum, omnia generaliter diligit propter ipsum : hominem tamen specialiter, quia est factus ad imaginem et similitudinem suam. — Secundum, quod amicissimi mei imago est, ipsum mihi in multis repræsentans. Chara sunt igitur mihi generaliter omnia, etiam irrationabilia, quia dicuntur et sunt charissimi mei quasi vestigia, cum quodlibet ipsorum sit ens, sit unum, verum et bonum: et ideo ducit ad illum, qui (*est*) summa et prima essentia, et unitas, et veritas, et bonitas. Sed hæc differenter mihi sunt chara, sicut differenter secundum magis et minus impressa sunt eis chari mei vestigia. — Tertium, quod amicissimus meus in ipso est non tantum ut causa in effectu, quæ ingreditur aliquando secundum virtutem, non secundum substantiam: scilicet efficiens et finalis; non ut rex in regno, qui est secundum potentiam solum, et non semper secundum præsentiam; non ut accidens in subjecto, quod separabile est et continetur et continet, indigetur et indiget; non ut sigilli forma in cera, quæ deleri potest; non ut facies in speculo; non ut species rei cognitæ in cognoscente: sed verissime, plenissime et intime in substantia, virtute et operatione intimius quam anima in corpore. Quod si in omnibus sit, et ob hoc omnia mihi chara sunt, quia tamen receptum est in recipiente per modum recipientis, in rationalibus firmius inest, quia perpetua; plenius, quia magis capacia: et ideo magis amabilia.

859. Secundum esse gratiæ sunt quatuor, quæ supra præmissa quatuor fundantur. Primum, quod amicissimus meus ipsum perficit informando et reformando per gratiam, qui ipsum fecerat formando per naturam. Ex quo sequitur quod sit amicissimi mei famulus et filius, et ideo necessario amandus; I. Jo. v: Omnis qui diligit eum qui genuit, etc. — Item amicus amans et amatus; Joan. xv: Jam non dicam vos servos, etc. — Item sponsa; Oseæ II: Sponsabo te mihi in fide, etc. — (*Secundum est quod amicissimus meus imitationi proponitur*); ad Ephes. v: Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi. Tertium, quod amicissimus meus in ipso est secundum effectus gratiæ multipliciter: ut hospes in domo; chara mihi domus cujus hospes charissimus; ut hortulanus in horto evellens et destruens; ut pontifex in templo consecrans aspergendo, scribendo et ungendo; ut magister in schola docens; ut sponsus in thalamo quiescens; ut gemma in annulo ornans, et similia. — Quartum

est quod ipse est in amicissimo meo speciali modo. I. Jo. IV: Deus charitas est. Manet, inquam, mirabiliter, quia multo conjunctius multoque utilius sibi quam membrum in corpore, palmes in vite, planta in terra, piscis in aqua, animal spirans in aere, carbo in igne, liquor in vase, scriptura in libro. Et tamen in his omnibus non possum non diligere quod manet, si illum diligerem intime in quo manet.

860. Ex præmissis collige quatuor conditiones in proximo, quoad esse gloriæ, quæ sunt materia et ratio diligendi gratuite. Est enim gloria gratia consummata. Secundum hæc igitur video quod amicissimus meus ipsum perficit ultima perfectione, et ipse amicissimo meo similis est ultima assimilatione, et amicissimus meus in ipso, et ipse in amicissimo meo ultima completissima et inseparabili unione. His omnibus quoad amorem gratuitum tenet regula: Si simplex ad simplex, etc. Præter hæc omnia ratio gratuite diligendi proximum est voluntas amicissimi mei hoc volentis et hoc jubentis, qui etsi catulum, vel lapidem, vel minus aliquid, propter ipsum diligi non quidem mandasset, sed voluntatem suam tantummodo vel nutu minimo insinuasset, charitati puræ, perfectæ, et non impeditæ, satis præceptum esset.

861. De causa formali. Sicut substantiarum duplex est forma. Una quæ est extra, scilicet forma exemplaris, secundum quam facta est: exemplar enim et idea cujuslibet rei factæ, sive artificialis sive naturalis, formaliter est in mente factoris, secundum quod dicit Augustinus: Arcam in mente et arcam in opere. Alia, quæ est intra, est duplex: substantialis dans esse primum et simplex, ut in homine anima vel humanitas; et accidentalis dans esse secundum, et secundum quid, ut quantitas, qualitas et similia: sic et actionum. Dilectio igitur, cum sit actio ad substantiam relata, cujus accidens est forma ejus, secundum se considerata quasi triplicem formam habet. Exemplarem in mente divina: videt enim Deus cum proximum diligo, et vipet non solum intellectu speculativo, sed etiam practico. Ipse enim facit me diligere, et scit utique quod facit, cum volens faciat, et ideo non ignorans; scit autem per ideam, non quæ sit in ipso ab actione creata, sed quæ sit actionis causa. Substantialem, hæc est bonitas gratuita inseparabilis, quod sic patet: actionum alia bona, alia mala in genere moris, quamvis omnis

bona in genere naturæ. Malarum alia mala in se, ut occidere hominem; alia secundum se, et hæc est mala formaliter, ut mendacium, furtum et similia, quæ non solum dicunt actionem, sed concernunt deformitatem: et ideo hæc ita sunt mala, ut non possint fieri bona, vel saltem non mala, licet aliqua magis, aliqua minus mala. Ita ex opposito in bonis. Cum igitur charitas sit forma omnium virtutum, actus ejus tantummodo bonus est formaliter in se et secundum se, et ideo non potest non esse bonus bonitate gratuita, quæ in viatore non est meritoria. Omnium autem aliarum virtutum actus informes esse possunt, nec necessario meritorii sunt.— Accidentalem formam habet: hæc est fervor; et hic duplex, scilicet fervor in actu et in affectu. Fervor autem alius sensualis, alius intellectualis vel rationalis. Et videtur primus esse quasi accidens separabile, sed secundus quasi inseparabile. Stante ergo bonitate gratuita in actu dilectionis quasi substantiali forma, fervor secundum diversas causas ad modum accidentis nunc intenditur, nunc remittitur, nunc adesse, nunc abesse videtur.

862. De causa finali. Dicitur autem finis dupliciter: respective, scilicet respectu præcedentis, hoc est secundum quid; absolute, hoc est simpliciter, et hoc est vere ultimum, quia non refertur nec ordinatur ulterius. Primo modo se ipsum diligere est finis: nam ad ipsum ordinari habent omnes actus cognoscitivæ et inferiorum potentiarum, sicut potentia ad potentiam, et habitus ad habitum. Volo enim proximum noscere ut agnitum diligam, quia, secundum Augustinum, invisa possumus diligere, incognita nequaquam. Sicut igitur secundum Aristotelem somni finis est vigilia, sentire vero et sapere vigiliæ finis, omnibus quidem inest alterum horum: bona enim hæc, finis autem optimum: sic diligere quod his melius, finis est horum. Ipsum autem diligere ulterius ordinatur, donec ad finem finium veniatur. Habet autem actio diligendi duplicem finem. Primus est id quod intendo facere diligendo proximum: intendo autem diligendo implere Dei mandata. Ad Rom. XIII: Qui diligit proximum, implevit legem; et hoc ordinatur ad Deum tamquam ad finem ultimum. Secundus finis est id quod intendo consequi vel acquirere. Hoc est autem vitare supplicium, ut finis a quo; assequi præmium, ut finis ad quem.

833 D Thomas, in eodem Opusc., cap. 8, aliter explicat (τὸ):

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Non dicit quantum. Ad Rom. XII: Qui diligit proximum, legem implevit. In duobus enim mandatis dilectionis universa lex pendet et prophetæ: naturalis, scripta vetus et nova, quorum unumquodque ad aliud naturali vel artificiali ordine refertur, sicut exemplar ad exemplatum, inter quæ assimilatio est, non necessaria adæquatio. Quod patet sic: quia sicut secundum exemplar domus aliquantæ et aliqualis potest fieri domus similis: major autem, vel minor, vel æqualis, et sic in istis non oportet quod ista assimilatio sit per omnia adæquata; item sicut domus perficitur tecto, et sermo ultimo verbo, et vas decem pugillos capiens impletur pugillo novissimo: sic tota lex in mandato secundo, dilecto proximo. Lex autem universalis in parte ultima duo habet generalia mandata, quæ ex hoc uno noscuntur, et proximum diligendo totaliter implentur.

Adde Append., nn. 356-376.

ARTICULUS IV.

Datur actualis unio animæ contemplativæ cum Deo, quæ est fruitiva.

864. Multa diximus de unione in Quæstione proœmiali, articulo nono, ad illum locum remitto lectorem, quia multa quæ ibi diximus sunt necessaria pro isto articulo et sequentibus. Unio, ut ipsum nomen sonat, nihil aliud est quam id quo ex ducbus vel pluribus unum fit. Quare inquirendum est quomodo ex Deo et anima quid unum contemplatione fiat. Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam et potentiam, et sic habet communem unionem cum omnibus creaturis; de qua unione loquitur D. Thomas, p. p., qu. 8, art. 3. Et in eodem articulo ponit novum et singularem modum existendi in anima per gratiam, quam explicavit Dominus: Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; Joan. XIV. Quam mansionem explicans D. Thomas, p. p., q. 43, a. 3, (*dicit*) non tantum fieri per immissa dona, sed etiam manente in anima justorum ipso auctore donorum. Et in Primo Sent., dist. 14, in prima divisione textus, inquit Sanctus Magistrum excludere ibi errorem dicentium Spiritum sanctum non dari, sed dona ejus in processione tem-

porali. Et ratio est quia hoc plane Scriptura significat, tum quia dicit personas divinas in nobis habitare et ad nos venire; Joan. XIV: Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; et de Spiritu sancto dicit postea: Apud vos manebit et in vobis erit: quod certe de donis gratiæ creatis non potest verificari, cum de ipsis personis dicatur quod manebunt et venient ad nos, de donis autem creatis id verificari non potest; — tum quia dicitur Spiritus sanctus esse in nobis ut in templo suo; I. Cor. VI: Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti; et cap. VI: Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, qui in vobis est, etc.; — tum denique quia expresse distinguit Scriptura inter hoc quod (*est*) dari dona creata gratiæ, et dari ipsam personam increatam Spiritus sancti, cum dicitur Rom. V: Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; quod frustra distingueretur inter charitatem diffusam et Spiritum sanctum datum, si dari Spiritum sanctum non esset aliud quam dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Adstipulatur etiam auctoritas Augustini, XV. de Trinitate, cap. XXVI, ubi aperte dicit ipsum Deum dari, cum datur Spiritus sanctus; et Ambrosii, lib. I. de Spiritu sancto, c. 4, ubi Spiritum sanctum qui datur dicit esse ipsum Deum, qui simplex est in substantia, et ubique totus. Et concludit: Quis ergo dubitet divinum esse quod infunditur simul pluribus, nec videtur? Gratia autem creata non infunditur simul pluribus, sed dividitur singulis, prout Spiritus sanctus vult, ut ait Apostolus.

865. Istum autem specialem modum existentiæ Dei in anima justi dicit D. Thomas esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante; quod ideo fecit D. Thomas, ut per hoc poneret differentiam inter hanc præsentiam et præsentiam immensitatis, per quam est præsens, et habet contactum sicut agens suo effectui immediato: per istam vero est præsens Deus ut objectum cognitum et amatum intra animam. Diversa autem præsentia est agentis et objecti. Et hæc præsentia Dei non est ita perfecta et consummata sicut in patria, quia ambulamus per fidem et non per speciem, et ita non unitur Deus realiter nostro intellectui in ratione speciei intelligibilis, neque in ratione objecti quo fruimur de facto et consummate.

866. Et ad explicandum istum modum existendi, licet sit di-

stinctus a modo existendi per immensitatem, et superaddat ad illum, tamen necessario præsupponit illum; et supposito contactu et existentia Dei intima intra animam, novo modo efficitur Deus præsens, mediante gratia, ut objectum experimentaliter cognoscibile et fruibile intra animam, sicut si anima nostra, quam intime nobis præsentem habemus ut radicem et principium omnium operationum, reddatur nobis præsens et manifestata ut objectum, non quomodocumque cognitum et objective attractum, sed ut objectum nobis intimum, et quod est radix nostri esse et nostræ operationis: et sic cognoscitur quodam experimentali tactu et cognitione; sicut etiam substantia angeli dupliciter unitur suo intellectui: et ut subjectum, seu radix illius cui intellectus inhæret, sicut omnia accidentia et proprietates quæ uniuntur substantiæ, et ab ea dimanant; et ut objectum, quatenus informat intellectum vice speciei: et sic est in intellectu ut objectum cognitum et amatum, non quomodocumque, sed ut cognitum et amatum intra et per quamdam intimam experientiam sui, sicut id quod est radix et principium sui intrinsecum. Sed hæc experimentalis cognitio suæ substantiæ in angelo est semper manifesta et intuitiva, quia caret corpore, a cujus conversione dependeat in cognoscendo; in nostra autem anima potest esse experimentalis cognitio, sed obscura quantum ad quidditatem quamdiu sumus dependentes a corpore in cognoscendo. Talis ergo modus experimentalis cognitionis et amoris respectu alicujus objecti cogniti et amati, ut radicis et principii intimi sui proprii esse, necessario exigit realem et substantialem præsentiam in esse objecti, quia aliter non potest esse cognitum experimentaliter et intime, sive hæc experimentalis cognitio sit adhuc inevidens et latens, sive sit intuitiva et clara, quia est cognitio experimentalis rei sibi omnino intimæ, et quæ est radix sui esse: sed non exercet præsentiam solum influendo et agendo, sed influentiam et præsentiam hanc manifestando et ostendendo, et in ratione objecti intimi et præsentis se fruendo.

867. Applicando ergo istam doctrinam præsentiæ divinæ, considerandum est quod Deus ratione suæ immensitatis et contactus, quo intime tangit omnes effectus et dat illis esse, habet se ut radix omnis creaturæ, et ut vitis influens in palmites, non per modum formæ informantis, sicut anima nostra adest nobis,

sed sicut agens a quo datur, et influit totum esse in creaturas, ut ab universali principio et radice omnium. Sic enim appellatur in Scriptura, ut cum dicitur ad Hebr. I: Portans omnia verbo virtutis suæ; et ad Rom. XI: Non tu radicem portas, sed radix te. Ad Coloss. I: Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Act. XVII, 17: Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. Hoc modo existit Deus in omnibus quasi radix occulta, et principium omnibus dans esse magis intimum quam forma quælibet suæ materiæ et substantia accidenti, quia omnia intime implet et penetrat dando esse; nec se habet secundum hanc considerationem ut amicus convivens aut particulariter se communicans, sed ut principium universale omnium creaturarum in esse: et sic omnibus præsens et conjunctus intime est. Cum igitur mediante gratia se manifestat, incipit id quod est radix et principium, comparari ut objectum manifestans se ipsimet intellectui creato, cui adest ut radix et principium influens esse: et sic manifestat seipsum ut objectum, non quomodocumque, sed omnino intimum, utpote radix totius illius esse. Unde talis manifestatio, et familiaritas, et convictus necessario importat novum modum præsentiæ, nempe non solum per modum radicis et principii influentis esse, sed per modum personæ conviventis et se ipsum manifestantis in ratione objecti. Sed talis præsentia realis et intima esse debet, quia est manifestatio, non cujuscumque objecti, sed objecti nobis maxime intimi, et quod cognoscitur ut radix et principium totius nostri esse, et per experientiam et familiaritatem sui, cognosci et amari se faciens, sicut substantia angeli se ipsam manifestat et unit intellectui ut objectum, non qualecumque, sed ipsi intellectui intimum, et tale objectum sic cognitum et amatum ut intimum, et ut principium sui intellectus etiam in quantum objectum realiter, et non solum intentionaliter præsens est, quia seipso et sua realitate reddit se manifestatum et cognitum, et experimentali sui cognitione attractum.

868. Quod vere istum contactum objectivum, realem et intimum habeat Deus, non solum quando intuitive et clare videtur, et per modum speciei unitur, sicut cum substantia angeli suo intellectui unitur ut objectum, sed etiam cum fide obscura cognoscitur, et experimentali quadam cognitione occulta attin-

gitur, sicut cum anima nostra nobis in hac vita manifestatur, constat quia Deus non solum cognoscitur per fidem, sicut communiter contingit in peccatoribus et justis, sed etiam per donum sapientiæ, quasi per gustum et experientiam quamdam internam, sicut ab omnibus existentibus in gratia, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 4 et 5; et hæc sapientia habetur ex quadam unione et connaturalitate ad divina, idest ex quadam intima experientia divinorum, sicut de Hierotheo dicit D. Dionysius, cap. II de Divinis nominibus, quod erat perfectus in divinis non tantum discens, sed et patiens divina, ut ibi affert D. Thomas, art. 2. Pati autem divina, et experimentalem cognitionem de Deo habere, non solum pertinet ad statum gloriæ, ubi intuitive Deus videtur, sed etiam ad statum viæ, ubi adhuc Hierotheus erat, et ubi Deus, etsi obscure et per fidem cognitus, tamen quasi experimentali quodam tactu cognoscitur, etsi non visu: sicut animam nostram non videmus, et tamen experientia animationis sentimus quasi objectum præsens, quia et informat nos realiter, et informationis indicia nobis præsentat; sic Deus suæ intimæ præsentiæ quam habet ut agens et principium totius esse per immensitatem, nobis specialiter per gratiam demonstrat tamquam objectum intime et experimentaliter cognoscibile: hic occulte et per indicia, in patria per visionem: sed tamen jam nobis specialiter et realiter præsens, et quasi stans post parietem.

869. Unde D. Thomas, qui hunc specialem modum existendi Deum in nobis per gratiam dixit esse inquantum est objectum cognitum et amatum, tandem id reducit ad cognitionem, non qualemcumque, sed experimentalem ipsius Dei, quæ solum habetur per gratiam, et per donum sapientiæ, quo cognoscimus de Deo per quamdam connaturalitatem et conjunctionem cum eo, tamquam vivificante nos, sicut si esset vita vitæ nostræ, et anima animæ nostræ per intimam præsentiam sui, qua influit nobis non solum esse naturale, sed etiam esse gratiæ, quo ipsas personas in nobis tamquam præsentes agnoscimus, etiamsi nondum videamus. Dicit enim sic in 1 Sent. dist. 14, q. 2, art. 2 ad 3, quod non qualiscumque cognitio sufficit ad rationem missionis, sed solum illa quæ accipitur ex aliquo dono appropriato personæ, per quod efficitur nobis conjunctio ad Deum secundum modum proprium illius personæ, scilicet per

amorem, quando Spiritus sanctus datur: unde cognitio ista est quasi experimentalis. Non ergo quolibet modo esse objectum cognitum et amatum, sed esse cognitum experimentaliter, et per ipsius præsentiæ tactum, pertinet ad hunc specialem modum, quo persona dicitur missa. Non potest autem cognosci experimentaliter nisi ut habitus, et possessus, et conjunctus intime; nec conjunctus esse intime, nisi supponendo contactum immensitatis, quo influit esse in animam: non solum esse naturale, quod est commune omnibus, sed etiam esse gratiæ supernaturale, quo ita dat esse supernaturale quod se manifestat ut objectum ipsi præsens; atque adeo speciali modo dicitur ibi esse tamquam non solum vivificans influendo et agendo, sed etiam vivificationem ipsam præsentem prodens, manifestans: nunc per indicia et experimentalem conjunctionem ad animam, licet obscuram, et in patria per intuitionem.

870. Iste specialis modus existendi per gratiam in nobis præsupponit et requirit necessario præsentiam realem Dei per immensitatem, et sine ipsa salvari non posset, licet sit distincta ab ipsa, quia hæc specialis præsentia supponit ipsam creaturam habere in se esse productum a Deo, tum naturale quoad suam naturam, tum supernaturale quoad gratiam. Omnis autem productio Dei et influxus quoad esse fit per contactum operationis, qui pertinet ad immensitatem, ita quod etiam ipsa productio gratiæ in anima, quatenus fit per operationem Dei, contactum immensitatis ejus requirit, per quem Deus est intime in ipsa gratia, et in anima ubi illa producitur, tamquam in effectu suo. Deinde præsupponitur iste contactus operativus Dei, seu contactus immensitatis, tam prout dat esse naturale quam supernaturale per gratiam, quia per gratiam manifestatur Deus, et personæ, non quomodocumque, sed ut experimentaliter cognitæ et ut intima radix, et principium vitæ animæ; tam in esse naturali quam supernaturali, quatenus ex ejus influxu dependet et derivatur omne esse: hæc autem derivatio et operatio constituit contactum immensitatis. Ut ergo manifestentur personæ, non quomodocumque cognitæ, sed ut intime præsentes, et experimentali conjunctione conjunctæ, oportet quod ista manifestatio fiat secundum aliquem contactum præsentialem, quo Deus tangit interius. Et sicut contactus animæ quo experimentaliter sentitur, etiamsi in sua sub-

stantia non videatur, est informatio et animatio qua corpus reddit vivum et animatum, ita contactus Dei quo sentitur experimentaliter, et ut objectum conjunctum, etiam antequam videatur intuitive in se, est contactus operationis intimæ, qua operatur intra cor, ita ut sentiatur et experimentaliter manifestetur, eo quod unctio ipsa docet nos de omnibus, ut dicitur I. Joan. II. Et sic in illo affectu et cognitione sentit Deum ut sibi intime conjunctum et experimentaliter notum; quæ experientia sola cognitione non habetur, sed etiam affectu et gustu, quia est per fruitionem, licet imperfectam, qualis haberi potest in hac vita. Hoc enim donum nemo scit, nisi qui accipit, ut dicitur Apoc. II.

871. D. Thomas explicans intimius quomodo fit ista unio ad personas missas in animam, dicit in I, dist. 14, q. 2, art. 2 ad 2, quod non sufficit nova relatio qualiscumque creaturæ ad Deum, sed oportet quod referatur ad ipsum sicut ad habitum, quia quod datur alicui habetur aliquo modo ab ipso. Persona autem divina non potest haberi a nobis, nisi vel ad fructum perfectum, et sic habetur per donum gloriæ; aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum gratiæ gratum facientis: vel potius sicut id per quod fruibili conjungimur, in quantum ipsæ personæ divinæ quadam sui sigillatione relinquunt in nobis dona quædam quibus formaliter fruimur, seu amore et sapientia: propter quod Spiritus sanctus dicitur esse pignus hæreditatis nostræ. Quibus verbis manifeste explicat D. Thomas quomodo personæ divinæ dicantur habitæ et possessæ ab anima, sicut aliquid fruibile ab ipsa, quatenus sua sigillatione relinquunt in nobis quædam dona. Hæc autem sigillatio personarum operatio est, qua personæ manifestantur nobis experimentali quadam cognitione et tactu sui, quibus cognoscimus animam nostram vivere vita superiori sibi conjuncta, et altiori modo agi, tam in intellectu quam in affectu, seu gustu; unde et Apostolus dicebat ad Philipp. II: An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Et iterum Galat. II: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Et iterum ad Rom. VIII: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus; quod totum pertinet ad sigillationem quamdam, seu experimentalem tactum, quo personæ ipsæ per aliquam operationem intimam ita tangunt cor quod se mani-

festant ut præsentes tamquam illius vivificationis principium. Operatio autem pertinet ad contactum Dei ut agentis, quod pertinet ad immensitatem; sed contactus quo se faciunt sentire personæ divinæ ut præsentes, addit supra præsentiam agendi, quæ est præsentia Dei ut est unus, præsentiam manifestandi personas, non manifestatione quomodocumque, sed experimentali et intima, licet nondum intuitiva, sicut anima sentitur modo a nobis. Et hoc est esse Deum ut cognitum et amatum, scilicet cognitione et amore experimentali, et contactum intimum operantem in nobis.

872. Ad amorem et cognitionem finis, cognitione quasi speculativa, et pure extrinsece se habente ad rem cognitam et amatam, parum conducit ejus realis præsentia intra cognoscentem et amantem, sed sufficit intentionalis præsentia: sed ad cognoscendum et amandum cognitione et affectu quodam experimentali, et quasi spiritum intus vivificante, non sufficit intentionalis præsentia cum reali distantia, sed requiritur connaturalitas quædam et unio interior, ex cujus gustu et tactu noscitur illa experimentalis cognitio spiritus divini vivificantis cor, sicut ex unione informativa animæ nascitur experimentalis cognitio ipsius animæ, ut objecti quod est forma interne vivificans et informans. Quod autem hoc fiat cognoscendo Deum per alienas species, ut hic in via, vel per intuitivam et propriam, ut in patria, non interest, quia non loquimur solum de manifestatione personarum, ut intuitiva vel non intuitiva, sed ut experimentali, sicut dicit D. Thomas in 1, dist. 14, q. 2, art. 2 ad 3. Et hæc datur etiamsi res intuitive non videatur in se. — *Adde Append.*, nn. 311-325.

ARTICULUS V.

In quo prosequitur eamdem materiam unionis fruitivæ animæ contemplativæ cum Deo.

873. Alii aliter explicant istam unionem fruitivam animæ contemplativæ, sed ad idem. Ista unio est illud pretiosum donum quo Deus in ipso fundo atque intimo animæ clarissima luce se illi præsentem, et eam intuentem, ac tenerrime diligentem ostendit. Quo memoria ipsius animæ huic Deo sic sibi

manifestato tenacissime adhæret, ita ut, unione durante, ab eo avelli separarique non possit: intellectus eum clarissima luce sapientiæ inspicit, et ut quoddam totum in quo est omne bonum, vel secundum aliquam vel aliquas perfectiones intelligit, ita ut ab eo in aliquid aliud diverti nequeat; voluntas ardentissimo amore constringit, qui instar ignis erumpens omnia videtur absumere, ita ut anima jam in se non vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed in eum dulcissimum sponsum toto affectu transeat, a quo arctissimo apprehensa est complexu. In hoc gradu vires istæ quasi in altum maris divinitatis provehuntur, vel Deo immersæ ad summam quamdam lucem et ardorem elevantur. In eo anima non tam agit quam recipit; non progreditur, sed abripitur, et non expectato consensu ejus (et tamen consentit) in thalamum incredibilis suavitatis ducitur. In eo non tam inspicit et amat, quam ipsum intuitum splendidissimum et amorem ardentissimum Dei intra semetipsam reperit, non aliter quam si quis cibum non manducans, nec potum glutiens, ipsos in stomacho mansos et optime dispositos sentiret, quibus absque minimo etiam labore manducandi et bibendi, semetipsum roboraret. In eo anima congregat ubi non sparsit, et metit ubi non seminavit, quia ad hoc maximum bonum quod sentit, nulla humana præparatur industria. In eo ipsa nequaquam per incilia viridarii sui aquam ducit, sed pluvia largissima desuper influit quæ illam infundit, et inebriat, et germinare facit, et rosis et floribus sanctissimorum affectuum, et fructibus actuum omnis virtutis implet. In eo anima quidem suum esse non amittit, sed aliud esse recipit, quod naturale esse prorsus absorbet. Nam sicut pomum saccharo aut melle conditum, quoad naturam ipsum quidem est, sed quoad gustum, et alimentum, et usum ipsum non est, quia ex saccharo est in aliam conditionem mutatum: ita anima igne divini amoris excocta, et admiranda suavitate condita, naturam quidem retinuit, sed minimas etiam distractiones deposuit, et quid cœleste ac divinum apparet. Feliciterque fit in ea quod in corpore nunquam impletur. Ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita; II. Cor. v. Id, inquam, secundum desiderium naturæ implendum non est, ut scilicet corpus priusquam ab anima separetur immortalitate vestiatur.

Quia qui efficit nos in hoc ipsum ut ingemiscamus, et immortalitatem desideremus, Deus est, qui dedit nobis pignus Spiritus sui, qui est nobis tamquam pignus quod sumus immortalitate vestiendi, sed prius vita mortali privandi. At in hac beata unione anima non spoliatur, sed supervestitur. Non enim naturam propriam aut libertatem amittit, sed super illam novo splendore gratiæ vestitur, et clarissima luce, et ardentissimo amore, et dulcissima suavitate coronatur, et ei quem desiderabat, arctissimo amplexu conjungitur.

874. D. Thomas, Opusc. LX, art. 24, loquens de secundo adventu Christi per gratiam dicit: Novus autem modus, secundum quem Deus est in creatura rationali, est sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Cognoscere autem Deum, et amare Deum, in quantum est objectum beatitudinis, est per gratiam gratum facientem, unde adventus Christi in mentem secundum gratiam gratum facientem intelligendus est. Hunc ergo adventum desiderabat Sapiens, cum dixit, Sap. IX: Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret. " Ut mecum sit „ per virtutem gratiæ gratificantis; " et mecum laboret „ per dilectionem gratiæ sublevantis; " ut sciam quid acceptum sit apud te, „ per splendorem gratiæ illustrantis. Aliter: " Ut mecum sit, „ me sibi gratificando; unde ad Ephes. I: Gratificavit nos in dilecto Filio suo. Hic est primus effectus gratiæ, quem solus Deus in nobis sine nobis operatur. Et adventus iste per gratiam est occultus. " Et mecum laboret, „ scilicet in statu vitæ præsentis, divinis me consolationibus sublevando; quod quidem expertus fuit qui dixit: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis! Augustinus in libro Confessionum: Quis dabit mihi ut venias in cor meum, et inebries illud, et obliviscar mala, et unum bonum meum amplectar te! Ut sciam quid acceptum sit apud te, quia candor est sapientia lucis æternæ, et speculum sine macula. Hæc ille.

875. Sancta mater Theresia loquens de hac unione perfectissima, ex his quæ passa fuit confirmat doctrinam D. Thomæ. Postquam Deus animam reddit insipientem sive alienam a sensibus, ut altiori modo veræ Sapientiæ fiat particeps, ita quod pro illo tempore quo extasim patitur, quod est brevissimum, non videt, nec audit, nec intelligit, ita ut Deus ipse sic affigatur

et inhæreat interiori illius animæ parti, ut ad se ipsam reversa sit omnino certa Deum in se ipsa, et ipsam in Deo fuisse: et hæc veritas ita firma et stabilis manet, ut etiamsi nunquam amplius gratiam similem a Deo recipiat, nunquam tamen obliviscatur. Dices, subjungit, qua ratione anima nostra Deum vidit aut intellexit, si in hac unione, ut dictum est, nihil videt aut intelligit? Respondeo me non dicere quod in unione ipsa tunc videt Deum (quod quidem, ut dixit D. Thomas, hoc pertinet ad immensitatem), sed quod transacta unione videat manifeste Deum in ipsa fuisse; non quod ista sit visio, sed potius quædam certitudo, quæ in anima manet ex illo contactu sive unione, quam certitudinem solus Deus potest infundere animæ. Præterea, hæc certitudo non est alicujus rei corporalis, sicut illa quam habemus, quod corpus Christi sit in Eucharistia, quamvis illud non videamus, sed est quædam certitudo divinitatis. Hoc dicit Mansione v, cap. 1. Et Mansione vii, cap. 1, loquens de matrimonio spirituali (quod in hac unione perfectissima multoties communicatur), dicit: Vult Deus ut de gratiis et donis ab ipso collatis aliquid anima videat et intelligat, licet hoc accidat mirabili modo, eo quod in hac mansione (in qua Deo per matrimonium copulatur) constituta visione intellectuali per modum repræsentationis veritatis sanctissima Trinitas, tres quoque Personæ manifestantur, cum quadam inflammatione, quæ prius spiritus ejus ad similitudinem perlucidissimæ nubis perlustrat, ac admirabili quadam notitia unius substantiæ, unius potentiæ, unius sapientiæ, ac unius Divinitatis tres Personas esse cognoscit: unde id quod fide intelligimus, ibi, ut ita dixerim, visu percipit anima; non tamen oculis corporeis efformatur hæc visio, cum non sit imaginaria; neque hoc tantum, sed ibi totæ tres Personæ ei communicantur, eam alloquuntur, ac Evangelii verba: Et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, Joan. xiv, eidem experientia ipsa manifestantur.

876. Beata Angela de Fulinio, cap. 27, sic ait: Consequenter postea elevata sum in spiritu, et inveni me totam intus in Deo, modo alio quam unquam consueverim; et videbatur mihi quod eram in medio Trinitatis, altiori et majori modo quam consueverim, eo quod recipiebam majora bona solito, et quia eram in ipsis bonis continue, et plena lætitiis, et deliciis,

et delectamentis maximis et inenarrabilibus, quæ omnino sunt supra omnia quæ unquam experta fui. Fiebant autem in anima mea operationes divinæ tam ineffabiles, quod nullus sanctus, nec angelus posset enarrare vel explicare. Et sum extracta ab omni illo modo videndi Deum in tenebra, et sum extracta ab omni illo statu priori cum tanta unctione et dormitione, quod nullo modo percipere potui, nisi quod modo recordor quod non habeo illa. Et in illis bonis ineffabilibus, et in operationibus divinis prædictis quæ fiunt in anima mea, Deus se prius præsentat in anima, faciens operationes divinas ineffabiles, et postea consequenter se manifestat aperiendo se animæ, et donando adhuc ei majora dona, cum majori adhuc certitudine et claritate ineffabili. Divina manifestatio tam suavis erat aliquando, quod hujusmodi communicatio saporem æternæ vitæ contineret, et hæc est unio et lætitia, quam incomprehensibilem et inenarrabilem dicit. Postea describens alium modum divinæ communicationis et manifestationis in illo statu unionis, dicit: Alio modo, sed non ita efficaciter, habeo quasi continue; et quamvis ego possim recipere tristitias et lætitias exterius aliqualiter et parum, intus tamen in anima mea est camera in qua non ingreditur aliqua lætitia, vel tristitia, nec delectatio alicujus rei, quæ nominari possit, sed intrat in illam illud omne bonum. Et in illo manifestare Dei est tota veritas, et in eo intelligo et habeo totam veritatem quæ est in cœlo, et in terra, et in inferno, et in omni creatura, cum tanta veritate et cum tanta certitudine quod nullo modo, si totus mundus diceret oppositum, possem aliud credere. Deinde describens statum divinæ unionis, sic ait: Ad prædictum vero statum non sum ego profecta, sed sum ducta a Deo et elevata, ita quod ego nescivi istum velle, nec desiderare, nec petere, et sum nunc in isto statu continue.

877. Ad intelligendum etiam quid anima in hac felici unione experiatur, valde conferent quæ Dionysius Richelius quodam loco scripsit. Sic ille ait: Quumque hanc lucem Omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis suæ, actualitate et excellentia majestatis, perfectionis ac luciditatis suæ immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, sic dulciter, non violenter vincit et opprimit, ut ipsa defluat, atque deficiat a se ipsa, et victa amore, ac stupens præ admiratione ejus

quam contemplatur majestatis ac charitatis immensæ, præ Deitatis, quam cernit, deliciosissima serenitate nesciat de seipsa. Siquidem repente tam valide illustratur ac inflammatur, ut prorsus succumbens, vires et sensus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abysso demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur, in amoris igne immensi revoluta comburitur. Verum in hac intuitione tranquillissima ac cherubica, mens humana, ut plurimum, non diu defigitur, sed Deus lucem quam paulo ante infudit, retrahit et abscondit in manibus, atque post modicum denuo præcipit ei ut menti adveniens oriatur, majori nonnunquam cum claritate quam ante. Qua luce menti fulgente, mens iterum intus splendescit, ignescit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Tunc Deus annuntiat dilecto suo quod possessio ejus sit. Denique quoniam ista tam supernaturalis elevatio mentis, tam admiranda et alta contemplatio, nobilitatio ac deificatio ejus, signum ac opus est infinitæ dignationis ac magnæ dilectionis Dei ad eam, idcirco post verba præallegata protinus subditur: Super hoc expavit cor meum, et amotum est de loco suo. Etenim in hac profundissima contemplatione gratia Dei præveniens ac pertransiens sensum perstringit amantis, et eripit eum illi, infigitque sibi. Ac rursus alio loco: O anima inclyta et electa, tam plene ad Creatorem tuum conversa, concupiscit Rex decorem tuum, et dicit tibi: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, et erunt deliciæ ejus esse tecum, ac demorari in medio cordis tui. Tunc certe videbis et affluës, et mirabitur cor tuum ex tanta dilectione ac dignatione Dei tui ad te, et dilatabitur in amore ipsius cum gaudio, feliciterque gustabis quam magna sit multitudo dulcedinis quam perficit et ostendit sperantibus in se.

ARTICULUS VI.

Dari hanc unionem actualem fruitivam animæ contemplativæ probatur locis sacræ Scripturæ.

878. Evangelicus Propheta, c. LVIII, loquens cum viro justo unito cum Deo hac perfecta unione, dicit: Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam

tuam, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. Divus Thomas sic exponit hunc locum: " Et requiem dabit etc. „ quantum ad mala temporalia. Multiplicationem vero bonorum interiorum spiritualium. " Implebit splendoribus, „ scil. virtutibus vel consolationibus. " Et eris quasi hortus „ propter prosperitatem, vel omnium bonorum indeficientiam. " Tunc delectaberis „ quantum ad bona spiritualia. Job XXII: Tunc super omnipotentem deliciis affluës. Jerem., c. XXXI, loquens de justis, dicit: Eritque anima eorum quasi hortus irriguus. D. Thomas: " Qui pluviam non expectat. „ Hoc potest intelligi de bonis spiritualibus collatis per Christum, quod nunc ex parte, in futuro ex toto complebitur. Apoc. VII: Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Probatur etiam ex illo Joan. XIV: Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. D. Thomas: Hoc in primo aspectu videtur absurdum. Numquid enim diligit nos, quia diligimus eum? Absit. Dicitur enim I. Joan. IV: Non quasi dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos; et ideo dicendum quod intellectum hujus habemus ex his quæ dicta sunt supra, scilicet: Qui habet mandata mea, servat ea. Non enim ibi dicitur quod ideo diligit quia servat mandata; sed quia diligit, ideo mandata implet: et hoc modo dicendum est hic quod ideo quis diligit Christum, quia diligitur a Patre, et non ideo diligitur quia diligit. Diligimus ergo Filium, quia Pater diligit nos. Habet enim hoc verus amor ut amatos ad amantis dilectionem trahat. Jerem. XXXI: In charitate perfecta dilexi te. Sed quia amor Patris non est sine amore Filii, cum idem sit amor utriusque: quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit, ideo subdit: " Et ego diligam eum. „ — Sed cum Pater et Filius omnia diligant ab æterno, quare dicit: " Diligam „ de futuro? Dicendum est ergo quod dilectio considerata prout est in divina voluntate, sic est æterna, sed considerata secundum quod manifestatur in executione operis et effectibus, est temporalis, et ideo est sensus: " Et ego diligam eum, „ idest effectum dilectionis ostendam, quia scilicet " ma-

nifestabo ei me ipsum, „ quia ad hoc diligam ut manifestem. — Sciendum est autem quod dilectio alicujus ad aliquem aliquando est secundum quid, aliquando simpliciter. Secundum quid quidem, quando vult ei aliquod bonum particulare. Simpliciter autem, quando vult ei omne bonum. Deus autem omnia causata diligit secundum quid, quia omni creaturæ vult aliquod bonum, etiam ipsis dæmonibus, ut scilicet vivant, et intelligant, et sint: quæ sunt quædam bona. Simpliciter autem diligit illos quibus vult omne bonum, scilicet ut habeant ipsum Deum, quem habere est habere veritatem, quia Deus veritas est. Sed veritas tunc habetur cum cognoscitur. Illos ergo vere simpliciter diligit quibus manifestat seipsum qui est veritas, et hoc est quod dicit: " Manifestabo ei meipsum, „ scilicet in futuro per gloriam, quod est ultimus futuræ beatitudinis effectus. " Ad eum veniemus. „ Objicit D. Thomas: Venire mutationem localem significat: sed Deus non mutatur: ergo. Respondet: Deus dicitur venire ad nos, non quod ipse moveatur ad nos, sed quia nos movemur ad ipsum. Dicitur enim aliquid venire in locum in quem prius non fuit: hoc autem Deo non convenit, cum sit ubique. Jerem. XXIII: Cœlum et terram ego impleo. Dicitur etiam venire ad aliquem inquantum est ibi novo modo, secundum quem prius non fuerat ibi, scilicet per effectum gratiæ. Et per hunc effectum gratiæ facit nos ad se accedere. Sed attendendum secundum Augustinum quod tribus modis Deus venit ad nos, et eisdem nos imus ad eum. Primo quidem venit ad nos implendo suis effectibus, et nos imus ad eum capiendo ipsos; Eccli. XXIV: Transite ad me omnes qui concupiscitis me. Secundo, illuminando, et nos imus ad eum considerando; Psal. XXXIII: Accedite ad eum, et illuminamini. Tertio vero, adjuvando et nos ad ei obediendum, quia nec obedire possumus nisi adjuti a Christo; Isa. II: Venite, ascendamus. — Sed quare non fecit mentionem de Spiritu sancto? Augustinus dicit quod non dicitur hoc quod ipse sit excludendus adveniente Patre et Filio, quia supra dicitur: Ut maneat vobiscum in æternum. Sed cum in Trinitate sint duo, scilicet Personarum distinctio, et essentiæ unitas, aliquando quidem fit mentio de tribus Personis ad insinuandam distinctionem Personarum, aliquando vero facit mentionem de duabus sine tertia, ad insinuandam essentiæ uni-

tatem. Vel dicendum quod cum Spiritus sanctus nihil sit aliud quam amor Patris et Filii, posito Patre et Filio, intelligitur Spiritus sanctus. — Tertium ad Dei manifestationem est perseverantia utriusque, scilicet in dilectione Dei, et in ejus visitatione, et quantum ad hoc dicit: " Et mansionem. „ In quo duo tangit: primo quidem infirmitatem adhæsionis ad Deum, cum dicit, " mansionem. „ Nam Deus venit ad quosdam per fidem, sed non manet: quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt; Luc. VIII. Sed in suis prædestinatis permanet semper. Matthæi ult.: Ecce ego vobiscum sum. Secundo, ostendit familiaritatem Christi ad homines, quia " apud eum, „ scilicet diligentem ad obediendum, inquantum scilicet delectatur nobiscum, et facit nos delectari in ipso. Prov. VIII: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Hæc ille.

879. Omnia ista loca sacræ Scripturæ significant hanc unionem. Hæc unio est pax quæ exuperat omnem sensum, pax quam mundus dare non potest: solus Spiritus Domini est, qui replet in bonis desiderium nostrum, qui adipe frumenti satiat nos, qui dat manna absconditum, quo Propheta pastus eructat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Hic est calculus filiorum Dei habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit. Hic in divinam caliginem instar Moysi vocatur spiritus. Hic in sibilo auræ tenuis sentitur Dominus. Hic in thalamo dormit et requievit Salomon pacificus, et Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Hic gustatur favus mellis, favus propter illuminationem intellectus, mel propter dulcorationem affectus. Hic Moyses mysticus ducit gregem virium suarum in interiora deserti. Hic sedet solitarius, et levat se supra se, ubi Dominus loquitur ad cor ejus. Hic dicit Petrus: Bonum est nos hic esse; et Philippus: Sufficit; et Maria Magdalena: Vidi Dominum, et hæc dixit mihi. Hic introducitur anima in cellam vinariam, ubi bibit ebriam sobrietatem spiritus, ubi suspirabunda epithalamium canens verba dimidiat: Dilectus meus mihi, ait, et ego illi; ego dormio, et cor meum vigilat. Hic obtestatur dilectus de dilecta: Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, vel evigilare faciatis donec ipsa velit. Ista unio dicitur mansio Dei in homine, et hominis in Deo. Dicitur vivificatio et habitatio vitæ æternæ saltem in radice, ut hic vivat in æternum, quia

suam gratiam habet; dicit autem Apostolus quod gratia Dei est vita æterna. Dicitur et osculum oris sponsi, quod petit sponsa. Dicitur lac, et vinum, et unguenta, et oleum effusum. Dicitur introductio in cellaria, conjunctio dilecti inter ubera sponsæ tamquam fasciculus myrrhæ. Dicitur suus decor, sua quies in lectulo florido. Hoc est donum perfectum desursum descendens, non ascendens deorsum. Hæc est sapientia divinitus inspirata cum suis laudibus universis. Hoc divinum silentium, hoc susurrum verbi absconditi, hoc vox quasi auræ lenis, imo et tonitrui magni.

880. Propheta regius loquitur de viro justo unito Deo hac perfectissima unione in Psal. I: Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Divus Thomas: Similitudo namque sumitur a ligno, in quo tria considerantur, scil. plantatio, fructificatio et conservatio. Ad plantationem enim necessaria est terra humectata ab aqua; alias aresceret, et ideo dicit: " Quod plantatum est secus decursus aquarum, " idest juxta fluenta gratiarum. Joan. VII: Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et qui juxta hanc aquam radices habuerit, fructificabit, bona opera faciendo: et hoc est quod sequitur: " Quod fructum suum dabit. " Galat. V: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax et patientia, longanimitas, bonitas, etc. " In tempore suo, " scilicet modo, quando est tempus operandi. Galat. ult.: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Sed nec arescit, immo conservatur. Quædam arbores conservantur in substantia, sed non in foliis; quædam vero in foliis conservantur: sic et justi; unde ait: " Et folium ejus non defluet, " idest nec in minimis operibus et exterioribus deseruntur a Deo. Prov. XI: Justi autem quasi virens folium germinabunt. Deinde cum dicit: " Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur, " adaptat similitudinem, quia beati in omnibus prosperabuntur: et hoc quando consequentur finem intentum, quantum ad omnia quæ desiderant, quia justi perveniunt ad beatitudinem. Psal. CXVII: O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare. Hæc ille.

881. David, Psal. XV, dicit: Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Divus Thomas: Hic assignat rationem suæ inhæsionis soli Deo, quia scilicet ipse solus est hæreditas sua: quasi dicat: Ideo solum hoc in cœlo, quia hæc est hæreditas mea. Primo, dicit Deum esse hæreditatem suam. Secundo, commendat eam, quod est contentus de ea: " Etenim hæreditas mea etc. „ Ipse est bonum nostrum quo fruimur: homines in mundo isto quærunt possessiones et usus earum; sed possessio sua est Deus: unde " Dominus pars hæreditatis meæ „ intransitive, idest hæreditas quæ venit mihi in partem. Quidam habent pro hæreditate delectationes carnis. Sap. II: Hæc est pars, et hæc est sors nostra. Alii autem alia delectabilia mundi: sed Deus est sors mea. Thren. III: Pars mea Dominus, dixit anima mea. „ Sed non solum est hæreditas mea, sed " pars calicis mei, „ idest calix meus veniens mihi in sortem, quia tota delectatio mea et potus est Deus. Psal. XXII: Calix meus inebrians, quam præclarus est! Vel Christus habet hæreditatem fideles: et hujusmodi hæreditatis, scilicet fidelium, Deus est pars. " Dominus pars calicis mei, „ quia passio mea ordinatur ad Deum. Ipse etiam est dator hujus hæreditatis: " Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, „ scilicet æternæ gloriæ. Et sic Christus loquitur ex persona suorum, qui eam perdiderant peccante primo parente. Vel " hæreditatem, " idest claritatem corporis, quam perdidit homo peccando. " Funes ceciderunt mihi in præclaris, „ Divites terram mensurant fune. Deuter. XXXII: Jacob funiculus hæreditatis ejus. Et ideo portio dicitur quasi funiculus funis, idest portio cedit mihi in rebus optimis, quia nihil melius ipso Deo. Jerem. III: Tribuam tibi terram desiderabilem, præclaram hæreditatem. Secundo, ostendit quod sit ea contentus. " Etenim hæreditas mea præclara est mihi, „ quasi dicat: non solum hæreditas mea in se præclara est, sed est ita præclara mihi, quod nullo modo mutarem eam. Psal. CXXXI: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Hæc ille.

ARTICULUS VII.

Anima contemplativa unitur cum Deo unione habituali et actuali.

882. Unio habitualis tunc verificatur quando anima unitur Deo mediante aliquo habitu, ad differentiam actualis cui unitur mediante actu. De ista unione habituali loquitur D. Thomas in pluribus locis suorum operum. 2 2, q. 24, art. 4: Charitas viæ potest augeri. Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viæ est ut possit augeri. Si enim non possit augeri, jam cessaret viæ processus. Et ideo Apostolus charitatem viam nominat dicens, I. Corinth. XII: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Et D. Thomas super hæc verba addit pauca, et sunt ista, scilicet: Charitatem qua directius in Deum itur. Psal. CXVIII: Viam mandatorum tuorum cucurri. Isaiæ XXX: Hæc est via, ambulate in ea. Quando ergo charitas ita perfecta est, ut excedat modum ordinarium intentionis ejus, dicitur facere unionem habitualem. D. Thomas in III, dist. 27, a. 1, ad 5, dicit quod unio est duplex: quædam quæ facit unum secundum quid, sicut unio congregatorum se superficialiter tangentium, et talis non est unio amoris, cum amans (*in*) interiora amati transformetur. Alia est unio quæ facit unum simpliciter, sicut unio continuorum, et formæ, et materiæ: et talis est unio amoris, quia amor facit amatum esse formam amantis, et ideo supra unionem addit concretionem ad differentiam primæ unionis, quia concreta dicuntur quæ simpliciter unum sunt. Unde alia littera habet continuativa. Ista unio quando est perfectissima vocatur habitualis.

883. Specialiter explicat hanc unionem habitualem D. Thomas, Opusc. LXI, in octavo gradu amoris, in quo facit stringere indissolubiliter. Stringens autem non adhuc distat, sed astat,

vel magis instat. In præcedentibus gradibus anima amat et amatur, quærit et quæritur, vocat et vocatur. In hoc autem gradu quodam miro et indissimili modo rapit et rapitur, tenet et tenetur, stringit et stringitur, et una uni per amoris copulam sociatur. Dionysius: Amor est copula amantis cum amato. Trina quidem copula tribus professoribus traditur, scilicet conjunctionalis a grammatico, verbalis a dialectico, carnalis a jurista vel ethico qui judicare habet de matrimonio. Prima copulat dictionem dictioni, quandoque congrue, quandoque incongrue. Secunda prædicatum subjecto, quandoque vere, quandoque false. Tertia sexum sexui, fœminam viro, quandoque bene, quandoque male. Nec talis copula hæc, sed omnem artem et facultatem transcendens copulat animam Deo, creaturam creatori, finitum infinito, semper congrue, semper vere, semper bene: hoc igitur est astringere. — Sed nota: aliud est pedem ponere in gradu, aliud statuere. Ponens enim nonnunquam retrahit et deponit, statuens autem figit: propter quod Daniel. IX: Vir desideriorum etc. Et: Sta in gradu tuo. Quasi dicat: Non tantum calca super gradum, sed sta et firmare super ipsum. In hoc gradu quidam sunt hospites et transitorii quidam vero incolæ et mansionarii, ut hospites. Ad hunc gradum eunt et redeunt, qui stringunt, et postea dimittunt. Mansionarii autem sunt qui insolubiliter stringunt, ut illa: Inveni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Non offendat te donec etc.; Cant. III. Non enim ponit post, sed negat ante. Non ideo vult introducere non dimissum, ut dimittat introductum: quinimo quando hac cautela foris inventum introduxerit, plenius tenebit, fortius stringet, et minus dimittet. Omnia ista conveniunt unioni habituali.

884. De eadem habituali unione disputat D. Thomas 1 2, q. 28, art. 1, in corpore: Duplex est unio amantis ad amatum. Una quidem secundum rem, puta cum amatum præsentialiter adest amanti. Alia vero secundum affectum, quæ quidem unio consideranda est ex apprehensione præcedente: nam motus appetitivus sequitur apprehensionem; cum autem sit duplex amor, scilicet concupiscentiæ et amicitiæ, uterque procedit ex quadam apprehensione unitatis amati ad amantem: cum enim aliquis amat aliquid quasi concupiscens illud, apprehendit illud

quasi pertinens ad suum bene esse. Similiter cum aliquis amat aliquem amore amicitiæ vult ei bonum sicut et sibi vult bonum, unde apprehendit eum ut alterum se, inquantum scilicet vult ei bonum sicut et sibi ipsi, et inde est quod amicus dicitur esse alter ipse. Et Augustinus dicit in IV Confess.: Bene quidam dixit de amico suo dimidium animæ suæ. Primam ergo unionem amor facit effective, quia movet ad desiderandam, et quærendam præsentiam amati, quasi sibi convenientis et ad se pertinentis. Secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio vel nexus. Unde Augustinus dicit in VIII De Trinitate, quod amor est quasi junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens: amantem scilicet et quod amatur: quod enim dicit copulans, refertur ad unionem affectus sine qua non est amor; quod vero dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem. Hæc ille. Et est intelligendus non de quocumque amore; sed de illo qui procedit a charitate. Igitur quando gratia habitualis intensissime inest subjecto, nimirum in anima, et veluti penetratur ab ipsa, regeneratur ipsa anima in naturam divinam, ut dicit D. Thomas 1 2, q. 110, art. 4. Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis: ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam regenerationem sive recreationem. Et divinizata natura animæ, Deus unit eam habitualiter sibi, et dat illi facultatem, ut possit gaudere et frui ipsis donis, et etiam de ipsamet persona divina.

885. Unio habitualis nihil aliud est quam gratia habitualis perfectissima multum radicata in anima, et data per modum permanentis, mediante qua anima transformatur in Deum in se, secundum esse personale. De qua loquitur D. Thomas 3 p., q. 7, art. 10. In quo quærit utrum plenitudo gratiæ sit propria Christi. Et respondet quod plenitudo gratiæ potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte ipsius gratiæ, alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo gratiæ, ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, et quantum ad virtutem, quia scilicet habet gratiam, et in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: et talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte vero subjecti gratiam

habentis esse dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum præfixum ei a Deo, secundum illud ad Ephes. IV: Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: sive etiam secundum virtutem, inquantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officium, sive statum, sicut Apostolus dicebat, Ephes. III: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes etc. Et talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum. Hæc ille. Et ista est gratia habitualis, de qua etiam loquitur D. Thomas in III, dist. 27, q. 2, art. 1 ad 9. Inquantum homines per charitatem deiformes efficiuntur, sic sunt supra homines, et eorum conversatio in cœlis est; et sic cum Deo et angelis ejus conveniunt, inquantum ad similia se extendunt, secundum quod Dominus docet: Estote perfecti, sicut et Pater vester perfectus est.

886. De unione actuali pauca dicam, quia jam multa dicta sunt; solum animadverto quod loquor hic de speciali unione actuali quando potentiæ animæ, quantum patitur status vitæ præsentis, Deo adhærent: intellectus per cogitationem pene continuam, et velut evidentem; voluntas vero per amorem, non tantum desiderii, sed quodammodo satietatis et fruitionis. Ex qua unione actuali resultat alia habitualis, quia ex illa manet sigillata voluntas habitualiter ut cætera despiciat, et quamvis rebus diversis vacare teneatur, ex obedientiæ præcepto, vel charitatis fraternæ titulo, propensam se tamen ordinarie sentit ad summum illud bonum quo prius fruebatur, quo etiam frui desiderat et sperat. Et quamvis anima non tam perfectam habeat delectationem, nec tam jucundam suavitatem, nec tam firmam suorum sensuum tranquillitatem, cum non fruatur ipso actu unionis: quia tamen in ejus statu persistit, quadam habituali delectatione, et suavitate ac tranquillitate potitur. Remanet enim memoria dulcis præteritæ unionis, et spes adest ipsius sæpius futuræ; effluunt ex illa in intellectum vivæ quædam et admodum expressivæ rerum cœlestium tunc sibi objectarum species, quæ, quamvis aliis præsertim inexpertis ob suam eminentiam declarari non possint, ipsi tamen animæ deserviunt, ad perfectam quamvis abstractivam illorum

contemplationem. Potest felix hæc anima cum Apostolo dicere, ad Rom. VIII: Certa sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.

887. Anima in isto statu unionis habitualis introducitur ad paradisum spiritualem. Loquens D. Thomas, q. 18, art. 1, ad 15, De veritate, de Paradiso spirituali dicit: Paradisus spiritualis, prout perfectam delectationem designat, quæ beatum facit, in Dei visione consistit: sed prout simpliciter delectationem de Deo habitam designat, in qualicumque contemplatione Dei paradisus spiritualis consistit. Idem D. Thomas, 2 2, q. 175, a. 3, ad 4, explicans illud D. Pauli: Raptus est in paradisum, ratione delectationis. Et in commentario hujus loci D. Pauli, quia Apostolus in eodem capite dicit, primo se esse raptum usque ad tertium cœlum, deinde dicit quod fuit raptus in paradisum, fuit controversia si fuit distinctus raptus, et si idem est cœlum in hoc loco quod paradisus in alio. Et respondet D. Thomas: Non oportet aliud intelligere per cœlum et aliud per paradisum: sed unum et idem per utrumque, scilicet gloriam sanctorum, sed secundum aliud et aliud. Cœlum enim dicit altitudinem quamdam cum claritate, paradisus vero quamdam jucundam suavitatem. In sanctis autem beatis et angelis Deum videntibus sunt excellenter hæc duo, quia est in eis excellentissima claritas qua Deum vident, et summa suavitas qua Deo fruuntur. Et ideo dicuntur esse in cœlo quantum ad claritatem, et in paradiso quantum ad suavitatem. Isaiæ LXVI: Videbitis et gaudebitis etc. Fuit ergo utrumque collatum Apostolo, ut scilicet sublimaretur ad illam altissimam claritatem cognitionis, et hoc significat cum dicit: Ad tertium cœlum, et ut sentiret suavitatem divinæ dulcedinis, unde dicit in paradisum. Ps. XXX: Magna multitudo dulcedinis tuæ etc. Apoc. II: Vincenti dabo manna absconditum. Et ista dulcedo est gaudium de divina fruitione. Matth. XXV: Intra in gaudium Domini tui. Et cum animæ in hac habituali unione Deum perfecte contemplentur, et illo fruantur, dicuntur introduci in paradisum spiritualem.

ARTICULUS VIII.

Hæc unio animæ cum Deo declaratur similitudinibus et exemplis.

888. In hac unione anima unitur Deo sicut surculus unius arboris inseritur alteri, a quo nutrimentum accipit, et non fructum quem solus ferret, sed fructum valde similem fructui alterius arboris, cui insertus est, profert. Sic anima sentit se a Deo suscipi, et ab illo gratiæ auxilia et amorem perfectissimum accipere, quibus illi in vitæ puritate valde similis reddatur. Hic intelligit quid illud sit: Ego sum vitis, vos palmites; et quid est: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Deinde anima unitur Deo, sicut gutta aquæ infusa dolio vini, et in hoc est similitudo: quia aqua illa amittit propriam naturam, et convertitur in vinum, et fit unum cum eo, in colore, odore et sapore, et omni qualitate. Sed anima cadens, ut ita dicam, in magnitudinem Dei, quasi in immensitatem maris, non amittit propriam naturam, sed ea retenta, vires ejus deificantur, in splendore, in ardore, in puritate, in omnium defectuum et cæcitatum et tepiditatum depulsione, Deo similes efficiuntur. Præterea ex Deo et anima unum fit sicut ex igne et ferro. Ferrum namque in fornacem conjectum ignem imbibit, et ferrum esse non desinit. Erat nigrum, et ex igne candescit; erat obscurum, et ex igne lucescit; erat frigidum, et ex igne calescit; erat impotens ad urendum, et ex igne fit potens ut proxima sibi comburat. Ita anima in suo esse manens, ex eo quod ab eo Domino sanctissimo sibi adjungitur, qui ignis consumens est, quasi ignescit, et ejus lucem et pulchritudinem, fervorem et efficacitatem induit. Vere ad similitudinem vocis Domini, ignitum eloquium ejus vehementer, ut audientes de Deo loquentem succendat, et a miseriis sæculi blandientis abducat.

889. Alii alias similitudines adducunt. Est sicut oppositio duorum speculorum. Si namque duo specula contra se invicem opponas, unum recipit imaginem alterius, et ab illo vicissim

recipitur. Ad hunc modum quando fit in hac unione inter Deum et animam illud Canticorum: Dilectus meus mihi, et ego illi; item et illud: Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus; et quando hæc duo specula majestatis divinæ et mentis humanæ contra se invicem ponuntur, hæc recipit claritatem et calorem illius, adeo ut in intellectu et affectu imago illius pulcherrima videatur. Præmissis igitur his similitudinibus, dicamus consequenter ad eas, quod amor, sicut calor, naturam habet congregandi seu uniendi homogenea, sicut etiam separat et dividit heterogenea. Constat autem quod spiritualia cum spiritualibus homogeneitatem quamdam, idest similitudinem servant ad invicem, et a corporalibus, seu terrestribus sunt dissimilia. Omne igitur quod in homine reperitur spirituale, vel divinum, segregatur quodammodo per amorem vivificum ab omni eo quod terrestre est atque corporeum; sic fit ibi divisio spiritus et animæ, idest spiritualitatis, et animalitatis, et sensualitatis, et separatur pretiosum a vili, et quia Deus spiritus est, et similitudo est causa unionis, perspicuum est cur spiritus sic depuratus et defæcatus unitur Spiritui divino: quia videlicet similis efficitur cum Deo. Addamus tamen alteram hujus unionis causam etiam quoad ea quæ corpus ipsum respiciunt; spiritus itaque sic assimilatus Deo, sic qualificatus et affectus per amorem, qualificat et afficit consequenter corpus proprium tamquam suum formabile, seu materiale, per redundantiam spiritus ad corpus. Quo fit, ut corpus proprium sic habituatum, et affectum induat, et gerat quasdam proprietates ipsius spiritus, propriis vel derelictis, vel multum ab actione suspensis.

890. Sancta mater Theresia in ultimis Mansionibus Castelli interioris animæ, ad declarandam intimam animæ cum Deo unionem, maxime secundum partem cognoscitivam in exercitio contemplationis, utitur domestica bombycis similitudine, quam initio, processui, et fini animæ contemplativæ in ordine ad hanc unionem comparat; unde per multa capita identidem reassumit, et fuse prosequitur: ex multis igitur quæ divisim docet, pauca hic simul adducuntur, et præsenti instituto aptabuntur. Bombyx ex vili semine, incalescente jam tempore, virtute foventis generatur, ita ut ex insensibili materia procreatus apparet vermiculus qui vitæ tam vegetativæ quam sensitivæ

habet operationes; nam comedit, nutritur, augetur, et in plano se movet aliquo tempore, deinde quasi fastidiens inferiora, et materialem cibum despiciens, ima deserit, sursum ascendit, et in superioribus cellulis sibi paratis commoratur, interiorem ac magis intimam earum partem quærens; demum cum nondum adhuc ad sibi secretius vacandum sit absconditus, ex propriis visceribus materiam abducens sericam, sibi domumculam seu mansiunculam parans, in illa se penitus abdit circumquaque obvolutus: ibi in silentio absque strepitu, et in pacifica tranquillitate manens tandem sibi moritur; sed gloriose non in vermem iterum terrestrem, sed in cœlestem aviculam resurgens ex sua morte, totus renovatus, ac multo pulchrior appareret; unde spectaculum admiratione dignum videtur, quod ex gravi, fœdo et reptili vermiculo, tam levis, tam pulchra, et candida, ac volitans exsurgat avicula, quæ non amplius lucem refugiat, sed e formatis ante sibi tenebris erumpens ad puriorem lucem contendat, non amplius humi repat, sed sursum in aera properet, ibique volitando discurrat, donec producto semine tandem moriatur. Unde, ut totus vitæ bombycis decursus paucis perstringatur, statim natus repit; deinde ascendit, se condit et moritur; denique exsurgit, et transformatus in candidam aviculam et quasi in alatam columbam sursum volat; nec idem omnino in toto suo cursu, nec penitus est diversus, sed partim idem, partim a se ipso mutatus dici debet, in quo refulget figura animæ contemplativæ in suo decursu, ut statim dicetur.

891. Anima, priusquam calore gratiæ in vitam spiritualem, Dei vocantis et trahentis virtute, regeneretur, quasi semen vile ac informe videtur, nullum vitæ superioris actum aut motum exprimit, insensibilis ac immota manet: sed jam divina virtute regenerata et directa movetur, alimento gratiæ nutritur, virtutibus augetur, sicque bis aut ter in via purgativa mutata et plurimum roborata, superius ad vitam illuminativam ascendit, ubi in destinatis sibi cellulis delitescens interioris conversationis cum Deo colit exercitium, sed adhuc ad interiorem recessum vocata, in intimo cordis centro recondita soli sibi et Deo vacat, ibique tandem propria mortificatione terrenis omnibus moritur: sed tandem gloriosior de morte resurgens ad vitam unitivam evolat, ut ibi in columbam transformata, et Deo suo

suaviter unita, cœlestem, non terrenam spiret auram, divinam, non humanam ducat vitam. Tunc non amplius hæc inferiora quærit, sed sursum tendit, nec ante volare desinit, donec omni creata luce superata ad increatam, quæ est Deus, utcumque in hac vita, et perfecte post mortem, edito jam æternæ vitæ fructu, pertingat.

892. Hunc animæ devotæ cursum et volatum describit Gregorius Magnus lib. 4 in I. Regum, ad cap. xx, dicens: Quidquid enim de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est; sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimæ lucis, quidquid internæ suavitatis et dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur, ad quamdam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quam ineffabilis lux, dulcedo et delectatio sit quæ ipse sit, si tam immensa lux est illa quam inhabitat, et non est ipse. Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur; sed qui ad lucem pervenerat quam inhabitabat Deus, lucem quæ ipse Deus erat quærebat, dicens: Ostende mihi faciem tuam: de quo etiam scriptum est quia loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem. Quid est quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, et tamen Dominum obsecrat ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est; cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per se ipsum: per speculum hic, per semetipsum in cœlo. Speculum vero est illa lux quam inhabitat Deus, ipse autem lux illa quæ ipse est: Moyses autem, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, et ejus faciem ad videndum postulare, quid rectius designat quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur; sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare: illa vero et satiare et excitare; nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur; et tam plena, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili dulcedine satientur. Hæc divus Gregorius.

ARTICULUS IX.

Anima in ipsa perfecta unione habet aliqua privilegia.

893. Animæ in isto statu communicantur aliqua privilegia quæ concessa fuerunt primo parenti Adamo in statu innocentiæ; et unum et singularissimum fuit quod movebatur a Deo in suis operationibus tam vitæ contemplativæ quam activæ. Ita D. Thomas, De Veritate, q. 18, art. 2: Ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in statu innocentiæ, ut Deum cognosceret per inspirationem internam ex irradiatione divinæ sapientiæ, per quem modum Deum cognoscebat non ex visibilibus creaturis, sed ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressa. Nec etiam ad exercitium vitæ activæ erat necessarium ut uteretur similitudinibus naturalibus ad scientiam comparandam, quia etiam dabatur illi lux supernaturalis. D. Thomas in 2, dist. 23, q. 2, art. 2 ad 3, dicit, quod intellectus noster indiget phantasmate quod est objectum ejus in duobus, scilicet in accipiendo scientiam secundum motum qui est a rebus ad animam, et in circumponendo illud quod apud se tenet phantasmatibus, sicut in quibusdam exemplis patet secundum motum qui est ab anima ad res. Intellectus Adæ in primo statu non indigebat phantasmate quantum ad primum modum, sed quantum ad secundum. Multæ sunt animæ in statu unionis habitualis et actualis fruitivæ, quæ cognoscunt per species infusas, et scientiam habent non ex phantasmatibus, sed a luce divina et supernaturali, et a donis infusis. Divus Dionysius, cap. 4 De divinis nominibus, §. 10, loquens de animabus quæ transferuntur in Deum, quales sunt quæ reperiuntur in statu unionis habitualis et actualis, dicit, quod istæ animæ specialiter moventur a Deo in omnibus suis actionibus, et hoc probat exemplo Pauli: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Hanc motionem divinam mediante gratia et charitate et aliis donis supernaturalibus, in illis qui sunt transformati in Deum, comparavit D. Thomas, 1 2, q. 110, a. 4, ad 1, sessori ad equum; dicit enim quod sicut ab essentia

animæ effluunt ejus potentiæ, quæ sunt operationum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus. Et secundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, ut movens ad motum, quæ est comparatio sessoris ad equum, non autem sicut accidens ad subjectum. Et D. Thomas in III, dist. 34, q. 1, art. 1: Si autem quæ hominis sunt, supra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana simpliciter, sed quodammodo divina.

894. D. Thomas explicans illud D. Pauli, ad Rom. VIII: Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, dicit sic: " Quicumque spiritu Dei aguntur, " idest reguntur sicut a quodam ductore et directore, quod quidem in nobis facit spiritus, scilicet inquantum illuminat nos interius quid facere debeamus; Ps. CXLII: Spiritus tuus bonus deducet me. — Sed quia ille qui ducitur, a seipso non operatur; homo autem spiritualis, non tantum instruitur a Spiritu sancto quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu sancto movetur: ideo plus intelligendum est in hoc quod dicitur: " Quicumque spiritu Dei aguntur. " Illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde de brutis dicimus, quod non agunt, sed aguntur: quia a natura moventur, et non ex proprio motu, ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti, inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud Isaiæ LVI: Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit. Et Lucæ IV: Quod Christus agebatur a Spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales, per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus sanctus in eis causat, secundum illud, Philipp. II: Deus est qui operatur in nobis velle et perficere. Secundo considerandum est quomodo illi qui Spiritu Dei aguntur sunt filii Dei. Et hoc est manifestum ex similitudine filiorum carnalium, qui per semen carnale a patre procedentes generantur. Semen autem spirituale a Patre procedens est Spiritus sanctus. Et ideo per hoc semen aliqui homines in filios Dei generantur. Hæc ille. Animæ in isto statu unionis habitualis et actualis singulariter moventur a Spiritu sancto.

895. Animæ contemplativæ ad Deum transformatæ, in unione

habituali et actuali fruitiva in eodem tempore possunt exercere utramque vitam contemplativam et activam. Hoc dicit Gerson de Mystica Theologia speculativa, Considerat. XIX. Et habet fundamentum in divo Thoma, qui, p. p., quæst. 94, art. 1, dicit: Deus fecit hominem rectum, ut dicitur Eccli. VII. Hæc autem fuit rectitudo hominis divinitus instituti, ut inferiora superioribus subderentur, et superiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediebatur per res exteriores a clara et firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat sive naturali cognitione sive gratuita. Unde dicit Augustinus in XI super Genesim ad litteram, quod fortassis Deus primis hominibus antea loquebatur, sicut cum angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non tanta participatione divinæ essentiæ quanta capiunt angeli. Sic igitur per hujusmodi intelligibiles effectus Dei, Deum clarius cognoscebat quam modo cognoscamus. Hæc ille. Idem sanctus (*Thomas*) in II, dist. 10, q. 1, art. 4, ad 2, dicit, quod contemplatio Angelorum magis se habet per modum receptionis quam actionis; et ideo sicut luna simul recipit lucem a sole, et illuminat inferiora corpora, ita etiam Angelus simul illuminatur in divina contemplatione, et illuminat inferiorem, vel ministrat circa nos. Cum status unionis habitualis et actualis fruitivæ sit status similis statui quem habuit Adam in innocentia, inde est quod animæ in isto statu habent aliqua privilegia illius, et unum est quod in isto statu anima non necessitatur accipere cognitionem a sensibus et a phantasmatibus, sed ab illuminatione divina sicut Adam.

896. In hoc statu unionis habitualis et actualis fruitivæ anima participat aliquid cœlestis patriæ. D. Thomas, 1 2, q. 61, art. 5, proponit illud quod dixit Christus, Matthæi V: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est: et sic necesse est ponere quasdam virtutes medias inter politicas quæ sunt virtutes humanæ, et exemplares quæ sunt virtutes divinæ; quæ quidem virtutes distinguuntur secundum diversitatem motus et termini: ita scilicet quod quædam sunt virtutes transeuntium et in divinam similitudinem tendentium; et hæ vocantur virtutes purgatoriæ, ita scilicet quod prudentia omnia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ cogita-

tionem in divina sola dirigat; temperantia vero relinquat, inquantum natura patitur, quæ corporis usus requirit; fortitudinis autem est ut anima non terreatur propter excessum a corpore et accessum ad superna; justitiæ vero est ut tota anima consentiat ad hujusmodi propositi viam. Quædam vero sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam purgati animi, ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando; quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Hæc ille.

897. Isti sunt qui pervenerunt ad illam perfectionem, quam persuadet D. Paulus ad Ephes. IV: Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. D. Thomas explicans hunc locum, ostendit quod debemus novum statum induere. " Renovamini spiritu; „ ubi notandum est, quod licet spiritus multipliciter dicatur, in homine tamen triplex spiritus invenitur: scilicet Spiritus sanctus; I. Corinth. III: Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Item spiritus rationalis; Galat. V: Caro concupiscit adversus spiritum. Item spiritus phantasticus; Oseæ XIV: Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum, spiritualem, idest phantasticum, Hoc ergo quod dicit " spiritu mentis, „ sumitur pro Spiritu sancto. Dicit autem causam renovationis esse Spiritum sanctum, qui habitat in mente nostra; Galat. V: Misit Deus spiritum Filii sui in corda, etc.; Psal. CIII: Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, etc. Vel potest accipi spiritus pro spiritu rationali, et tunc spiritus idem est quod mens nostra, et est simile huic quod dicitur Coloss. II: In expoliatione corporis carnis, idest corporis quæ est caro, ita hic spiritus mentis, idest spiritus qui est mens; hoc autem dicit, quia in nobis est alius spiritus qui non est mens: qui scilicet est communis nobis et brutis. Dicit autem: " Renovamini spiritu mentis, „ quia illud quod non est corruptum est novum, nec renovatione indiget. Nam si Adam corruptus non fuisset, renovatione non indiguisset, nec nos etiam. Sed quia corruptus fuit, renovatione indiguit, et ejus posteriores. — " Et induite novum hominem. „ Hic

advertendum est quod sicut uniuscujusque rei primum vetustatis principium fuit Adam, per quem peccatum in omnes intravit: ita principium primum novitatis et renovationis Christus est; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur; Rom. XIII: Induimini ergo Dominum nostrum Jesum Christum. Sic similiter anima quando pervenit ad statum unionis habitualis et actualis fruitivæ, quia jam est transformata in Deum, omnes affectus animæ et operationes, quæ in sua natura erant imperfectæ et infimi ordinis, fiunt divinæ, et vivit jam vita Dei, et potest dicere illud Apostoli, ad Galat. II: Vivo ego: jam non ego; vivit vero in me Christus.

898. Anima in hac unione habituali et actuali fruitiva dicitur specialiter templum Domini et altare ejus. Explicans D. Thomas illud Psal. X: Dominus in templo sancto suo (*ait*): Anima sancta dicitur templum. I. Corinth. III: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis. Dicit divus Thomas explicans hunc locum, ad Rom. VIII: Dictum est: Spiritus qui suscitavit Jesum Christum habitavit in vobis. Ezech. cap. XXXVI: Spiritum meum ponam in medio vestri. Ex quo patet quod Spiritus sanctus est Deus, per cujus inhabitationem fideles dicuntur templum Dei: solum enim inhabitatio Dei templum Dei facit. Templum dicuntur fideles propter devotionem, cœlum propter sapientiam. Dicitur etiam anima templum, quia in templo Deus adoratur: similiter in anima fideli. Matthæi VI: Intra in cubiculum tuum, idest secreta animæ tuæ, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Item, ibi offeruntur sacrificia: similiter in anima fideli; Psal. XXX: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. In templo funduntur orationes ad Deum: ita in anima operatur Deus, et eam sanctificat, et in eam descendit, sicut in templum. Idem explicat D. Thomas super Psal. XXV: Et circumdabo altare tuum, Domine. Altare est in templo: vir justus est templum Dei, ejus cor est altare; Levit. VI: Ignis, scilicet charitatis, in altari, idest in corde, semper ardebit. " Et circumdabo altare tuum, Domine. „ Hoc altare debemus circumdare, vel juxta stare, idest ornare semper redeundo ad Christum. Prov. IV: Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit, scilicet quod speciale est in anima quæ gaudet hac unione: Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. D. Dionysius:

Bonum et pulchrum est ab omnibus diligibile. Hæc est pulchritudo domus Dei. Numer. XXIV: Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus. Hæc pulchritudo est ipsorum sanctorum: sed hic decor est ex habitatione Dei, et quia animæ unitæ Deo per unionem habitualem et actualem fruitivam habent Deum speciali modo, ideo Deus diligit decorem earum.

899. In hac unione ita transformatur anima in Deum, ut possidere dicatur regnum Dei. Salvator noster dixit discipulis suis, Lucæ XVII: Regnum Dei intra vos est. Et D. Paulus, ad Rom. cap. XIV, dixit quod regnum Dei est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Et exponens hunc locum D. Thomas dicit quod "justitia" refertur ad exteriora opera, quibus homo unicuique reddit quod suum est, vel ad voluntatem hujusmodi opera faciendi, ut dicitur Matthæi VI: Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus. Pax autem refertur ad effectum justitiæ. Per hoc enim pax maxime perturbatur, quod unus homo non exhibet alteri quod ei debet; unde dicitur Isaiæ XXXII: Opus justitiæ pax. Gaudium autem referendum est ad modum, quo sunt justitiæ opera perficienda; ut enim dicit Philosophus, I. Ethic., Non est justus, qui non gaudet justa operatione. Unde et in Psal. XCIX dicitur: Servite Domino in lætitia. — Causam autem hujus gaudii exprimit dicens: " in Spiritu sancto. " Est enim Spiritus sanctus, quo charitas Dei diffunditur in nobis. Illud enim est " gaudium in Spiritu sancto, " quod charitas parit, puta cum aliquis gaudet de bonis Dei et proximorum. Unde I. Corinth. XIII dicitur quod charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Et Galat. V dicitur: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax. — Hæc autem tria, quæ hic tanguntur, imperfecte quidem in hac vita habentur: perfecte autem quando sancti possidebunt regnum Dei sibi paratum, ut dicitur Matthæi II. Ibi erit perfecta justitia absque omni peccato; Isaiæ VI: Populus tuus omnes justi. Ibi erit pax absque omni perturbatione timoris; Isaiæ XXXII: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ. Ibi erit gaudium; Isaiæ XXXV: Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. — Probat deinde quod dixerat, scilicet quod in his regnum Dei consistit.nime Ill e

homo videtur ad regnum Dei pertinere, qui placet Deo, et a sanctis hominibus approbatur: sed hoc illi contingit in quo invenitur justitia, pax et gaudium, ergo in his est regnum Dei. Dicit ergo: Dictum est quod " Regnum Dei est justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto. „ Qui ergo in hoc servit Christo, qui est Rex hujus regni, secundum illud Coloss. I: Transtulit nos in regnum Filii dilectionis sæu, ut scilicet vivat in justitia, pace et spirituali gaudio, " placet Deo, „ qui est hujus regni actor. Sap. IV: Placens Deo, factus est dilectus. " Et probatus est hominibus, „ idest ab eis approbatur, qui sunt hujus regni participes. Hæc ille. Anima transformata in Deum in ista unione, cognoscit se habere regnum Dei, quia Spiritus sanctus, qui habitat in illa speciali modo per perfectam charitatem, communicat illi pacem et gaudium, quia cum habeat jam beatitudinem inchoatam, gaudet pace sine perturbatione, et lætitia; quia, ut dicit Isaias, Beati gaudium et lætitiam obtinebunt.

900. Ista anima in hac unione vere fruitur pace, quia, ut dicit D. Thomas, super caput XXVI Isaiæ, tria sunt quæ faciunt pacem in præsenti. Primo, contemptus temporalis opulentiæ; Isaiæ LVII: Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Secundo, subjugatio carnalis concupiscentiæ; Eccli. XLIV: Pacificantes in domibus suis. Tertio, contemplatio divinæ sapientiæ; Psal. LXXV: In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion. — Pax Sanctorum, secundum Augustinum, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, et consortium charitatis. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Philipp. IV: Gaudete in Domino semper, ponit conditiones veri gaudii, qui est effectus charitatis, quæ sunt quatuor. Prima, debet esse rectum, quod est quando est de proprio bono hominis, quod non est quid creatum, sed Deus. Psal. LXXII: Mihi adhærere Deo bonum est. Tunc autem rectum est, quando in Domino; ideo dicit: " in Domino. „ Nehemiæ VIII: Gaudium Domini est fortitudo vestra. Secunda, debet esse continuum. Unde dicit " semper. „ I. Thess. ult.: Semper gaudete; quod fit quando non interrumpitur peccato: tunc enim est continuum. Aliquando vero interrumpitur per tristitiam temporalem, quod significat imperfectionem gaudii. Cum enim quis perfecte gaudet, non interrumpitur ejus gadiuum, quia

parum curat de re parum durante. Et sic dicit " semper. „ Tertia, multiplicatum debet esse; si enim gaudes de Deo, imminet tibi gaudere de ejus incarnatione. Lucæ I: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est, etc. Quarta, ut gaudeas de actione. Prov. XXI: Gaudium est justo facere judicium Anima in ista unione et transformatione experitur omnes istas conditiones gaudii. Gaudet in Domino semper, sine interruptione, cum multiplicatione, et gaudet de actione ejus, nimirum de ejus contemplatione. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Hebr. XII: Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, dicit quod fruitio in duobus consistit, scilicet in visione intellectus, et in delectatione affectus; ut enim dicit Augustinus, fruimur cognitis, idest quibus voluntas delectata conquiescit. Propter visionem enim dicit: Accessistis ad montem Sion; Sion enim significat altitudinem divinæ contemplationis. Jucunditas et delectatio affectus, significatur per " Jerusalem civitatem cœlestem Dei viventis. „ Ibi enim erit visio experimentalis pacis, quia nihil erit perturbans sive interius, sive exterius. Anima in ista unione fruitur Deo secundum visionem, quia ipsum videt per speciem infusam, et fruitur delectatione affectus.

901. In hac actuali et habituali unione consistit hujus vitæ felicitas et inchoata beatitudo. D. Thomas, Opusc. LXIII, in quo disputat de beatitudine, dicit: Beati qui habitant in domo tua, Domine. Domus Dei est æterna beatitudo, quam naturaliter omnis homo desiderat, ut dicit Augustinus. Illa beatitudo consistit in Dei cognitione, dilectione, fruitione, unione, laude, gratiarum actione, et congratulatione, de quibus sigillatim dicemus.

902. In illa beatitudine, dicit D. Thomas, Opusc. citato cap 1, cognoscitur Deus facie ad faciem sicuti est, hoc est Deus per Deum. Unde Psal. XXXV: In lumine tuo videbimus lumen, hoc est, Deum Patrem in Filio Deo, et Filium Deum in Patre Deo, et Spiritum sanctum in utroque. De isto dicit Apostolus, I. Corinth. XIII: Tunc cognoscam sicut cognitus sum. Tunc oculo ad oculum Deus manifestabitur in omni divina natura sua, scilicet potentia, sapientia, bonitate; de quo dicitur Isa. XLV: Vere tu es Deus absconditus. Ibi cognoscit anima quod intellectus capere non potest, videlicet quomodo æternus Deus et

immensus, Deus unus est in substantia, et trinus in personis. Item, lucide cognoscit quomodo Filius æternaliter nascitur a Patre, et quomodo Spiritus sanctus continue procedit æqualiter ab utroque: nec tamen una persona major vel minor est alia. Item, ibi perspicue cognoscit anima quomodo divinitas et humanitas inseparabiliter unita est in una persona Jesu Christi, et quidquid Deus habet per naturam, habet ille homo per gratiam. In via viatorum perfecta, et illorum qui sunt in statu unionis perfectæ, jam datur beatitudo inchoata, ut docet D. Thomas, 1 2, q. 109, art. 1, et in aliis, quia quamvis præsentem sentiat intellectus Deum, non tamen ipsum intuetur; cognoscit ipsum experimentali cognitione, non tamen per lumen gloriæ, sed per lumen fidei, et per donum intellectus; tum etiam quia perfectissimi actus, ac perfectissimo modo eliciti, quibus anima Deo inhæret ipsumque prægustat, potius sunt assecutiones finis, quam exercitia mediorum: in finis autem assecutione consistit beatitudo. Quantæ animæ perfectæ et positæ in hac unione affirmant quod jam non vident Deum in tenebra, sed Deus se manifestat cum majori certitudine et claritate ineffabili. Multi sunt sancti qui affirmant quod sanctissima Trinitas, tres quoque personæ se illis manifestaverunt visione intellectuali, per modum repræsentationis. Et cognoverunt modum Incarnationis, et modum quo existit Christus in sacramento altaris. Ista omnia vocantur beatitudo inchoata, qua gaudent animæ in isto statu perfectæ unionis.

903. In illa cognitione beata dicit D. Thomas, Opusc. citato, cap. 2, quod amabitur Deus per Deum, hoc est per Spiritum sanctum. Et dilectio qua Pater diligit Filium est æterna et immensa, scilicet per Spiritum sanctum, qui est nexus utriusque. Ibi etiam amatur Deus ad Deum. Nam amor Dei vehementer ducit Deum in animam, et animam in Deum, juxta illud I. Joan. IV: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Quare? quia Deus charitas est. O quam felix anima, quæ se absque interpolatione, ex omni virtute sanctæ Trinitatis, ad omne et propter omne quod ipsa sentit se amari, et Deum tanto amore circa se occupari quasi omnium creaturarum sit oblitus: cujus beatitudo augetur, cum e converso in amorem sanctissimæ Trinitatis cum omnibus viribus suis penitus se immergit! Ibi etiam diligitur Deus propter Deum. Anima

enim ibi diligit Deum, non ob hoc solum quod sibi bonus est, largus et misericors est: sed ob hoc multo fortius quod simpliciter in se bonus, largus et misericors est. In statu unionis perfectæ habet anima beatitudinem inchoatam quantum ad amorem, quia quamvis voluntas Deo fruatur per charitatem, non tamen complete, maxime quia licet intimam sentiat esse sui cum Deo unionem, non tamen penitus indissolubilem; ad rationem autem perfectæ et completæ beatitudinis omnino requiritur quod bonum, in cujus possessione consistit, apprehendatur ut inamissibile.

904. In beatitudine fruitur anima Deo per Deum. Ita D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 3: Fruitio est delectatio proveniens ex conjunctione intellectus et affectus in Deum. Cum enim anima figit intellectum in æternitatem, immensitatem, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, largitatem, charitatem, nobilitatem Dei etc., statim affectus animæ delectatur in singulis intellectis. De hac fruitione dicit Isaias, LX: Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum. Videbis intellectu divinam naturam et divina opera, et afflues delitiando in singulis, et mirabitur cor tuum Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, et dilatabitur cor tuum ad suscipiendam Trinitatem cum omni quod habet et potest. Ad hanc delectationem vocabat olim Dominus per prophetam Isaiam dicens, LV, 1: Omnes sitientes, venite ad aquas; et qui non habetis pretium, venite, bibite absque ulla commutatione vinum et lac. Vinum divinitatis, et lac humanitatis. In statu unionis perfectæ habet anima beatitudinem inchoatam quantum ad fruitionem, quia delectatio hic tam modica est quod tota intrat in animam, illic vero tanta est quod non potest tota in animam intrare, sed anima intrabit in illam, juxta illud Augustini: Non totum gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Hic enim anima semper impeditur ex delectatione creaturarum a delectatione Creatoris. Hoc præfiguratum est in Judæis, quibus nequaquam dedit manna durante farina circa triginta dies, quam tulerant ex Ægypto, qua cessante præstitit eis panem de cœlo habentem in se omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis.

905. In illa beatitudine anima unitur Deo per Deum (ita D. Thomas, Opusc. LXIII, c. 4), cum consuetudines et mores Dei mos incessanter tenere vel habere dignoscitur, cum divinæ vo-

luntati et exemplis Jesu Christi sanctissimis conformatur, cum singulis virtutibus et donis Spiritus sancti secundum ordinationem Dei æternam perfruitur, cumque divinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, veritatis, et totius divinæ beatitudinis particeps efficitur. Hæc unio præfigurata est in libro I. Reg. XVIII, ubi anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum quasi animam suam. In isto statu perfectionis anima unitur Deo: sed tamen quia est status viæ, unio ad Deum est miserabilis et inconstans, quæ nunquam in eodem s atu permanet, teste Job; quæ etiam a familiaritate Dei peccatis venialibus elongatur. Est unio beatitudinis inchoatæ.

906. In illa beatitudine anima laudat Deum ex omnibus viribus suis. Ita D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 5. Ad hoc enim creata est, ut dicit Dominus per Isaiam, XLIII: Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Ad hoc monet Eccli. XLIII: Laudate Deum quantum potestis, adhuc supervalebit, adhuc dignior est omni laude. Ad hoc monet Joannes in Apoc. XIX: Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus. Ista laus erit per Deum unigenitum Filium Dei, per quem etiam majestatem Dei omnes Angeli laudant, ut cantatur in Præfatione. Hæc laus est tanto amabilior sanctæ Trinitati, tanto utilior communitati, quam facit anima per Dei Filium, quam si faceret per seipsam, quanto Creator dignior est creatura: ista laus est animæ refectio, cui nulla similis videtur delectatio. Hæc laus procedit ab anima ex nimio fervore charitatis, et ex nimia delectatione ad Deum. O quanta jucunditas ubi omnibus sanctis una erit lingua jubilationis indefessa, ut dicit Bernardus, ubi omnes sancti et Angeli concorditer Deum laudant, et tamen dissimiliter; sicut enim differunt in cognitione et amore, ita etiam in laude. Hoc opus laudis divinæ non abstrahit, nec elongat a Deo, nec generat laudanti fastidium, licet sit opus continuum. In isto statu unionis perfectæ, qui est status beatitudinis imperfectæ, anima laudat Deum, et per Deum, sed non continue, quia causaret illi tædium. Laudat totis viribus quantum patitur status viatorum. Laudat ex charitate, sed non omnino perfecta, quia est charitas viæ.

907. In illa beatitudine anima fidelis refert gratias Deo pro singulis donis naturalibus et gratuitis animæ et corporis, pro singulis spiritualibus et temporalibus. Ita D. Thomas, Op. LXIII,

cap. 6. Hæc gratiarum actio erit per Deum Dei Filium, sicut Apostolus dicit: Gratias ago Deo meo per Jesum Christum. Per ipsum solum gratias referre præsumo, cui solum veraciter cognita est magnitudo et multitudo donorum, et nobilitas et utilitas ipsorum; et per magnitudinem virtutum suarum respondere præsumo magnitudini donorum; et per multitudinem virtutum suarum multitudini donorum, et utilitatem donorum digne offerre præsumo Deo Patri placentiam Filii, cui olim dixit, Matthæi XII: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi, idest beneplacitum meum summe perfeci. Beneplacitum Dei Patris in Filio est pro universis donis suis digna gratiarum actio. Anima in statu unionis perfectæ gratias agit Deo, quia ei imaginem sanctæ Trinitatis impressit, juxta illud Psal. IV: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; et quia Spiritum sanctum cum donis suis et omnibus virtutibus in baptismo contulit; et quia eam corpore et sanguine suo delectabili sæpe reficit; et quia ei sacram Scripturam concessit, divinam naturam occultam manifestantem, omnem voluntatem suam manifestantem, indicantem nobilitatem, et utilitatem omnium donorum demonstrantem: sed quia est in statu beatitudinis inchoatæ, semper est cum multis imperfectionibus.

908. In statu beatitudinis perfectæ anima continue gratulatur Deo. Ita D. Thomas, Opusc. LXIII, c. 7. Et hoc est in omnibus operibus suis parvis et magnis, in omnibus judiciis circa bonos et malos, in omnibus motibus suis perfectissimis, in omnibus exemplis Jesu Christi sanctissimis, in omni beatitudine et perfectione sua, quæ consistit in potentia, sapientia, bonitate æterna et immensa. Et hæc gratulatio erit per Deum Dei Filium, in quo solo vere gaudere Deo possumus, qui solus beneplacitum Patris semper in summo perficit et perfecit, sicut ipse testatur, Joan. VIII: Quæ placita sunt ei facio semper; et David dicit de omnibus aliis, Psal. XIII: Omnes declinaverunt etc. usque ad unum, idest Jesum Christum; et Salomon, Eccle. VII: Unum virum ex omnibus reperi (supple: qui Deo Patri per omnia, et in omnibus complaceret): mulierem autem non inveni. In beatitudine inchoata congratulatur anima cum Deo eo modo quo dicebat David: Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Et est maxi-

mum discrimen inter gratulationem beatitudinis perfectæ et inchoatæ, quod perfecta beatitudo in clara visione intuitiva Dei consistit, et Deum intra se habet: beatitudo inchoata non Deum clare videt, sed in ænigmate, et verius absentem quam præsentem contemplatur, quamvis sæpe præsentem dixerimus intellectui ob specialem ejus notitiam experimentalem: quæ tamen ad possessionem simpliciter dictam non sufficit, et ideo non est congratulatio perfecta, sed inchoata.

ARTICULUS X.

Quæ necessariæ sint tam præviæ quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem animæ cum Deo.

909. Quando Deus alicui perfectam tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ vult formam communicare, quamvis absolute possit, si velit, honestare pauperem: secundum tamen cursum ordinarium suæ divinæ providentiæ, plures ante dispositiones præparat introductioni talis formæ proportionatas, quæ vocantur prævіæ, quibus subjectum ad illam recipiendam disponitur, et simultaneas sive concomitantes ipsam formam, subjecto impressas, conservat, ut et ipsa forma mediis illis diu conservari valeat. De his dispositionibus loquitur divus Thomas, 3, q. 9, art. 3, ad 2: Dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem; alio modo sicut effectus a perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis: qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam. Quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Cum igitur intima unio actualis fruitiva animæ cum Deo sit suprema quæ in præsenti vita potest intra ordinem gratiæ forma communicari, et summum quod conferri potest beneficium, sequitur quod multæ debeant dispositiones præcedere, et multæ concomitari.

910. Via purgativa disponit ad hanc unionem, contrarias dispositiones removendo. De hac dispositione loquitur D. Thomas 1 2, q. 88, art. 3, in corp.: Disponens est quodammodo causa; unde secundum duplicem modum causæ est duplex dispositionis modus. Est enim causa quædam movens directe ad effectum, sicut calidum calefacit. Est etiam causa indirecte movens, removendo prohibens: sicut removens columnam dicitur removere lapidem superpositum. Hoc modo disponit via purgativa ad unionem, contrarias dispositiones removendo. D. Thomas in II, dist. 21, q. 2, art. 3, ad 1, dicit quod duplex est dispositio: quædam est quæ necessaria est ad esse ejus ad quod disponit, sicut calor ad formam ignis; quædam vero dispositio ordinatur ad facilitatem ejus ad quod disponit, quod quidem sine ea esse potest, sed non ita de facili: sicut quod ligna perfundantur oleo, ut inflammentur citius; et hoc modo via purgativa disponit ad unionem. Dicit D. Thomas 1 2, qu. 74, art. 4, ad 3: Dispositio tripliciter se habet ad id ad quod disponit. Quandoque enim est idem et in eodem: sicut scientia inchoata dicitur esse dispositio ad perfectam scientiam. Quandoque autem est in eodem: sed non idem; sicut calor est dispositio ad formam ignis. Quandoque vero nec idem nec in eodem, sicut in his quæ habent ordinem ad invicem: sicut bonitas imaginationis est dispositio ad scientiam. Aliquando omnibus his modis potest disponere via purgativa ad unitivam. Dicit D. Thomas, Quæstione unica de virtutibus, art. 1, ad 8, quod dispositio ad aliquid dicitur id per quod aliquid movetur in illud consequendum. Motus autem habet quandoque terminum in eodem genere, sicut motus alterationis est qualitas: unde dispositio ad hunc terminum semper est ejusdem generis cum termino. Quandoque vero habet terminum alterius generis, sicut alterationis terminus est forma substantialis: et sic dispositio non est semper ejusdem generis cum eo ad quod disponit, sicut calor est dispositio ad formam substantialem ignis. Via purgativa utroque modo potest disponere ad unionem perfectam, sed non semper utroque modo disponit. Semper enim via purgativa movetur ad moderandos omnes actus sensuum externorum et internorum, et etiam ad moderandos omnes actus intellectus et voluntatis, et ad moderandas passiones, ut anima possit uniri Deo; et aliquando isti actus

exercentur mediante gratia, et sic sunt ejusdem rationis cum termino.

911. Quidquid in via purgativa contingit disponit ad hanc unionem tam in purgatione activa quam passiva, et sic illud tædium quod reperitur in purgatione passiva est dispositio ad unionem, quia est malum pœnæ. Tædium veræ et substantiali devotioni contrarium est. Est enim horror quidam orationis, et tristitia ac languor animi in omnibus quæ pertinent ad cultum et obsequium Dei. Intellectum obscurat et ligat, ne in rebus meditandis discurrere valeat; voluntatem obdurat, cogitationem vero dissolvit, ut in noxia aut inania festinet; appetitum ad terrena deprimit, corpus gravat, et animam ad ea quæ sunt mundi post se trahit. Illa ariditas seu quæ in purgatione passiva reperitur, cum sit pœna, etiam est dispositio ad hanc unionem. Vocatur arida, sumpta metaphora a terra sterili, quæ accepto optimo semine proventum speratum non refert. Anima sæpe sarculo mortificationis excolitur, et a sentibus et zizaniis purgatur, et desideriis et exercitatione virtutum prævenitur, et præparatione eorum quæ meditanda sunt tamquam bono semine uterus intellectus ejus impletur. Tempore autem orationis, idest fructus ferendi, non sanctas et ordinatas cogitationes, nec fervidos virtutum affectus, sed distractionum tribulos, et affectuum illis correspondentium spinas progignit. Hæc est ariditas et sterilitas, quia pluvia cœlestis deficit. Idem dico de desolatione quam patitur anima in purgatione passiva; est dispositio ad hanc unionem. Est ergo desolatio ægritudo inferioris sive sensualis partis hominis ad cœlestia spirantis, quæ ex rebus spiritualibus gaudium et lætitiam non percipit. Homo namque aliquando est ad orationem et cultum Dei minime promptus, immo ineptus et inidoneus: et tunc tædio laborat, et vocatur tepidus et indevotus. Aliquando vero est ad orationem et Dei obsequia satis pronus; at imbrem meditationum et affectuum, considerationi incumbens, non percipit: et tunc sterilitate afficitur, et est substantialiter quidem devotus, sed aridus. Nonnumquam denique et est ad divinum famulatum promptus et alacer, et in oratione sanctis cogitationibus et affectibus secundum intellectum et voluntatem irrigatur; at appetitus famelicus et mendicus manet, et contradictionem sentit, et sensibili devotione privatur, et tunc

desolatione torquetur. Et ista desolatio est dispositio ad unionem.

912. In via purgativa reperiuntur angustiæ et tribulationes, quæ sunt dispositiones ad istam unionem. Isaias, cap. I: Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stamnum tuum. D. Thomas: " Et convertam manum meam ad te „ puniendum, quam parcendo quasi plicatam tenueram. Job XIX: Manus Domini tetigit me. " Excoquam „ igne tribulationis " ad purum scoriam tuam, „ quousque aliquid purgandum sit. Matthæi V: Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem. " Auferam omne stamnum tuum, „ quia pro omni peccato puniam. Isaiæ XL: Recepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Et ideo dicit D. Thomas in III, dist. 27, q. 1, art. 1, ad 4: Nihil potest in alium transformari, nisi secundum quod a sua forma quodammodo recedit, quia unius una est forma; ita anima non potest in Deum transformari in istam unionem, nisi prius relinquat suam formam naturalem. — Cant. III dicitur: Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Divus Thomas: Per " ferculum „ designatur Ecclesia, in qua velut in lecto requiescunt sancti Dei, et velut in lecto discumbunt ad epulas æternæ satietatis. " De lignis Libani „ fecit Salomon ferculum. Libanus mons est Phœniciæ, cujus arbores et proceritate, et pulchritudine, et durabilitate cæteris præeminent. Ideoque significant sanctos virtutum specie fulgentes, et ad æterna festinantes. Libanus enim candidatio vel dealbatio interpretatur. Ligna ergo Libani sunt sancti candidati et dealbati Baptismo, et exornati omnium virtutum pulchritudine. " Columnas ejus fecit argenteas; „ per columnas Doctores Ecclesiæ figurantur. " Reclinatorium fecit aureum; „ per reclinatorium aureum, requies æterna accipitur, quæ sanctis in Ecclesia promittitur. " Ascensum purpureum; „ purpureus ascensus significat passionem, tribulationem et angustiam, quia purpura colorem sanguinis imitatur, quia ascensu purpureo ad reclinatorium aureum pervenitur. Hæc ille.

913. Favet etiam explicatio D. Gregorii in hunc locum. Ligna Libani imputribilia esse asseruntur. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, quia secundum præsentiæ suæ

gratiam, Christus sanctam Ecclesiam in æternum permansuris sanctis construxit. Columnas ejus fecit argenteas. Quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, quos ut eam exemplis sustentarent, magna justitiæ rectitudine roboravit, et ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii, quasi splendore argenti, decoravit. Reclinatorium aureum fecit, quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione, dum eis pulchritudinem cœlestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis composuit: quia locum in quo refocillantes requiescant apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur, quia melior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur ei non possunt comparari. Hæc ille. Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur: ideo ascensus recte purpureus esse dicitur.

914. Quidquid in via illuminativa accidit, disponit ad hanc divinam unionem, et hoc positive. Illa clarissima lux, quæ intima cordis arcana et centrum animæ penetrans, omnes ejus defectus quantumcumque latentes et minimos ei manifestat, et adjunctis circumstantiis, maxime personæ offendentis et offensæ, mirabiliter animam cruciat, intellectum tenebris obvolvendo, et voluntatem quadam abjectione et desperatione ad extremas angustias reducendo. Intellectus obvolvitur tenebris, per hoc quod media illa luce clarissima sic in propriorum defectuum consideratione detinetur, ut ad divina et cœlestia non possit elevari; unde in crassa et tenebrosa miseriarum suarum caligine totus absorbetur, nec potest ad alia, quæ recreare possent, se divertere; voluntas autem quadam abjectione et desperatione ad extremas reducitur angustias, per hoc quod detectis tot tantisque miseriis et infirmitatibus propriis, non potest non horrere seipsam, velut causam et radicem ipsarum: et sic ex una parte abjecte de seipsa sentire, ex alia vero parte de divina bonitate quodammodo desperare, cum tot modis se eam offendisse supponat. Unde anima angustiata et nimis afflicta gemit, et in mediis suspirando et gemendo clamat angustiis, quia multiplicata sunt peccata ejus supra multitudinem stellarum ac numerum arenæ maris, et credit se indignam aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis suæ. Istud in quo formaliter consistit purgatio passiva disponit ad hanc unionem.

915. Motivum enim purgationis partis intellectivæ est ut imperfectiones et defectus tam actuales quam habituales in anima remanentes, quos purgatio passiva partis sensitivæ non potuit eradicare, penitus evacuentur; et quia purgatio partis sensitivæ non ita immediate ordinatur ad unionem sicut purgatio partis intellectivæ, inde est quod non est ita efficax in purgando subjecto quantum purgatio partis intellectivæ, quæ directe et immediate ad dictam concurrit unionem: et sic purgatio partis intellectivæ disponit ad istam unionem.

916. Duo alia genera dispositionum adducuntur a Doctoribus mysticis ad hanc unionem, scilicet activum et passivum. Sub activo continentur omnes illæ dispositiones, quas anima, divinis tamen auxiliis præventa et roborata, solet propria cooperans industria paulatim acquirere: sub passivo autem continentur aliæ, quas Deus animæ non cooperanti, sed tantum consentienti, infundit. Per primum genus dispositionis dicitur anima proprie seipsam disponere; per secundum dicitur a Deo proprie disponi. De his duobus generibus dispositionum loquitur D. Thomas, p. p., q. 23, art. 2, ad 3: Duplex est præparatio, quædam patientis ut patiatur, et hæc præparatio est in præparato. Quædam alia est agentis ut agat, et hæc est in agente. Eamdem divisionem ponit D. Thomas in 1, dist. 40, q. 2, art. 1, ad 2. Idem dicit de Veritate, q. 6, art. 1, ad 8: Præparatio importat proprie dispositionem potentiæ ad actum. Est autem duplex potentia, scilicet activa et passiva, et ideo duplex est præparatio: una patientis, secundum quem modum dicitur materia præparari per formam; alia agentis, secundum quam dicitur quod aliquis se præparat ad agendum aliquid. Hanc eamdem divisionem ponit D. Thomas quando, 1 2, q. 11, art. 2, dividit gratiam in operantem et cooperantem, loquendo de gratia actuali quæ est auxilium.

917. Dispositio activa consistit in auxiliis divinæ gratiæ, quibus mediis Deus movet animam, seu, ut communiter dicunt, in tactibus, quibus mediis tangit animam. De quibus disputat D. Thomas p. p., q. 105, art. 2, ad 1: Duplex est contactus, scilicet corporalis, sicut duo corpora se tangunt; et virtualis, sicut dicitur quod contristans tangit contristatum. Secundum igitur primum contactum, Deus, cum sit incorporeus, non tangit, nec tangitur; secundum autem virtualem contactum, tangit

quidem movendo creaturas, sed non tangitur, quia nullius creaturæ virtus naturalis potest ad ipsum pertingere. Et sic intellexit Dionysius quod non est tactus Dei, ut scilicet tangatur. De isto tactu virtuali loquitur D. Thomas p. p., q. 75, art. 1, ad 3: Duplex est contactus, quantitatis et virtutis. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporea. Et in IV, dist. 44, q. 3, art. 3, ad 7: Datur tactus spiritualis, sicut motor cœli, cum sit spiritualis, spirituali tactu tangit cœlum. Et quæst. 28, de Veritate, art. 3: Ipse autem Deus qui justificat impium tangit animam, gratiam in ea causando. Unde et in Psal. CXLIII: Tange montes; Glossa: De gratia tua.

918. Cantic. v dicitur: Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. D. Thomas: Dilectus manum per foramen mittit et ventrem tangit, cum interna Conditor inspiratione visitat cor, et ad profectum accendit, sive etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus quia cum esset Deus, homo pro nobis fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens, cœlestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam æternam nobis daret. D. Gregorius explicans eumdem locum sic ait: Manum dilectus ad sponsam mittit per foramen ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divinæ virtus ei inspirando manifestat: quod videlicet et inter pericula (*se*) salvare possit, quod etiam in pace nisi per eum salvus sit nemo, quod in tumultu certaminis sperantes in se non derelinquat. Ad cujus tactum venter sponsæ intremiscit: quia sancta anima quo amplius divinam potentiam per interiorem visitationem præsentialiter sentit, eo districtius judicat quidquid in se carnale deprehendit. Quo enim majori charitate in eum ardet quem mente concupiscit, eo timidius se se subjicit, et amplius veretur ne sponsus in ea aliquid inveniat propter quod eam a se dimittere velit. Idcirco sponso obediens ad laborem se præparat, ut sicut in quiete familiaris sponso, sic et in labore devote serviens appareat. Ideo subdit dicens: Surrexi ut aperirem dilecto meo. Tacta surgit ut aperiat: quia dum spiritum dilectionis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat. Divus Thomas, loquendo de modo quo Deus hominem movet, 1 2, quæst. 110, art. 2, dicit quod præter auxilium speciale quo Deus hominem movet ad bene operandum, ponendus est in anima

justificatorum habitus gratiæ. Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo inquantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur in III. Physic. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animæ infunditur. Et sic motus quibus a Deo movetur, sunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sap. VIII: Et disponit omnia suaviter. Multo igitur masig illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum. Hæc ille.

919. Advertendum tamen est pro ista dispositione activa id quod quærit D. Thomas 1 2, q. 112, art. 2: Utrum requiratur aliqua præparatio et dispositio ad gratiam ex parte hominis. Et respondet in corpore articuli: Gratia sumitur dupliciter. Quandoque quidem (*ut*) ipsum habituale donum Dei, quandoque autem (*ut*) auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quasi præveniens divinum auxilium: sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum ad hoc dicitur homo se præparare secundum illud Prov. XVI: Hominis est præparare animam. Et est principaliter a Deo movente liberum arbitrium. Et secundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis præparari, et a Domino gressus hominis dirigi. Hæc ille.

920. Quantum attinet ad dispositionem passivam, secundum quam dicitur anima a Deo disponi, dico quod de illa loquitur D. Thomas in I. Sent., dist. 17, art. I, ubi loquendo de perfectissima unione, de qua hic loquimur, animæ contemplativæ cum Deo, dicit quod anima, quæ hoc modo unitur Deo, debeat

esse expoliata ab omnibus habitibus imperfectis, tam partis sensitivæ quam spiritualis, et sit vestita et adornata habitibus supernaturalibus et donis supernaturalibus, et quod isti habitus et dona sint valde radicati in potentiis, quia, ut dicit divus Thomas loco citato, actus perfectus quo mediante unimur Spiritui sancto, debet procedere a potentia perfecta cum habitu, quia tunc (*eo*) magis fortificatur forma in subjecto quanto magis radicatur. Nec potest esse similitudo actus voluntatis ad Spiritum sanctum, nisi sit similitudo Spiritus sancti in anima per aliquam formam, quæ est principium actus, quo Spiritui sancto conformatur, quæ similitudo est per charitatem valde radicatam. Et ultima dispositio causatur ab illo qui causat formam, nempe charitatem efficienter, et sic ultima dispositio in ista unione perfectissima causatur efficienter a solo Deo. Dicit divus Thomas, 1 2, quæst. 61, art. 5, quod sunt quædam virtutes beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum, quæ vocantur jam purgati animi, ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando. Has virtutes infundit Deus tamquam dispositiones ultimas unionis perfectissimæ. Et D. Bonaventura, opusculo De septem gradibus contemplationis, hujus dispositionis passivæ duos affert gradus, qui magis propinqui et immediati sunt hujusmodi unioni perfectissimæ. Primus est unctio, idest roseus quidam liquor, qui per totam animam diffusus eam erudit, corroborat, confortat, disponens ipsam suaviter ad veritatis certitudines suscipiendas, pariter et contemplandas; quæ unctio mulcet, pinguedinem suam infundens, ut anima ad suscipiendos divinos radios in se aptior maneat. Alius gradus est voluptuosa interioris hominis elevatio supra seipsum, idest deserto exteriore homine, ut propius ad fontem divini amoris accedat: nam oblito exteriori homine anima pro viribus se ad altissima sursum extollit, mediantibus activis virtutibus, puritate scilicet et humilitate; humilitate deseritur homo exterior, puritate sursum agitur interior, ut divinos radios suscipere possit.

ARTICULUS XI.

Actualis fruitiva unio animæ contemplativæ cum Deo dividitur in sobriam et ebriam.

921. Multoties dictum est ex D. Thoma tam ex 2 2, q. 175, in qua disputat de raptu, quam ex quæstione XIII de Veritate, art. 1 et 2; et ex expositione D. Thomæ in c. XII II. ad Cor., quod raptus et extasis idem sunt, et solum differunt quod raptus importat quamdam violentiam: extasis enim definitur excessus mentis, cum aliquis actu ab usu sensuum et sensibilium rerum abstrahitur, ad aliqua supernaturaliter videnda. — Unio fruitiva dividitur in activam et passivam. Dicitur activa, quando anima divinæ gratiæ auxiliis prævenia et simul roborata, sed propria cooperans industria, se ad Dei contemplationem elevat, et ad aliqualem ejus fruitionem pertingit. Dicitur etiam unio affectuosa: per affectum enim charitatis nos Deo unimus; propterea Apostolus vocat charitatem vinculum perfectionis: et hæc est unio fruitiva sobria, quia totaliter in ea manet compos sui anima. Ejus radix est donum ut plurimum sapientiæ, cujus suavi et saporosa cognitione perfusus intellectus voluntatem allicit, et ad actum charitatis utcumque fruitivæ inflammat: qui actus non solum suaviter, sed etiam spontanee procedit. Dicitur autem passiva quando anima divini Spiritus impetu potius agitur quam agat et cooperetur ad hanc unionem; non enim tunc ad eam sua procedit industria, sed ad eam rapitur, et per infusam lucem divinam subito ad Dei contemplationem elevatur, et per vehementem amoris excessum ex tali luce dimanantem ad intimam Dei fruitionem promovetur, cum potentiarum suspensione et sensuum alienatione: non ideo tamen dicitur passiva, quasi intellectus et voluntas nihil ibi penitus operentur (cum certum sit contemplationem et amorem actus esse vitales, ac proinde elicitos a principio vitali ipsius, qui ab illis denominatur contemplans et amans); sed dicitur passiva, quia non seipsam libere applicat anima, sicut facit in unione sobria, ad tales actus contemplationis et amoris: verum impetu divini Spiritus acta ad illos

eliciendos applicatur, tam suaviter quam fortiter: non quidem violenter et coacte, sed efficaciter simul et spontanee; præcedente namque divinæ bonitatis notitia, per prædictamlucem infusam manifestata, statim voluntas connaturali huic statui propensione in actum amoris fruitivi prorumpit erga Deum, quem in intimo sui cordis recessu præsentem advertit. Dicitur igitur hæc unio passiva ratione principii moventis, qui est Deus, a quo movetur et agitur anima, velut ipsi subjecta et patiens divina, quamvis active ad suos actus concurrat. Unde sponsa hanc unionem fruitivam charitatis per verbum passivum exprimit dicens: Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

922. Hæc unio passiva prænominata dicitur actualis, quia consistit in prædictis actibus, ad differentiam habitualis, quæ in actu primo supernaturalium habituum sita est: dicitur ebria, quia fuit ordinata in cella vinaria, ad quam sponsus sponsam introduxit; unde de illa ad animas contemplativas dicitur, Cant. v: Bibite, amici! Inebriamini, charissimi! quasi prima pars ad sobriam unionem, secunda vero ad ebriam applicetur. — De ista ebria unione loquitur D. Thomas exponens illud Psal. XXII: Et calix meus inebrians quam præclarus est. Hic calix, dicit Sanctus, est donum divini amoris, qui inebriat: quia ebrius non est in se, nec secundum se loquitur, sed secundum impetum vini. Sic ille qui est plenus divino amore loquitur secundum Deum: est enim in extasim factus. Cant. v: Comedite, amici, et inebriamini! Jerem. XXIII: Factus sum quasi vir ebrius: et quasi homo madidus vino a facie Domini. Isaiæ LV: Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et inebriat terram, et germinare eam facit: sic erit verbum quod egredietur de ore meo. Vel calix dicitur sanguis Christi, quia debet inebriare. Et hoc quam præclarus est, idest maxime clarus, quia inebriando voluntatem, clarum et serenum relinquit intellectum. D. Thomas exponens illud verbum Isaiæ XXVIII: Ebriis etc., dicit: Inebriantur sancti. Primo, in lacrymis compunctionis; Isaiæ XVI: Inebriabo te lacryma mea. Secundo, calice compassionis; Ps. XXII: Calix meus inebrians quam præclarus est. Tertio, incentivo amoris; Cantic. IV: Comedite, amici, et inebriamini. Quarto, torrente felicis delectationis; Ps. XXXV: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.

923. De unione activa et passiva mentionem facit divus Bernardus, sermone II de Ascensione, dicens: Quidam trahuntur, qui dicere possunt: Trahe me post te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas; secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur Domino; tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia quasi sepulta arbitrii libertate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto ac supergresso adminiculo rerum ac sensuum, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem. Sed clarius et expressius de utraque loquitur Dionysius Carthusianus in commentariis Theologiæ mysticæ S. Dionysii Areopagitæ, dicens: Porro viri fideles, heroici et perfecti, longe sublimius Mysticam Theologiam sortiuntur, experiuntur, venantur per supernaturalia charismata Spiritus sancti; quod et dupliciter accidere solet. Primo, per eorum præparationem, cooperationem et conatum ad hoc dando seipsos ad abstractionem a cunctis creatis, et fervidam unionem cum Deo per recollectionem mentis suæ ad intra, et per affectuosissimam divini invocationem auxilii, ac considerando inflammativa divini amoris. Secundo, fit istud modo mirabili et eminentiori, quamvis forsan non magis meritorio semper, videlicet dum fervens amor absque conamine proprio præparationeque prævia, repente prævenitur, præstringitur, inflammatur, et super se tollitur, contemplationisque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur, ac vincitur, ut etiamsi velit resistere, nequeat; neque evadere possit supergratiosissimi spiritualem amplexum sponsi, a quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo vere idem sunt regio et habitator.

924. D. Thomas exponens illud Psal. XXX: Ego autem dixi in excessu mentis meæ, dicit sic: Excessus contingit quandoque ex causa interiori: et hoc quando videt stupenda ex quibus fit extra se; Actor. III: Repleti sunt stupore et extasi. Quandoque a causa superiori, quando scilicet contemplatur quis divina, et rapitur extra se supra se; II. Corinth. V: Sive mente excedimus Deo. Contingit ab admiratione sæpius in principio vitæ spiritualis; cum enim velit Deus tunc animam e sæculi miseriis eductam, vel e peccatorum sordibus ereptam in virtutum studio confirmare, cœlestes ei vel in visionibus, vel

in revelationibus, vel in internis suavitatibus gratiæ sensibilis communicationes concedit; et tunc anima favoris hujusmodi novitate commota et admiratione suspensa rapitur in extasim: sed paulatim illis assueta, quamvis diutius postea perseverent, non ita facile rapitur, quia ab assuetis non fit passio, ut docet Philosophia; tum quia natura magis purificata aptior est hujusmodi gratias, tam secundum partem superiorem absque admiratione, quam secundum partem inferiorem absque naturali immutatione, suaviter participare. Unde sæpius experientia constat quod tales extases in principio frequentiores, in progressu vitæ spiritualis paulatim deficiunt, quamvis anima sit multo perfectior. Quandoque vero a causa superiori, dicit divus Thomas, scilicet impetu Spiritus sancti, ut in hoc statu intimæ unionis, quando anima præsentem sentiens Sponsum, ejusque amore fervens, concessa illi nova aliqua notitia perfectionum sponsi, vel audita interiori ejus voce, vel exterius audito aliquo ad ipsum dirigente, tunc vehementius amor inflammatur, qui totam animam velut extra se ad sponsum rapiat. Et tales extases summam animæ, cui contingunt, perfectionem indicant, nec ita sunt frequentes sicut sunt aliæ a sola admiratione procedentes.

925. Tres sunt gradus unionis fruitivæ extaticæ. Primus gradus est cum e rerum visibilium consideratione ad invisibilium ac divinorum contemplationem ex ardentissimo ac suavissimo Dei amore elevamur. Istum adducit D. Thomas 1 2, q. 28, art. 3. Et aliquando ex hac contemplatione aliqua sensibilis devotionis participatio ad vires sensitivas redundat, ex cujus vehementia mentis alienatio causatur: et hic raptus extaticus in inferiori parte animæ perficitur, qui proinde non est ita purus, et communicari solet incipientibus adhuc in via purgativa ambulantibus. — Secundus gradus est, cum animus humanus jam purificatus et altius conscendens, ad divina immediate contemplanda assurgit, non utens ad hanc divinorum contemplationem speculo creaturarum, et illis amore nobiliori ac puriori, et contemplationi sublimiori proportionato suaviter inhæret; ex cujus vehementia supra se raptus ad divina sublimatur; et hic raptus in superiori parte animæ contingit, ac illis qui sunt in via illuminativa solet evenire. Istum adducit D. Thomas, 2 2, qu. 175, art. 1; et adducit illud Ezech. VIII:

Spiritus elevavit me inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei. — Tertius tandem gradus est, cum supra sensibilium et intelligibilium rerum imagines, simplici intelligentiæ oculo, supra id quod intelligi vel concipi potest, per omnium creaturarum ablationem sive negationem, ingredientes divinam caliginem, ut loquitur Dionysius, intuemur assidue, eique intime ac immediate vel cum effectu, vel per affectum unimur, et divinam ejus præsentiam vitali sensatione percipimus, per amorem fruitivum quodammodo in eum transformati. Istum adducit D. Thomas 2 2, q. 175, art. 2; videatur non solum in corpore articuli, sed etiam in solutionibus argumentorum. Hic raptus in suprema parte animæ, seu in ejus centro contingit, et solum conceditur his qui viam unitivam feliciter percurrunt et quasi perficiunt.

926. Sed adhuc in hoc tertio et supremo gradu unionis duplicem statum distinguimus. Nam aliquando est unio tantum affectiva, seu in affectu consistens: quamvis ex majori plenitudine lucis et amoris fruitivi causetur ardore, quam illa quæ contingit aliquando, sed raro, tam in via purgativa quam in via illuminativa. Aliquando vero est unio effectiva seu effective animam immediate Deo connectens, reali sed ineffabili vinculo; et hæc est summa quæ in hac vita haberi potest, et propria huic viæ unitivæ, quinimo ejus termino conveniens, propriissime mystica ac fruitiva nuncupatur. Istos duos modos adducit D. Thomas, q. 13, de Veritate, art. 2, in fine articuli. — Ad id quod ultimo quærebatur, hi duo status unionis in hac via unitiva repertæ plurimum adhuc inter se differunt. In primo namque, licet anima per ardentissimum et fruitivum amorem ipsi Deo suaviter adhæreat, in ipsum deliciose quodammodo transformata: non tamen cum effectu, sed tantum per affectum ipsi Deo immediate unitur, nec ejus amplexum, deosculationem, seu deificam præsentiam percipit; et licet experiatur aliquando miram dulcedinis suavitatem, ardentissimum amorem et splendorem Dei, sive radios divini Solis in animæ substantia commorantis, non tamen ipsum solem, nec illum ardentissimi caloris, fœcunditatis, lucis et splendoris uberrimum fontem attingit: propterea Deum præsentem adhuc suaviter sibi blandientem sentire desiderat, et in brachiorum ejus amplexu requiescere. Unde sublimior ac suavior in hoc tertio gradu sacræ

unionis animæ cum Deo status est, cum Deus animæ ipsi hanc intimam et experimentalem unionem desideranti, et ad illam suspiranti ac anhelanti sese communicat immediate, infundit, illabitur, et quantum viatoris adhuc conditio patitur manifestat; et ad se vicissim elevat animam intra se ipsam, vel etiam extra et supra seipsam ad seipsum rapit, blande osculatur, suaviter amplectitur, ac se intuendum, gustandum, possidendum, ponendum et amorose servandum se liberaliter offert. Hæc est unio felicissima, non solum in affectu, ut reliquæ, sed etiam simul in effectu reali consistens, quæ tantum in statu matrimonii spiritualis haberi solet.

ARTICULUS XII.

Debent omnes, et maxime Deo specialiter consecratæ animæ, ad actualem fruitivam unionem cum Deo aspirare et tendere.

927. D. Thomas pluribus in locis suorum operum affirmat omnes naturaliter appetere beatitudinem. Ita Op. LXIII in principio et in fine; et p. p., qu. 2, art. 1, ad 1: Cognoscere Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo; homo enim naturaliter desiderat beatitudinem: et quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates, quidam autem aliquid aliud. Et, 1 2, q. 5, art. 8, dicit quod beatitudinem, secundum rationem communem beatitudinis, omnis homo naturaliter vult, quia cum bonum sit objectum voluntatis, perfectum bonum est alicujus quod totaliter ejus voluntati satisfacit: unde appetere beatitudinem nihil aliud est quam appetere ut voluntas satietur, quod quilibet vult. Et non solum perfecta beatitudo, sed etiam qualiscumque similitudo vel participatio ejus naturaliter desideratur. Ita D. Thomas, 1 2, q. 3, art. 6 ad 2. Ideo necesse est quod anima, et specialiter

Deo consecrata, quæ perfectionis viam, Deo excitante et adjuvante, fuit ingressa, non sistat in via purgativa, laborum et dolorum difficultate perterrita; nec sedeat in via illuminativa, deliciis vitæ spiritualis ac Dei visitationibus illic recreata: sed conveniens, imo necessarium est ut pergat ulterius, totamque viam, etiam unitivam, percurrat, ut tandem ad suavitatem montis conscensa, Deoque intime unita, prædicta felicitate ac beatitudine inchoata fruatur. Non enim potest anima alibi quiescere, alibi satiari, quam in hac perfecta sui cum Deo unione. Ad illam Deus animam sæpius invitat: unde ait per Isaiam, cap. LV: Omnes sitientes, venite ad aquas; et, ut exponit D. Thomas: Vos, qui prius præ inopia sitientes eratis, " emite, „ sine pretio, " comedite „ panem et alia necessaria. Joan. XVII: Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ; et in deliciis. " Venite, emite, „ quasi: si emeritis, accipite " absque argento, „ idest minus quam justo pretio, " Vinum et lac; „ Cant. V: Bibite vinum meum cum lacte meo. " Quare appenditis, „ quasi dicat: quare hactenus argentum dabatis, et " panem „ emere non poteratis?

928. D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 4, loquens de unione perfecta animæ cum Deo, dicit quod hæc unio fuit præfigurata in libro Regum, ubi anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum quasi animam suam. Fidelis anima sic Deo conjungitur quod omne communicabile percipit per gratiam quod Deus per naturam, quia Deus Pater dicet unicuique fideli: Fili, tu mecum semper es, et mea omnia tua sunt. Ideoque singuli electi fiunt Dii, juxta quod in Psal. LXXXI dicitur: Ego dixi: Dii estis. Hæc unio animæ fidelis ad Deum fit per Dei Filium, quia ideo naturam assumpsit humanam, ut per ipsam eamdem transiret ad unionem divinam. Hanc unionem impetravit Filius Dei in oratione devotissima, dicens ad Patrem: Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; et iterum: Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. In hac unione est fruitio et delectatio. Et ad illam invitabat Christus, ut dicit divus Thomas in eodem Opusc., cap. 3: Stabat enim in die magnæ festivitatis, ubi multi convenerant, et clamabat, Joan. VII: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Et in Matthæo XI: Venite ad me, omnes qui

laboratis, et onerati estis, et ego ipse reficiam vos: non per aliquos ministros, sed per meipsum.

929. Si simplex vox invitantis Domini non sufficit tibi ut sequaris, et ad ipsum properes, audi Augustinum, In Psal. CII, suadentem, et ratione quodammodo compellentem: Bonum, inquit, tuum quære, o anima. Est enim bonum illud alteri, et omnes creaturæ habent aliquod bonum suum, bonum integritatis suæ et perfectionis naturalis suæ; interest quid cuique necessarium sit, ut perficiatur. Quære tuum bonum! Nemo bonus nisi Deus: summum bonum, hoc est bonum tuum. Quid ergo deest cui summum bonum bonum est? Pecori quid bonum, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, vivere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium.

930. Quid moraris, anima, quid sistis in aliis? Tende et propera Deo tuo uniri, tamquam principio, tamquam ultimo fini: ipse est centrum tuum, ipse locus naturalis, extra quem nusquam tibi bene erit. Dicit D. Thomas, Opusc. LXIII, art. 4: Deus summe perfectus est, quia omne bonum immensum naturaliter et æternaliter in se habet, et nullum bonum extra seipsum quærere oportet, et nullius bono, nullius auxilio aut consilio indiget, cum nihil boni sibi desit, et nemo quidquam boni sibi auferre possit. Nam bonum suum sibi innatum est, et natura nullum sibi subjectum ex facili derelinquit, et a nemine cogi potest, quia omnipotens est: et nemo super ipsum est, nemo sibi æqualis est, et a nullo turbari potest, quia mitissimus et nihil contrarietatis habet, et nunquam mutari potest; Malach. III: Ego Dominus, et non mutor. Et nihil sibi præteritum est aut futurum, sed semper præsens. Propera ergo ad Dominum Deum tuum. Quamdiu charitatis arctissimo vinculo et intima hac unione fruitiva Deo tuo suavi sponso non conjungeris, et brachiis amoris ejus dulcissimi non constringeris, nec osculo oris ejus recreaberis: tamdiu sine quiete vaga, sine refectione famelica et misera aberrabis; quibuscumque divitiis spiritualibus diteris, quibuscumque sensibilis gratiæ consolationibus affluas, quibuscumque virtutibus abundes, satiari profecto non poteris, nisi per amoris contactum et intimam unionem Deo conjungaris, eique feliciter copuleris, qui est

torrens et fluvius inæstimabilium voluptatum, cujus impetus lætificat civitatem Jerusalem cœlestem, ac simul est exuberans omnium bonorum plenitudo.

931. D. Thomas explicans illud Cantic. II: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, dicit sic: Postquam anima Deo dilecta in se charitatem ordinatam dixit, qualiter velit requiescere, vel in quo lecto sponso suo pausare, ostendit subdens: " Fulcite me floribus etc. „ Alloquitur animas jam perfecte divino amori inhærentes. Per flores initia sanctæ conversationis intelliguntur; per mala vero, perfectio bonorum operum. Et est sensus: O sanctæ animæ, quæ jam dilectioni Conditoris vestri inhæretis, fulcite me bonorum vestrorum exemplis, et qualiter in exordio virtutum, vel in provectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis, ostendite, quia amore langueo. Tunc enim anima amore Dei languet, quando ejus dilectioni nihil præponit: immo quasi ad sæculi opera languida et imbecillis efficitur, nihilque eam delectat nisi meditatio cœlestium et contemplatio Conditoris sui. Hæc ille. Amor namque non est nisi convenientia et adaptatio rei ad suum conveniens. Constat autem quod nullum est objectum convenientius animæ quam ipse Deus summum bonum, ad quod capiendum et possidendum facta est; unde debet ipsum absentem continuo desiderare, desiderando tendere ut consequatur, nec prius sistere quam ei conjungatur, inhæreat, et tanta propinquitate uniatur, quod nihil mediet: et tunc amet Deum ipsum immediate, amplectatur, osculetur, uberibus ejus hæreat et in ejus fragrantia delectetur, quamvis ipsum facie ad faciem non videat, sed adhuc per speculum in ænigmate contempletur.

932. Ut anima debite ad Deum tendat, et ut ei intime uniatur, non debet statim temere ad dulces ejus amplexus et ad oris osculum aspirare: sed prius velut humilis ancilla ad pedum osculum in via purgativa accedat, Magdalenam imitata; deinde velut filia dilecta ad osculum manuum properet in via illuminativa; et denique velut sponsa dilectissima ad sacrum oris osculum fidenter in via unitiva consurgat: sic enim ipso Domino admittente tam arcte cum eo conjungetur, quod erit unus cum ipso spiritus. Tunc enim, ut ait Cassianus, Collatione X, cap. 6, consummatur in nobis illa Salvatoris nostri oratio, qua pro suis discipulis oravit ad Patrem, dicens, Joan. XVII: Dilectio, qua me

dilexisti, in eis sit, et ipse in nobis; et iterum: Ut omnes idem sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; quando illa Dei perfecta dilectio, qua prior nos ille dilexit, in nostri quoque transierit cordis affectum, hac dominica oratione completa, quam credimus nullo modo posse cassari. Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit; illaque unitas, quæ nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum mentemque transfusa, idest ut quemadmodum nos ille sincera, pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectione jungamur: ita eidem scilicet copulati, ut quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit; in illum, inquam, pervenientes, quem prædiximus, finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri.

933. Aptissimus modus, quo se anima debet excitare, ut ad hanc intimam sui cum Deo tendat unionem, est ut suaves erga illum aspirationes efformet, cum Spiritu Dei fortiter simul ac suaviter moventis agetur. Unde quieta debet in intimo sui recessu permanere, et cum silentio potentiarum ipsi Deo vacare, donec ipsa ab eodem Domino ad similes aspirationes excitetur, quæ potius corde quam ore promendæ sunt, nec tam studio quam amore debent efformari, et in fundo ipsius animæ cum fervore productæ ad Deum dirigi. Poterit anima, si ad suam instructionem necessarium judicaverit, S. Scripturæ vel sanctorum Patrum sententias ad suum intentum idoneas eligere, ut affectum excitet, amorem accendat; dicat cœlesti Sponso: Dilata me in amore, ut discam interiori cordis ore degustare quam suave est amare, et in amore liquefieri et natare; cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in illum, deficiat in laude tua virtus mea jubilans ex amore, amem te plusquam me, nec me nisi propter te, et omnes in te, qui vere amant te, sicut jubet lex amoris lucens ex te. Dicat: Quando cæteris omnibus spretis tibi soli adhærebo, Domine? Quando familiari tua fruar conversatione a conturbatione hominum remota, et in abscondito faciei tuæ constituta?

934. Sed ordinarie in intimo mentis recessu, seu in ipsius animæ centro formatæ (sc. *aspirationes*) ad Deum dirigantur: ibi namque

magis quietæ, magis ferventes producentur de hoc animæ centro. Quantum ad præsens intentum, pius quidam auctor sic ait: O nobilem fundum, divinumque templum, a quo Deus nunquam recedit! O fundum præclarissimum, in quo sancta Trinitas habitat, et in quo ipsa æternitas gustatur! vel una perfecta in hunc fundum ad Deum ipsum conversio multis aliis exercitiis atque operibus præstantior est, et vel decem pluriumve annorum amissa tempora revocare potest. Nimirum fons aquæ salientis in vitam æternam in hoc fundo scaturit, quæ quidem aqua tantæ efficaciæ ac suavitatis est, ut omnem vitiorum amaritudinem facile depellat, facile omnem naturæ rebellionem evincat ac superet: mox enim ut bibita est, per totam animæ et corporis regionem defluit, et miram puritatem miramque fœcunditatem utrique præstat.

ARTICULUS XIII.

De augmento perfectissimæ virtutis, nempe charitatis.

935. Dictum fuit in articulo primo hujus quæstionis perfectionem vitæ spiritualis consistere in charitate: et sic omnia quæ pertinent ad charitatem declaranda sunt, non tamen modo scholastico, sed veluti mystico; et quia non solum secundum mysticos auctores, sed etiam secundum scholasticos perfectio consistit in unione animæ ad Deum media charitate, et major perfectio in majori unione quæ fit cum majori augmento charitatis, ideo in hoc articulo disputabo de augmento charitatis, relinquendo omnia quæ dicit D. Thomas in quatuor partibus, in sententiariis et in quæstionibus disputatis pro doctoribus scholasticis, et solum adducam breviter quæ dicit divus Thomas Opusc. LXI, cap. 17, quæ veluti pertinere videntur ad mysticos auctores.

936. Charitas supernaturalis est vera et propria amicitia inter Deum et homines, fundata non in communicatione, qua homines, sed qua filii habentes eumdem spiritum cum Deo. Ad rationem amicitiæ, dicit D. Thomas, 2 2, q. 23, art. 1, requiruntur tres conditiones. Prima, ut amor amicitiæ habeat rationem benevolentiæ, quia debet esse amor erga aliquam

personam: solum enim personis volumus bonum, quod est benevolentia. — Secunda ut amor sit mutuus: non enim sufficit ad hoc ut aliquis sit amicus alterius, quod sit præcise amans illum, sed etiam amatus; unde amicus dicitur quasi amans amatus, seu amicatus, ita ut talis amor sit quasi nexus inter duos; qua ratione charitas vocatur ab Apostolo vinculum perfectionis; et Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre et Filio ut nexus utriusque, quia procedit ex mutuo amore. — Tertia conditio, ut iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione: qui enim in nullo communicant, nullam inter se habent conjunctionem et nexum; omnis enim conjunctio communicatione aliqua fit: imo ratione diversæ communicationis, diversæ sunt amicitiæ, sicut in communicatione sanguinis fundatur amicitia consanguinitatis; in communicatione superioris cum inferiori amicitia excellentiæ; in communicatione sociorum amicitia æqualitatis. Homines autem erga Deum constans est quod non possunt habere nisi amicitiam excellentiæ, qualis est inferioris ad superiorem; sed in hac amicitia possunt habere duplicem conjunctionem, seu communicationem: unam ut homines, seu creaturæ rationales præcise; aliam ut filii, qui conjunguntur Deo non consanguinitate, sed spiritu quo regenerati sunt; et in utraque communicatione explicandum est quomodo fundatur amicitia. Joan. IV dicitur: Omnis qui diligit ex Deo natus est et cognoscit Deum; et infra: In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Igitur communicatio hujus amicitiæ est communicatio filialis, sicut inter parentes et filios, aut consanguineos; non tamen conjunctione sanguinis, sed spiritus, quia non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

937. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 17, dicit quod in charitate notanda sunt quatuor: essentia, habitus secundum se, radicatio vel inhærentia in subjecto, motus vel actus et fervor in motum. Ultima tria augeri possunt et minui; primum autem corrumpi potest et augeri, non tamen minui. Augeri potest. Cujus augmenti causam nota (*et effectus*). Circa causam nota: Regulariter omnis res per quascumque et ex quibuscumque causis generetur, ex eisdem si est nutribilis nutritur, si augmentabilis augetur. Habetur autem charitas et generatur quia Deus dat

et homo recipit. Duplex igitur causa, una proprie et propter quam, scil. influentia dantis; alia (*im*)proprie et sine qua non, scilicet dispositio recipientis: quæ dispositio conversio est animæ ad Deum per potentias secundum quas est imago Dei. Nota igitur: Deus est dives, cujus divitiæ communicatæ non minuuntur: ideo dare potest. Aristoteles: Primum principium est dives per se, et dives in aliis est et bonus; bonum autem est diffusivum sui, et ideo liberalis, et ideo dare vult, et quia vult, dat. Sed quia actio activorum est in patiente disposito, actio, dico, quæ est ad aliud: sicut sol lucet semper, non semper illuminat; ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum: sic Deus effluit semper, sed non influit nisi recipienti et disposito. Influere est dare, sed cujus est dare, ejus est augere vel magis dare. Unde dicitur Luc. XVII: Adauge nobis fidem. Verum quia receptum est in recipiente per modum recipientis, non recepti, quod Deus sine mensura effluit, tu cum mensura recipis. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, et tamen unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Accipe ergo magis, et sic augetur quod acceperas, quoniam augmentum est præexistentis additio quantitatis, ut dicit Aristoteles.

938. Sed nota: Est gratia magna, et est major gratia: gratia datur sine merito, sed non sine dispositione, quæ quandoque large meritum congrui appellatur. Sicut igitur formam naturalem introducendam antecedit potentia nuda, dispositio et necessitas: quorum primum et ultimum intelligitur simplex et quasi punctale; medium autem habens latitudinem, quæ contingit dispositioni plus et plus, ut sit hæc extensio durationis quasi lineæ a puncto ad punctum: sic et hæc est potentia animæ liberum arbitrium accipere, ut nudum, ut dispositum: quæ dispositio est per conversionem ad Deum in usu, vel actu, secundum quod patet ex naturalibus et gratis datis. Quando autem facit totum quod potest et quod in se est, tunc est necessitas ad habendam gratiam: non necessitas coactionis Deo debitum imponens, sed necessitas immutabilitatis, qua necesse est Deum esse Deum, et ideo bonum, et ideo effluentem, et ideo accipienti dantem: imo nec hanc ultimam dispositionem ut necessariam liberalissimus dator expectat; sed aliquo modo convertenti se et disponenti, etsi non secundum totum quod

in se est, multoties dat. Jac. I: Qui dat omnibus affluenter. Augustinus: Anima instrumenta cognoscendi et diligendi Deum habet a natura; cognitionem tamen veritatis et ordinem dilectionis a gratia. Vasa namque, quæ creatrix gratia creavit ut sint, adjutrix gratia replet ne vacua sint. Hæc similitudo causat levitatem. Augustinus: Tu, quos imples, sublevas eos: et quia tui plenus non sum, oneri mihi sum. Sicut vescica plena corpore levi sursum movetur, e contrario vas plenum corpore gravi gravatur: sic et creatura. Ps. IV: Filii hominum, usquequo gravi corde?

939. Major autem gratia dupliciter dicitur. Primo, in comparatione ad minorem ab altero habitam: hæc sine meritis habetur, sed non sine dispositione majori, ut patet in parvulis differentibus in substantia naturalium, sed indifferentibus in usu vel actu ipsorum, et ideo æque dispositis et æque indispositis, æqualis in baptismo datur gratia; adultis attritis dissimiliter dispositis non in substantia naturalium, sed in conversione ipsorum ad Deum per actum et usum, sine meritis infunditur gratia dissimilis, scil. major vel minor, quod ostendit dissimilitudo contritionis. Anselmus: Gratia datur secundum præpurgationem vel in comparatione ad minorem præhabitam: hæc est meritis, quoniam conversio qua talis anima ad Deum convertitur et disponitur, gratuita est, non tantum naturalis vel gratiæ gratæ, et ideo meritoria. Unde optime dicit Augustinus, Tract. LXXIV in Joan.: Restat ut intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. Idem Augustinus: Gratia meretur augeri, non gratiæ substantia, quoniam hæc non est meritoria, sed usus. Quoniam igitur natura omnium constantium causa Deus est, et ratio magnitudinis et augmenti similiter et constantium per alias causas. Constituit terminos ejus, qui præteriri non poterunt, Job XIV. Unde dicit Augustinus: Charitas ut perficiatur nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum fuerit perfecta, dicit: Cupio dissolvi et esse cum Christo.

940. Signa autem vel effectus augmenti charitatis tria sunt. Primum major perfectio subjecti, scilicet potentiæ: hæc est causa propria, necessaria et immediata, et in genere causæ formalis, ut patet. Virtus enim est quæ habentem perficit, et

hæc est per se. Et ideo si simplex ad simplex, et magis ad magis. Sicut ergo qui habet gratiam est Deo gratus, et qui majorem magis: sic habens charitatem, Deo charus est, et qui majorem magis. Prov. VIII: Ego diligentes me diligo magis et magis.

941. Secundum est major impermixtio contrarii. Sunt autem contraria charitatis duo, scilicet timor et cupiditas. Timor autem alius servilis, cui opponitur amor charitatis, ut calidum frigido, et ideo non compatiuntur se simul. Alius initialis, cui opponitur ut extremum medio, ut calidum tepido; et ideo in his quasi fit mixtio, excellentiis non habitis sed haberi possibilibus, ut relegatis elementis contrariis in mixtione convenientibus. Cæterum, si calor augeatur in mixtione, fortius pugnabit contra frigidum, et citius prædominabitur, et ideo mixtio dissolvetur, et similiter ex parte frigidi: similiter omnino in proposito. I. Joan. IV: Perfecta charitas foras mittit timorem. Et e converso timor initialis excrescens in quantum timor, et degenerans in servilem, foras mittit charitatis amorem. Verum timor castus crescente charitate crescit ut ejus effectus. Nam quem magis amo, magis veneror, magis offendere vereor. — Cupiditas alia mortalis, cui opponitur charitas, ut album nigro: Alia venialis, vel etiam innata, cui opponitur ut album pallido: album et nigrum mutuo se expellunt, sed album pallido quodammodo permiscetur. Albius est ergo nigro impermixtius, et albissimum quoque nigro impermixtissimum est: sic nimirum in proposito. Augustinus: Concupiscentia, cum qua nati sumus, minui potest, non finiri dum vivimus. Quod si prævaluerit concupiscentiæ cupiditas, expellitur charitas. Matthæi XXIV: Quoniam superabundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

942. Tertium est major extensio actus proprii, scil. dilectionis: quod signum tenet aliis paribus, aliter enim falleret. Hunc enim actum habet forma cum subjecto, charitas cum potentia: et ideo sicut virtus visiva conjuncta organo expeditur et impeditur secundum ipsum; unde æque bona potentia visiva in juvene et sene, non tamen æque vident organo impediente: sic potentia subjectum charitatis potest ex toto ligare, et prorsus non erit hic actus, ut patet in parvulo, furioso et dormiente; et aliis potest occupari vel expediri, et secundum hoc accidit

major vel minor actus. Unde major est alicujus viatoris charitas charitate alicujus comprehensoris, non tamen plus diligit actu, sed aliis paribus tenet. Qui majorem habet charitatis habitum, majoris elicit actum dilectionis: et qui magis diligit Deum sive amando eum, sive concupiscendo ipsum, magis vult; et qui magis vult, magis operatur si potest. Unde sicut voluntas motrix est virium inferiorum, sic charitas omnium virtutum: unde I. Cor. III: Charitas patiens est, benigna est.

943. Augetur autem radicatio duratione secundum illud: Charitas aut proficit, aut deficit. Ephes. III: In charitate radicati. Radicatur potentia in charitate, et charitas in potentia, sicut digitus in annulo, et annulus in digito. Cum igitur charitas in potentia continuat possessionem, quodammodo tendit ad faciendam præscriptionem, ut quo diutius influit, difficilius expelli possit. Item, motus crescit ex frequentatione. Aristoteles: Actus desiderii suum simile, et tale additum tali fit magis tale. Item, fervor duplex est. Alius enim sensualis, vel sensibilis, qui generatur et augetur quandoque ex dispositione complexionis; unde aliis paribus ferventius amat sanguineus quam melancholicus. Quandoque ex recentia vel novitate actionis; unde ferventius amat novitius, quam ipse idem provectus. Alius intellectualis: hic generatur et augetur ex eo quod potentia affectiva expedita et libera aliquid per cognitivam apprehendit circa amatum, ex quo irritatur, et fortificatur ad amandum: unde ferventior contemplativus, actio majoris charitatis; comprehensore minor, viatore major.

ARTICULUS XIV.

De devotione.

944. Aliud est id a quo nomen imponitur, aliud vero id ad quod significandum est impositum: devotio ex divo Thoma, Opusc. XVII, cap. 13, a devovendo nominatur; idem dicit 2 2, q. 82, art. 1; et sic ille dicitur devotus qui alicui se devovet, et quasi applicat, et adjicit subdendo se illi. Et sic secundum etymologiam nominis definitur: Voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Si vero consideretur secundum id ad quod significandum est imposita,

devotio definitur: Actus quidam voluntatis promptæ et paratæ ad facienda quæcumque ad Dei servitium et famulatum spectant.

945. Advertendum est pro explicatione definitionis quod promptitudo potest accipi dupliciter: vel ex parte subjecti in ordine ad agendum, vel ex parte subjecti in ordine ad aliquod objectum, cui afficitur et destinat se. Primo modo importat dispositionem subjecti, seu potentiæ agentis, qua redditur facilis et expedita ad agendum; et hoc fit communiter per habitum, vel per aliquam naturalem vim, qualis est solertia, ut tractat D. Thomas in III, dist. 33, q. 3, art. 1. Et sic promptitudo est bona dispositio, seu firmitas potentiæ, quæ opponitur infirmitati et debilitati ad agendum, juxta quod accipitur illud Matth. XXVI: Spiritus promptus est, caro autem infirma. Et de hac promptitudine non est intelligenda definitio. Promptitudo autem subjecti in ordine ad aliquod objectum consistit in affectu et amore, quo quis in exercitio afficitur ad cultum et obsequium divinum, etiamsi non cogitet, neque habeat pro objecto promptitudinem colendi; hoc enim pertinet ad actum reflexum, non quo quis est devotus, sed quo vult esse devotus et promptus. Hic autem affectus non dicitur devotio, quatenus est ad aliquem particularem actum cultus, v. g. orandi vel sacrificandi, sed ut est affectus ad omnem cultum Dei.

946. Et ut melius explicetur, devotio nihil est aliud quam affectus deliberatus circa obsequium divinum; quia quamdiu quis in neutram partem deliberat, nondum habet promptam voluntatem ad aliquid præstandum; postquam vero decrevit et deliberavit, redditur voluntas prompta ad faciendum aliquid: et ita devotio consistit in promptitudine quæ sit actus deliberatus, et vocatur promptitudo deliberationis. Promptitudo vero ad agendum est promptitudo habitus vel dispositionis potentiæ, ut facile et expedite agat. – Actus devotionis habet pro objecto cultum Dei; sed sicut ad istum cultum offerimus Deo diversas materias, ut per orationem offerimus et subjicimus intellectum Deo, per adorationem corpus, per sacrificium externa bona: sic per devotionem offerimus voluntatem, quæ quia est primum quod offertur in obsequium alicujus, ideo ponitur a D. Thoma primus actus religionis. Igitur actus qui habet pro materia oblata in ordine ad cultum et obsequium Dei voluntatem propriam,

dicitur devotio, quasi applicatio quædam voluntatis ad obsequium. In quo differt ab amore, ut docet D. Thomas 2 2, q. 82, art. 2 ad 1, quia amor tradit et applicat voluntatem alteri per modum unionis et affectus, devotio autem per modum oblationis ad obsequium, quasi redigendo voluntatem ad servitium alterius.

947. D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 2, docet quod devotio est actus religionis. Hoc probat primo in argumento Sed contra hac ratione: Devotio a devovendo dicitur, ut jam dictum est: sed votum est actus religionis, ergo et devotio. In Corpore hoc probat: Ad eamdem virtutem pertinet velle facere aliquid, et promptam voluntatem habere ad illud faciendum: quia utriusque actus est idem objectum: propter quod, ut Philosophus dicit in V. Ethic., justitia est qua volunt homines et operantur justa. Manifestum est autem quod operari ea quæ pertinent ad divinum cultum, seu famulatum, pertinet proprie ad religionem. Unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad hujusmodi exequenda, quod est esse devotum: et sic patet quod devotio est actus religionis. Notat Magister Raphael de la Torre circa solutionem D. Thomæ ad primum argumentum articuli citati, tres modos unionis ad Deum, scilicet per charitatem, per sanctitatem, et per devotionem. Per charitatem unitur homo Deo quantum ad amorem, transformando se in rem amatam, et introducendo in actu amatum ad se secundum affectum. Per sanctitatem unitur Deo, ut servus domino, referendo et applicando se ad illum, eo modo quo servus debet ad dominum. Per devotionem unitur Deo exhibendo et offerendo ei promptam voluntatem, et per exhibere aliquid in recognitionem servitutis distinguitur a D. Thoma ratio religionis et sanctitatis, quæ sunt idem re, et differunt ratione.

948. D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 2 ad 3, dicit, quod devotio quæ habetur ad sanctos Dei, mortuos vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum. Cultus enim debitus sanctis in seipsis exhibetur non per latriam et religionem, sed per duliam: et quia sancti sunt Deo conjuncti et propinquissimi, possumus secundum eam rationem, qua in eis relucet divina majestas, colere non quidem ipsos in se, sed per ipsos, et in ipsis Deum, eo modo, quo offerimus sacrificium Deo in honorem martyrum, non autem ipsis martyribus.

949. D. Thomas, 2 2, qu. 82, art. 3, dicit quod contemplatio, seu meditatio est devotionis causa. Hoc probat primo in argumento sed contra ex illo Psal. XXXVIII: In meditatione mea exardescet ignis: sed ignis spiritualis causat devotionem: ergo meditatio est devotionis causa. In Corpore hoc probat dicendo: Causa devotionis extrinseca et principalis Deus est; de quo dicit Ambrosius super Lucam quod Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit; et, si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset. — Causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio, seu contemplatio. Dictum est enim quod devotio est quidam voluntatis actus, ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis. Unde et Augustinus dicit, in lib. de Trinitate, quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis, et beneficiorum ipsius, secundum illud Psal. LXXII: Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud Psal. CXX: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Et hæc consideratio excludit præsumptionem: per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur.

950. D. Thomas, solutione ad 2 ejusdem articuli, dicit quod ea quæ sunt divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem: quia Deus est super omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanæ est quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota: inter quæ præcipuum est humanitas Christi, secundum quod in Præfatione dicitur: Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinent ad Christi humanitatem per modum ejusdem manuductionis maxime devotionem excitant; cum tamen devotio principaliter

circa ea quæ sunt divinitatis consistat. D. Thomas, art. 2 quæst. cit., ad 2, dicit quod devotio est pinguedo animæ. Sicut pinguedo corporalis et generatur per calorem naturalem digerentem, et ipsum calorem naturalem conservat quasi ejus nutrimentum: sic charitas et devotionem causat in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico, et etiam per devotionem charitas nutritur: sicut et quælibet amicitia conservatur et augetur per amicabilium operum exercitium et meditationem.

951. D. Thomas, 2 2, qu. 171, art. 2, ad 2, dicit quod sicut in rebus corporalibus, abeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc quod iterum patiatur: sicut lignum semel inflammatum facilius iterum inflammatur, et sicut in intellectu prophetæ, cessante actuali illustratione, remanet quædam habilitas ad hoc quod facilius iterato illustretur: sic etiam mens semel ad devotionem excitata, facilius postmodum ad devotionem pristinam revocatur. Propter quod Augustinus, libro De orando Deum, dicit esse necessarias crebras orationes, ne concepta devotio totaliter extinguatur. Et sanctus (*Thomas*), Q. XII de Veritate, art. 1 in Corpore, idem dicit sub distinctis verbis: Sciendum est quod sicut in rebus corporalibus aliquid post passionem, etiam passione abeunte, efficitur habilius ad patiendum: sicut aqua calefacta prius, facilius postmodum post infrigidationem calefiet; et homo post frequentes tristitias facilius ad tristitiam provocatur: ita etiam quando mens aliqua divina inspiratione tangitur, etiam illa inspiratione abeunte remanet habilior ad iterato recipiendum, sicut post devotam orationem remanet mens devotior. Unde propter hoc dicit Augustinus in libro De orando Deum: Mens quæ curis et negotiis tepescere cœperit, omnino refrigescit et penitus extinguitur, nisi crebrius inflammetur. Et ideo certis horis ad negotium orandi mentem revocamus. Unde et mens prophetæ, postquam fuerit semel, vel pluries divinitus inspirata, etiam actuali inspiratione cessante, remanet habilior ut iterum inspiretur. Sic qui semel orat devote, remanet devotior per plures dies.

952. D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 4, dicit quod devotio primo et per se causat delectationem et lætitiam, secundario autem et per accidens causat tristitiam. Hoc probat primo, in argumento Sed contra, ex illo quod dicitur in Collecta: Quos jejunia

votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet. In Corpore: Devotio per se quidem et principaliter spiritualem lætitiam mentis causat: ex consequenti autem et per accidens causat tristitiam. Dictum est enim quod devotio ex duplici consideratione procedit. Principaliter quidem ex consideratione divinæ bonitatis, quia ista consideratio pertinet quasi ad terminum motus voluntatis tradentis se Deo. Et ex illa consideratione per se quidem sequitur delectatio, secundum illud Psal. LXXVI: Memor fui Dei, et delectatus sum. Sed per accidens hæc consideratio tristitiam quamdam causat in his qui nondum plene Deo fruuntur, secundum illud Psal. XLI: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; et postea sequitur: Fuerunt mihi lacrymæ etc. Secundario vero causatur devotio, ut dictum est, ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum a quo homo per motum voluntatis devotæ recedit: ut scilicet non in se existat, sed Deo se subdat. Hæc autem consideratio e converso se habet ad primam. Nam per se quidem nata est tristitiam causare, recogitando proprios defectus. Per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem divinæ subventionis. Et sic patet quod ad devotionem primo et per se consequitur delectatio: secundario autem et per accidens, tristitia quæ est secundum Deum. Hæc ille.

953. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. VI, Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, dicit sic: In his verbis instruit eos quantum ad interiorem devotionem, quæ consistit in lætitia cordis, quæ latitudinem cordis causat. Et circa hoc tria facit: primo, exhibet se eis in exemplum; secundo, ostendit quod ab ipso non habent contrarium exemplum, nec possunt accipere; tertio, exhortatur eos ad cordis latitudinem. Circa primum, ostendit signum latitudinis: " Os nostrum patet ad vos; „ signum latitudinis est os latum, quia os immediate adhæret cordi. Unde quæ per os exprimimus, sunt expressa signa conceptionum cordis. Matth., cap. XII: Ex abundantia cordis os loquitur. Et hoc est quod dicit: " Os nostrum patet ad vos. „ Os enim clausum est aliquando, tunc scilicet quando ea quæ sunt in corde non patent exterius; sed apertum et patens est, quando ea quæ in corde

sunt manifestantur. Job III: Post hæc aperuit etc.; Matth. V: Aperiens os suum etc. Et ne hoc videatur pertinere ad vitium vanitatis, quia manifestat se, subdit rationem dicens: " Ad vos, „ idest propter utilitatem vestram, manifestamus vobis secreta cordis nostri. I. Cor. X: Non quærens quod mihi utile sit, etc. Causa autem hujus dilatationis procedit ex dilatatione et latitudine cordis. Et ideo dicit: " Cor nostrum dilatatum est. „ Prov. XXI: Exaltatio oculorum dilatatio est cordis. Cor autem aliquando est strictum, tunc scilicet quando comprimitur et concluditur in modico, sicut cum quis non curat nisi de terrenis et contemnit cœlestia, non valens ea intellectu capere. Aliquando autem est latum, tunc scilicet quando quis magna appetit et desiderat; et talis erat Apostolus, qui non reputans ea quæ videntur, desiderabat cœlestia. Et ideo dicit: " Cor nostrum dilatatum est, „ idest amplificatum ad magna appetenda. Consequenter ostendit quod non habent ab Apostolo contrarium exemplum, dicens: " Non angustiamini, „ quasi dicat: Ex quo ostendimus vobis latitudinem cordis nostri, non habetis a nobis exemplum nec causam unde angustiamini. Sed si hoc facitis, tunc quidem angustiamini, sed non in nobis: immo ex visceribus vestris, idest ex vobis. Consequenter hortatur eos ad latitudinem cordis, dicens: " Eamdem autem habentes; „ quasi dicat, si aliquando decepti a Pseudoapostolis angustiati estis, non omnino remaneatis in angustiatione: immo studeatis habere latum cor, sicut nos habemus, quia eamdem habebitis remunerationem quam nos habemus. Hæc ille. — Si devotio interior consistit in dilatatione cordis, dilatetur cor nostrum, ut dicit idem sanctus, exponens caput LIV Isaiæ, triplici ratione, scilicet propter magnitudinem Dei, multitudinem munerum ejus et expletionem mandatorum ejus. Dilatandum est cor, primo, propter hospitis magnitudinem; Jerem. XXIII: Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. Secundo, propter munerum magnitudinem. Isa. LX: Videbis et afflues et dilatabitur cor tuum. Tertio, propter viæ expletionem; Psal. CXVIII: Viam mandatorum tuorum cucurri. Et etiam, ut dicit idem sanctus, 1 2, q. 33, art. 1, ad 1, dilatatio pertinet ad amorem ratione cujusdam extensionis, inquantum affectus amantis ad alios extenditur, ut curet non solum quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Ad delectationem etiam pertinet dilatatio, in quantum aliquid

in seipso ampliatur, ut quasi capacius reddatur. Devotio, quæ est actus charitatis et amoris, dilatat cor non solum ut in se ipso capacius reddatur, sed etiam quantum ad alios.

954. D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 2, ad 2, dicit quod devotio est pinguedo animæ, causata a charitate et conservans eam. Pistor furnum suum calidum semper conservare nititur, sciens quia si semel penitus calorem amittet, difficulter postea et majori impensa ad calorem redibit. Sic omnino in corde calorem devotionis et promptitudinis hujus custodiamus: si semel intepescat, quam laboriose iterum accendatur non sine detrimento discemus. Pulchro simili Ecclesiastes, cap. x, hoc quod docemus exposuit: Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. Gladius, inquam, acutus et levigatus moderato usu splendescit, et vim secandi non amittit: at si otietur, nigrescit, obtunditur, rubiginem contrahit, et ineptus ad scindendum efficitur. Ita animus rerum cœlestium consideratione animatus ad sancte vivendum et ad vitam spiritualem promptus effectus, si illam promptitudinem, in qua consistit devotio, perdat, segnior et negligentior factus difficulter satis reparabitur. Post solertem vero et laboriosam industriam sequetur sapientia: illa nimirum qua homo detrimento suo cognoscet quantum bonum amisit, et cum quanto labore illud in pristinum statum restituet.

955. Hugo de S. Victore, tom. 2, de Arca morali, lib. III, c. 5, loquens de devotione, dicit: Lignum vitæ dicitur germinare per devotionem; quemadmodum enim grana germinare dicuntur, quando occulta quadam vi naturæ id quod internum est rumpitur, et exterius manifestatur: sic mens hominis occulta vi devotionis impellente in actus virtutum interius et exterius prorumpit. Est ergo devotio quasi omnium virtutum parens: et ob id a quodam viro spirituali aquæ comparatur, quæ terram impinguat et germinare facit. Quapropter sicut in horto arboribus consito inter primas curas collocatur ad eas irrigandas puteum fodere, aut aliunde aquam derivare, ne alii labores et diligentiæ irritæ sint: ita quisquis virtutum plantas excolere ardenti desiderio cupit, devotionis quoque exercitia colere debet, quibus virtutum plantas alat atque sustentet.

Adde Append., nn. 329 355.

ARTICULUS XV.

De præsentia Dei et de ejus utilitate.

956. Secundum D. Thomam, p. p., q. 8, art. 3, ad 2, et in III, dist. 24, art. 2, qu. 3, ad 4, illud proprie dicitur præsens, cujus essentia præsentatur sensui vel intellectui: et sic tunc Deus dicitur præsens, quando ejus esse præsentatur sensui vel intellectui. Et clarius præsentia Dei nihil aliud est quam memoria Dei, seu cogitatio de Deo, qua in omnibus locis et negotiis Deum ut præsentem intuemur, eum blande et reverenter alloquimur, et ad ipsum amoribus et desideriis afficimur.

957. Hæc Dei præsentia maxime commendatur in S. Scriptura. Gen. XVII, (*ait*) Deus loquens Abrahæ: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me. Quod exponens D. Thomas, dicit: Non hoc dicitur quia prius hoc non fecerat, sed ut altius hoc faciat. Unde subditur: Et esto perfectus. Ad hoc enim exhibet Deus sanctis præsentiam suam, ut eos ad se semper magis sublevet et sursum agat. Quid imbecillo utilius quam forti mente adhærere? Quid pauperi conducibilius, quam in conspectu regis liberalissimi, et bonis exuberantissimi apparere? Non existimes hanc curam ambulandi coram me sine fructu esse, immo ex ea summum bonum percipies, quod perfectus et omni virtute cumulatus evades. Mea fortitudo te a malis eripiet, mea largitas gustus tuos, motus, verba actionesque componet, et omni virtute perficiet; omnipotentia mea te, ne a cœpto deflectas, sustinebit. Dilectionis fœdere te complectar, et hujus memoriæ meæ præsidio ad ingentes spiritus divitias adducam. Unde Jacob, ut eos honorifice compellat, dixit, Gen. XLVIII: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, benedicat pueris istis. Si enim tu, cum corpus radiis solis apponis, et lucem, et calorem, et agilitatem ad motum recipis: quidni illi felices, qui semper Deum præsentem intuentur, ut lucem sapientiæ, et ardorem charitatis, et fervorem ad bene operandum accipiant?

958. Anima sancta sub nomine sponsæ vocatur in Cant. VIII, cum audit: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. D. Thomas: Pone me, inquit, ut

signaculum super cor tuum per fidem, pone me ut signaculum super brachium tuum per dignam operationem. Nam et nos, quando aliquid rememorari nobis volumus, signaculum digito vel brachio imponere solemus, ut illo admoniti, rei quam charam habemus recordemur. Et nos ut signaculum super cor et brachium Christum imponere debemus, ut ejus memoriam semper habeamus, et ut recte in illum credentes, fidem ipsam bonis operibus exornemus; quod si fecerimus, ipse quoque nos velut signaculum assumet, et nostri recordabitur. Aggæi II: In illa die suscipiam te, Zorobabel, serve meus, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo. Nam si nos beneficiorum ejus obliti fuerimus, nec ei dignas gratiarum actiones retulerimus, ipse quoque nostri obliviscetur; — sicut de impio rege Jechonia dicitur Jerem. XXII: Si fuerit Jechonias annulus in dextera manu mea, inde evellam eum. Hæc ille. — Pones, o anima, Deum ut annulum signatorium super cor tuum, si eum assidue cogitas; pones super brachium, si ipsum in actionibus imiteris. Et prius cordi quam brachio imprimis, quia ex eo quod eum memoria præsentem habeas, ad omnem perfectam actionem provocaris. Sic numisma Summi Regis efficieris, cujus imaginem et superscriptionem intus et foris habes. Illud itaque in hoc loco a nobis exigitur, ut Deum semper memoria præsentem habeamus, et actione ejus vestigiis inhæreamus, ut Dei præsentia nos ad actiones congruas impellat, et actiones a Dei præsentia non abducant.

959. D. Thomas explicans illud Psal. XVI: Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea (*ait*): Habebat David Deum ante conspectum suum, habebat divinam præsentiam, et sic petit, dicit Sanctus, ut liberetur a malo. " Ego clamavi: „ videtur ordo præposterus, quia convenientius videtur dici: " Quoniam clamavi exaudisti me.„ Et ideo tripliciter exponitur. Uno modo secundum Glossam: " Ego clamavi: „ In clamore validior intentio mentis est et libera. Tum ergo clamant qui cum magna devotione orant et libertate cordis. Et unde hoc? " Quoniam exaudisti, „ dando scilicet libertatem. Gregorius: Neminem exaudit Deus nisi quem ut precetur inspirat, animam scilicet, per aliquam devotionem. Psal. CXVIII: Concupivit anima mea desiderare etc. Alio modo secundum Augustinum. x De civitate Dei, quod ly

quoniam non designat causam, sed signum, quasi dicat: Hoc est signum quod clamavi, quia exaudisti me. Tertio modo, quia cum quis exauditur semel, iterum fiducialius petit, et ideo dicit: Quoniam exaudisti ego clamavi. Hieronymus habet: Clamo quoniam exaudisti; semper hæc duo conjungit, clamorem et exauditionem, quia qui sic clamat exauditur. Jonæ II: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me. Ps. CXLI: Clamavi ad te; dixi: Tu es, etc. Consequenter petit exaudiri: et (*ei*) qui exaudit primo audiendo dicit: " Inclina. „ Cum Dominus sit in alto loco, oportet quod inclinet aurem ad audiendum illum qui est in imo. Dominus sedet in majestate sua, et si vellet nostra agere secundum altitudinem suæ justitiæ, non salvaremur, quia, Isa. LXIV, Quasi pannus menstruatæ justitiæ nostræ. Et ideo oportet quod inclinet, et tunc exaudiat. Daniel IX: Inclina, Domine, aurem tuam et audi. O igitur millies et centies millies beatus qui stat in præsentia Dei! Veluti videtur impetrare omnia quæ postulat. Beatus qui intellectu suo inspicit assidue Deum in omni loco manentem, et omnia tum exteriora, tum interiora sua considerantem!

960. Quatuor sunt quæ a nobis exigunt Dei præsentiam: Dei voluntas, hominis nobilitas, jus gratitudinis, et onus quod nobis imposuimus Sanctorum imitationis. Dei voluntas: hoc colligitur, ut ait D. Thomas, Opusc. LXI, in multis capitibus, ex illo maximo et primo mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Perfecta enim hujus mandati impletio assiduam Dei memoriam involvit. Nam si dilectio, ut dicit Sanctus, in rem cognitam fertur, quomodo Deum semper amabis, et non semper cogitabis? Quomodo tota anima, toto corde et tota mente illi inhærebis, si præcipuam, aut unam ex præcipuis tuis partem ab illo disjungis, et ad vana et inutilia convertis? D. Thomas, explicans illud Psal. XXIV: Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos; respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego, dicit sic: Oculi, scilicet cordis, ad Deum præsentem. Ephes. I: Illuminatos habentes oculos cordis nostri. Isti oculi, scilicet intellectus et fidei, dicuntur specialiter esse ad Dominum. Ps. CXXII: Ad te levavi oculos meos, etc. Et hoc propter fiduciam conceptam. " Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. „ Eccle. IX: Nescit homo finem suum, sed

sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo: sic homines a diabolo tempore malo. Quando homo cadit in peccatum, tunc ligatur laqueo affectus ejus, qui dicitur peccatum hominis: hunc laqueum solvit solus Deus. Psal. CXXIII: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Et quomodo? Adjutorium nostrum in nomine Domini. " Respice in me. „ Sap. IV: Misericordia est in sanctos ejus. Hic ponitur ratio quare misericordia indiget, quia " unicus. „ Hoc uno modo intelligitur sic, quia qui non habet subsidium in se, oportet ut revertatur ad Deum. Psal. CXX: Auxilium meum a Domino. Habent enim homines duplex subsidium in mundo: unum amicorum, aliud rerum: sed hic neutrum habet, quia non amicorum; unde dicit: " Quia unicus „ idest solitarius, absque adjutorio propinquorum et amicorum; Eccli. LI: Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Item non rerum, quia " pauper. „ Ps. LXXXVII: Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Vel aliter: Duo requiruntur ad hoc, quod homo juvetur a Deo. Primo, quod totaliter cor suum tendat ad Deum; Psal. XX: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; Luc. X: Porro unum est necessarium. Et hoc quod dicit: " quia unicus, „ idest in unum intendo. Secundo, quod sit contemptor rerum mundanarum: alias non est unicus, nec placeret Deo tantum, ideo dicit: " Quia pauper sum, „ idest contemno omnia propter te. Hæc ille. Ex quo sequitur quod Dei voluntas id a te exigit, ut eum semper cogites; oculi tui semper ad Deum, quia es unicus et pauper; eum semper ames; eum quoad fieri potest in omnibus quæras.

961. Deum semper cogitare et diligere, et ei intellectu et affectu adhærere, est hujus vitæ actualis perfectio et nobilitas. Tabernaculum illud, quod populum Israeliticum præibat, et nunquam illum vel iter agentem, vel quiescentem deserebat, summam ei dignitatem comparabat. Quantam nobis dignitatem afferet, quod non jam tabernaculum manu factum, sed Deum ipsum potentissimum intime præsentem cogitemus, cum eo tamquam cum patre benignissimo conversemur, et eum sæpe nos edocentem interius audiamus. Plane Dei præsentia nos a vilitate hominum extrahit, et in dignitatem sanctorum angelorum extollit. Facit nos angelos occupatione. Salomon, Prov. III: In omnibus viis tuis cogita Deum, et ipse diriget gressus tuos.

Hoc impetrabis, si eum in omnibus operibus tuis præsentem cogitaveris.

962. Gratitudo quoque magnam vim habet ad assiduam Dei memoriam inducendam. D. Thomas, 2 2, q. 106, art. 1, loquens de gratitudine, dicit: Secundum diversas causas ex quibus aliquid debetur, necesse est diversificari debiti reddendi rationem: ita tamen quod semper in majori illud quod est minus contineatur. In Deo autem primo et principaliter invenitur causa debiti, eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum: et ita debemus per gratitudinem beneficia accepta recompensare, semper eum in mente habendo, quia, ut dicit Ambrosius in libro De dignitate conditionis humanæ, cap. 2, sicut non potest esse momentum quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia, ita nullum debet esse momentum quo præsentem eum non habeat in memoria. Et art. 2 quæstionis citatæ dicit Sanctus quod actio gratiarum in accipiente respicit gratiam dantis. Unde ubi est major gratia ex parte dantis, ibi requiritur major gratiarum actio ex parte recipientis. O amator fidelissime, nullum est momentum in quo non infinita beneficia in nos infundas! A te singulis peregrinationis nostræ momentis, esse, vitam, potentias et operationes recipimus. In adversis tu es verus consolator, et cujusque prosperi eventus donator: quomodo tui obliviscimur? Omni ergo tempore gratitudo tot tantisque beneficiis debita, Dei præsentiæ cogitationem nobis injicit. D. Thomas, explicans illud Ps. XV: Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi ne commovear, dicit sic: " Providebam Dominum, „ erectis oculis in cœlum. " Providebam Dominum. „ Quando scilicet " increpuerunt me renes mei, „ et hoc ideo " quoniam a dextris est mihi ne commovear, „ non ad sinistram. Prov. III: Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. " Propter hoc lætatum est cor meum; „ I. Reg. II: Exultavit cor meum in Domino; Ps. LXIII: Lætabitur justus in Domino, et exultavit lingua mea exterius, cum exteriori gaudio prorumpit in laudem vocis; Isa. XII: Cantate Domino quoniam magnifice fecit.

963. Maxime movet ad studium præsentiæ Dei Sanctorum imitatio. Eo ipso quod ad sanctitatem aspiramus, onus imitationis Sanctorum subimus: jugum suave et onus leve. Quid enim

suavius, quid jucundius, quam post illos currere quos diligimus; eos sequi quos sapientissimos putamus. Primus parens, ut dicit D. Thomas, p. p., q. 94, art. 1, videbat Deum per gratiam sicut angelus per naturam: ergo habebat præsentiam Dei. Enos, Sethi progenies, cœpit invocare nomen Domini, nec invocasset nisi præsentem habuisset. Henoch cum Deo ambulavit, idest Deum sibi præsentem habuit, et ideo non tantum Domino placuit, verum et in paradisum translatus est. Noe cum Deo ambulavit, et sic præsentem illum habuit in omnibus operibus suis. Eliæ et Elisei hoc erat solemne jusjurandum: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. Tobias, filium instruens, ita exorsus est: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. Apostoli semper habebant præsentiam Dei, ut explicat sanctus Thomas super illa verba D. Pauli ad Philipp. III: Nostra conversatio in cœlis est, idest perficitur per contemplationem; II. Cor. IV: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Item per affectionem, quia sola cœlestia diligimus. Item per operationem, in qua est cœlestis repræsentatio. Si semper, o homo, ejus auxilio indiges, semper eum inquire; si semper ab ejus nutu pendes, semper ejus præsentiam adverte, ut ab ipso in omnibus adjuveris.

964. Per præsentiam Dei a malis eripimur, et consequimur illa tria quibus tota vita spiritualis continetur, quæ sanctus David brevi sermone perstrinxit, Psal. XXXIII: Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam. Explicans D. Thomas hunc versiculum, dicit: " Diverte a malo; „ Eccli. VII: Noli facere mala etc.: divertere a malo non est quid meritorium, si divertere dicat solum negationem. Per hoc enim, scilicet non facere malum, vitatur quidem pœna quam incurrisset si illud admisisset, non tamen propter hoc vita acquiritur. Et ideo sic accipiendo: non facere malum, non est meritorium, dum talis voluntas non est informata charitate, ut propter Deum a malo divertat. " Et fac bonum; „ Isa. I: Discite benefacere. Secundo, quantum ad proximum dicit: " Inquire pacem; „ sed contingit aliquando quod habes proximum qui impugnat te, et tunc tuum est inquirere pacem. Et ideo dicit: " Inquire pacem; „ Rom. XII: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quandoque vero contingit quod habes aliquem qui requirat a te pacem, et tuum

est sequi eam; unde ait: " Et persequere eam; „ vel de pace loquitur quam in se debet habere, et hanc, inquit, inquiras in vita ista. Sed non plene habetur, quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; Galat. v. Dicit autem: " Et persequere eam, „ ut scilicet magis habeas, licet non sit perfecta hic, sed in futuro, ubi sedebit populus in pulchritudine pacis, Isa. xxxii. Vel " inquire pacem, „ idest Christum, qui est pax nostra, Ephes. ii; " Et sequere eam. „ Eccle. ii: Quis est homo qui possit sequi regem factorem suum? Hæc ille. Nam præsentia Dei nos a malis eripit, et in bono promovet, et in omnem pacem atque in Christi perfectam imitationem inducit.

965. D. Thomas, explicans illud Psal. ix: Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, dicit sic: " Non est Deus in conspectu; „ Hieronymus habet: " In cogitationibus, „ quia nihil de eo cogitat, et continuatur sic: " Non quæret „ Deum peccator, quia " non est in conspectu ejus „ idest in intentione. Job xxi: Dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Effectus est quia " inquinatæ sunt, „ idest sordent, omni tempore viæ suæ. Viæ peccatoris sunt cogitationes vel voluntates. Sap. i: In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et dicuntur inquinari per peccatum, vel ad similitudinem peccatorum præcedentis temporis. Hic allegorice de Antichristo. Moraliter de peccatoribus dici potest, quia eo ipso quod Deus non est in intentione eorum, convertunt se ad temporalia ex quibus anima inquinatur, in quantum permiscent eis quæ sunt pejora quam anima. Sed anima permixta Deo, qui est anima melior, non inquinatur, sed clarificatur. Thren. i: Sordes ejus in pedibus ejus: nec recordata est finis sui. Ps. xxxiv: Viæ illorum tenebræ et lubricum. Jer. ii: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Hieronymus habet: " Percutiunt viæ ejus, „ quia peccatores proponunt facere diversa. Lucæ xii: Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede et epulare; et dixit Dominus: Stulte, hac nocte etc. Psal. xvii: Concepit dolorem et peperit iniquitatem. Hæc ille.

966. D. Thomas, explicans illud Job xvii: Pone me juxta te: et cujusvis manus pugnet contra me, dicit sic: Quia enim Deus

est ipsa essentia bonitatis, necesse est ut qui juxta Deum ponitur a malo liberetur. Ponitur autem homo juxta Deum in quantum ei mente appropinquat per cognitionem vel amorem: sed hoc quidem imperfecte contingit in statu viæ, in quo homo impugnationes patitur; et qui est juxta Deum positus, ab eis non superatur. Perfecte autem homo juxta Deum mente ponitur, juxta statum ultimæ felicitatis, in quo impugnationes jam pati non potest. Et hoc est quod desiderare se ostendit dicens: " Et cujusvis manus pugnet contra me. „ Quia scilicet quantumcumque aliqui me velint impugnare, si juxta te perfecte positus fuero, nullius impugnatio me molestabit. Hæc ille. D. Thomas, Opusc. LVIII, cap. 2, dicit: Si Dominum præsentem, et omnia videntem et judicantem semper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. Si non peccaremus, bene utique operaremur; si bene operaremur, vitia destrueremus, quoniam studio bonorum operum ipsa succumbunt. Ergo cogitatio præsentiæ Dei vitia a cordibus nostris eliminat.

967. Præsentia Dei ad omne opus bonum nos promovet. D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. ad Tim. IV: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, dicit sic: Corporalis exercitatio jejunii et hujusmodi in sua natura non sunt bona, sed pœnalia; et si homo non peccasset, nihil horum fuisset: sed sunt bona medicinalia. Sicut enim reubarbarum est bonum in quantum levat a cholera, sic et ista in quantum comprimunt concupiscentias: ergo ad istud modicum sunt utilia. I. Cor. IX: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo etc. Coloss. III: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Et ideo si homo esset in statu in quo non posset peccare, non indigeret jejunio et hujusmodi. Unde Chrysostomus, super illud Matth. III: Venit Jesus etc., dicit: Joannes, purus homo, indigebat medicina jejunii: Christus Deus erat, et non purus homo, et ideo hujusmodi non indigebat; ergo ad modicum utilis est, quia tantum ad morbum peccati carnalis, non spiritualis: quia aliquando homo, propter abstinentiam, iracundiam, inanem gloriam et hujusmodi incurrit. " Pietas autem. „ Præfert abstinentiæ pietatem, et accipitur hic pro cultu Dei et misericordia. " Et est ad omnia utilis, „ quia pietas est proprius et immediatus effectus charitatis; et cum charitas ad omnia utilis est, etiam pietas. Et etiam quia,

ut jam dictum est ex sancto Doctore, pietas idem est quod cultus Dei, seu perpetua memoria Dei, et sic Dei præsentia ad omne opus bonum nos promovet.

968. D. Thomas explicans illud Ps. XXXIII: Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur, dicit sic: " Accedite ad eum „ per fidem et charitatem; Jac. IV: Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Et ideo subdit: " Et illuminamini. „ Deus lumen est: et qui accedit ad lumen, illuminatur. Isa. LX: Surge per affectum, et illuminare. Deut. cap. XXXIII: Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Effectus autem inductionis est, quia " Facies vestræ non confundentur „ in repulsa: quia scilicet non patiemini eam, quia non est confusio sperantibus in eum. Vel " facies vestræ, „ idest cogitationes vestræ " non confundentur „ per defectum veritatis. Hæc ille. Accedite non gressibus corporis, sed inspectione et affectione cordis, et illuminamini luce sapientiæ ejus. " Et facies vestræ non confundentur, „ quia dabit illam. Quæramus semper faciem ejus, et non confundemur, et Dominus dabit omne bonum.

969. Divina præsentia præparat hominem ad assequendam pacem. D. Thomas explicans illud Joan. XIV: Pacem relinquo vobis, dicit sic: Sciendum est quod pax nihil aliud est quam tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo, scilicet hominis ad se ipsum, hominis ad Deum, et hominis ad proximum. Et est sic triplex pax in homine: quædam intrinseca, secundum quam pacificatur sibi ipsi, absque perturbatione virium; Psal. CXVIII: Pax multa diligentibus etc. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter ejus ordinationi subjectus; Rom. V: Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum. Tertia pax est ad proximum; Hebr. XIII: Pacem sequimini cum omnibus sanctis et sanctimoniam. Sed notandum quod in nobis tria ordinari debent, scilicet intellectus, voluntas et appetitus sensitivus: ut videlicet voluntas dirigatur secundum mentem seu rationem; appetitus vero sensitivus secundum intellectum et voluntatem. Et ideo Augustinus in libro De verbis Domini, pacem Sanctorum definiens, dicit: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: ut se-

renitas mentis referatur ad rationem quæ debet esse libera, non ligata, nec absorpta aliqua inordinata affectione; tranquillitas animi referatur ad sensitivam, quæ debet a molestatione passionum quiescere; simplicitas cordis referatur ad voluntatem, quæ (*se*) debet in Deum objectum suum totaliter ferre. Hæc ille.

970. Infinitæ sunt utilitates quæ sequuntur ex præsentia Dei. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 3, loquens de dilectione, dicit: Optima igitur et nobilissima actio dilectio: sed quia motus denominatur a termino in genere suo, summe bonus est motus cui summum bonum, in quantum tale, est objectum et terminus. In productione ergo istius actus anima nobilissima est, quia cognoscendo conjungitur, amando unitur illi bono quod in termino nobilitatis et bonitatis nobile est. Cognoscibile enim cum sit perfectio cognoscentis in esse suo, quo nobilius cognoscibile est, eo nobilior et perfectio. Cum dilectio et amor transforment amantem in amatum, cum forma Dei sit nobilissima, anima amans Deum fit nobilissima. Item, concomitatur et quantitas mensurans motum dilectionis: qui tripliciter mensuratur, scilicet secundum intensionem, durationem, et numerum vel multitudinem. Contingit enim concupiscere summum bonum intensione vehementer, vehementius, vehementissime; duratione diu, diutius, diutissime; multitudine, sæpe vel frequenter, sæpius, sæpissime: et secundum hoc dilectio actu major est, vel est minor dilectione. Igitur si non potest concupiscere vehementer, saltem durat parumper; quod si non diu continuare potest, quoniam, secundum Augustinum, in viatore sunt cogitationes volubiles, et consequenter necessariæ affectiones, saltem sunt repetendæ frequenter. Nam quo frequentius, eo consequenter vehementius concupisces. Sicut se habet diligere ad cognoscere: sic diligere perfecte, quod est in patria, ad cognoscere perfecte; sic diligere actu ad cognoscere actu. Scimus autem plura, sed intelligimus unum solum, ut dicit Aristoteles. Verum est actu, et ideo diligere possumus actu unum solum. Termini autem oppositi disparati sunt creator et creatura, inter quos sita est anima. Augustinus: Anima media inter Deum et creaturas posita, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur. Conversione ad creaturas obtenebratur, deterioratur, corrumpitur; et philosophi posuerunt animam creari in horizonte æternitatis et temporis, quæ cum creaturam actu

cognoscit, et per consequens actu diligit, Creatorem tunc actu cognoscere, ac per consequens actu diligere non potest. Hæc ille. Ex quo sequitur quod ex præsentia Dei in cognoscendo oriuntur perfectissimi actus dilectionis et amoris; et si præsentia est Dei, anima illuminatur, melioratur et perficitur; si præsentia est creaturæ, anima obtenebratur, deterioratur et corrumpitur.

ARTICULUS XVI.

De præsentia Christi Dei et hominis.

971. In conspectu Jesu Christi Salvatoris nostri, quem præsentem consideramus, solemus orare. Et hæc ejus consideratio, qua illum fidei oculis cernimus, non una est, sed multiplex. Sit prima ejus nativitas. De qua sermonem instituit D. Thomas, Opusc. LX, art. 4. Et dicit Sanctus: Circa nativitatem Christi tria possumus considerare, videlicet parentis virginitatem, nascentis benignitatem, et nativitatis utilitatem. De primo dicitur Isa. VII: Ecce virgo concipiet et pariet filium. Unde Augustinus: Speculum non rumpit radius solis, integritatem virginis ingressus aut egressus numquid poterat vitiare divinitatis? Notandum ergo quod fuit conveniens Christum concipi et nasci de Virgine, tum quia Verbum est Patris, cujus similitudinem gerit verbum cordis, quod sine corruptione concipitur, et sine corruptione de corde procedit: unde etiam conveniens fuit Verbum Dei Patris sine corruptione concipi et nasci: unde in quodam sermone dicitur: Neque verbum nostrum, cum paritur, corrumpit mentem; neque Verbum Dei specialem eligens partum, peremit virginitatem; tum etiam quia Christus venerat peccati corruptionem tollere, secundum illud Joan. I: Ecce Agnus Dei etc.; ideo dicit Augustinus: Fas non erat ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta; tum etiam in signum spiritualis regenerationis, quæ non (*est*) ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, ut dicitur Joan. I. Unde Augustinus: Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum corpus nasci de virgine, ut significaret sua membra de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.

972. Secundo, nascentis benignitatem. De qua dicitur ad Titum III: Apparuit benignitas et humanitas. Ubi notandum quod Christus exhibuit nobis benignitatem in divinitatis suæ communicatione: sed misericordiam in humanitatis nostræ susceptione. Primum ibi: Apparuit benignitas. Ubi dicit Bernardus: Apparuit Dei potentia in rerum creatione, sapientia in earum gubernatione: sed benignitas maxime apparuit in humanitate. Magnum enim indicium benignitatis declaravit, qui humanitati Dei nomen addere curavit. Secundum tangitur ibi: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam. Unde Bernardus: Quid tantopere declaravit ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Notandum vero quod ratio misericordiæ et benignitatis differunt in quatuor. Primo, in hoc quod misericordia respicit remotionem defectus: sed benignitas communicationem perfectionis. Secundo, in hoc quod misericordia proprie loquendo pertinet ad providentiam divinam, qua bona sua communicat creaturis rationalibus tantum; respicit enim miseriam, quæ, cum sit contraria felicitati, non potest esse nisi rationabilium creaturarum, quarum est esse felices: sed benignitas respicit providentiam divinam respectu quarumlibet rerum. Tertio, in hoc quod misericordia importat assimilationem quamdam providentis ad eum cui providetur: sed benignitas habet ordinem ad communicationem simpliciter. Quarto, quia misericordia removet debitum ab eo cui providetur: sed benignitas non removet debiti rationem ab eo cui aliquid datur: unde benignitas se habet communiter ad largitionem justitiæ.

973. Tertio, de utilitate (*nativitatis*) Christi; dicitur Isa. IX: Parvulus natus est nobis, idest ad utilitatem nostram. Sunt autem quatuor utilitates nativitatis Christi, quas possumus considerare ex quatuor conditionibus parvulorum, quæ sunt puritas, humilitas, amabilitas et placabilitas: quæ in hoc parvulo excellentissime inveniuntur. Primo, invenimus in eo summam puritatem, quia est candor lucis æternæ et speculum sine macula, ut dicitur Sap. VII. Hanc autem puritatem demonstrat conceptus et partus Virginis. Non enim corruptionem parere potuit incorruptio; unde dicit Alcuinus: Voluit ergo esse virginem de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Secundo, in hoc parvulo invenimus summam humilita-

tem. Ad Philipp. II: Exinanivit semetipsum. Hanc humilitatem ostendit, ut dicit Bernardus, locus diversorii, pannorum involutio, et in præsepe reclinatio. Tertio, invenimus in hoc parvulo summam amabilitatem, quia, Ps. XLIV, speciosus forma præ filiis hominum, immo præ millibus angelorum, ut dicit Bernardus. Hanc amabilitatem facit unio divinitatis cum humanitate. Quarto, invenimus in hoc parvulo summam placabilitatem, quia benignus est, et patiens, et multum misericors, et præstabilis super malitia, Joel II. Unde Bernardus: Christus parvulus est, et leviter placari potest.

974. Puer iste natus est nobis, ut ejus humilitatem imitemur, ut circa ejus amabilitatem afficiamur, ut ex ejus placabilitate fiduciam habeamus. Est natus in sacramentum pietatis. Unde ipse dicit, Matth. II: Ipse salvum faciet populum suum. Augustinus dicit in sermone de Nativitate: O beata infantia, per quam nostri generis reparata est vita! O gratissimi et delectabiles vagitus, per quos stridores dentium, plŏratusque æternos evasimus! O felices panni, quibus peccatorum nostrorum extersæ sunt sŏrdes! Natus est in augmentum charitatis. Luc. XII: Ignem veni mittere in terram. Bernardus: Quanto autem majorem bonitatem exhibuit, tanto magis affectum nostrum accendit. Natus est nobis in solatium spei et securitatis. Ad Hebr. LI: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Hæc ille.

Secunda præsentia: Apparitio Christi.

975. Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, Matth. II. D. Thomas, Opusc. LX, dicit: Tria commendabilia tanguntur de Magis, quibus Christus per stellam apparuit, videlicet quod Christum per stellam sapienter cognoverunt, cognitum diligenter quæsierunt, inventum reverenter adoraverunt. Primum ibi: Vidimus stellam ejus. Bene dicitur: ejus, quia dicit Fulgentius quod hæc stella nunquam ante apparuit; sed tunc eam puer iste creavit, et Magis ad se venientibus præviam deputavit. Leo papa dicit quod præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, et hoc quidem ad illuminationem fidei pertinebat: habebant enim fidem de Christi humanitate, unde di-

xerunt: Ubi est qui natus est rex Judæorum? et de ojus divinitate, unde subjunxerunt: Venimus adorare eum.

976. De secundo dicitur Matth. II: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Ubi notandum quod diligentia inquisitionis in tribus ostenditur; unde Augustinus: O anima mea, si diligenter peteres, tribus hoc signis ostenderes. Primo enim lumen peteres, ne tenebris impedireris; secundo scientes interrogares, ne quærens aberrares; tertio in nullo loco quiesceres, donec dilectum invenires. De primo dicitur Psal. LXVI: Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet, etc., ut cognoscamus in terra viam tuam. Glossa: Quæ ducit ad cœlum. Prov. IV: Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. Glossa: Justorum opera luce scientiæ peraguntur, et æternam ducunt ad vitam, quæ est perfecta dies; unde Magi in lumine stellæ Dominum quæsierunt, sicut de ipsis canit Ecclesia: Ibant Magi quam viderant, etc. Notandum vero quod hoc lumen, scilicet gratiæ, per peccatum amittitur; unde dicit Remigius de lumine stellæ, quod stella gratiam Dei, Herodes diabolum significat. Qui autem per peccatum diabolo subditur, mox gratiam perdit; a quo si per pœnitentiam recesserit, mox gratiam invenit, quæ non dimittit donec perducat ad domum Pueri, scil. Ecclesiam. De secundo dicitur Jerem. VI: State super vias vestras, et videte, et interrogate de semitis antiquis quæ sit bona via, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. Unde etiam Magi venerunt Jerosolymam, quærentes et dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Augustinus: Annuntiant et interrogant, credunt et quærunt, significantes eos qui ambulant per fidem et desiderant speciem. Sed sciendum quod, heu! multi doctores sunt similes Judæis, qui Magis demonstrato fonte vitæ, mortui sunt siccitate, ut dicit Augustinus. Quos etiam fabris arcæ Noe similes esse dicit, qui aliis ut evaderent præstiterant, et ipsi diluvio perierunt. Similes lapidibus milliariis, qui viam aliis ostenderunt, nec ipsi ambulare potuerunt.

977. De tertio dicitur Cantic. III: In lectulo meo quæsivi per noctem etc. Ubi dicit Gregorius: Dilectum in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ requie aliquantula in Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi jam mens in ipso vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui di-

lectum suum non invenit, restat ut surgat, quærat civitatem, idest sanctam Ecclesiam electorum mente et inquisitione percurrat, per vicum eum et plateas quærat, idest per angusta et lata gradientes aspiciat, ut si quæ in eis vestigia invenire valeat, exquirat. Quia sunt nonnulli, etiam vitæ sæcularis, qui imitandum habent aliquid de actione virtutis. Unde etiam Magi non quieverunt donec dilectum, idest Christum, invenerunt: cujus signum fuit quod tam longum spatium in tam modico tempore transierunt. Notandum vero quod fervens desiderium divini amoris non sinit animam quiescere, donec dilectum inveniat. Quia vero desiderium, si compleatur, delectat animam, ut dicitur Prov. XIII, ideo quanto desiderium fuerit ferventius, tanto delectabilius dilectus invenitur. Unde Magi, qui ferventissimo desiderio Christum quærebant, ipsum delectabilissime inveniebant. Unde Matth. II: Videntes Magi stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Unde dicit Glossa Bernardi quod gaudio gaudet qui propter Deum, qui est verum gaudium, gaudet. Addit et " magno „ quo nihil est majus; et " valde „ gavisi, quia de magno potest alius plus, alius minus gaudere.

978. Et procidentes adoraverunt eum. Augustinus: O infantia, cui et astra subduntur, quis est iste magnitudinis et supernæ gloriæ (*dominus*), ad cujus pannos et angeli excubant, et reges trepidant, et sectatores sapientiæ ingeniculant? Quis est hic talis et tantus? Stupeo cum video pannos, et intueor cœlum; æstuo cum inspicio in præsepe mendicum, et supra astra præclarum. Subveniat nobis fides, quia ratio naturæ deficit. — Sequitur: Et apertis thesauris suis, pretiosa munera obtulerunt, aurum, thus et myrrham. Per aurum intelligitur cœlestis sapientia; Thren. IV: Filii Sion inclyti, et amicti auro primo. Glossa: Ornati cœlesti sapientia. Per thus significatur devota oratio; unde Psal. CXL: Dirigatur oratio mea sicut incensum. Glossa: Igne charitatis succensum. Per myrrham significatur carnis castigatio; Cantic. V: Manus tuæ distillaverunt myrrham, et digiti tui pleni myrrha probatissima. Gregorius: Per manus operationes virtuosæ, per digitos discretio significatur. Manus ergo distillant myrrham quando caro virtuosis operibus castigatur: sed digiti dicuntur pleni myrrha probatissima, quia castigatio bene probata est, quæ fit cum discretione. Hæc ille.

Tertia præsentia: Tentatio Christi in deserto.

979. Christus tentari voluit, (*ut*) docet D. Thomas, Opusc. LX, art. 11, primo quidem ut nobis contra tentationes exempla ferret. Gregorius: Non est indignum Redemptoris quod voluit tentari, qui venerat occidi, ut tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram sua morte venerat superare. Omnia enim quæ Christus in mysterio assumptæ humanitatis vel fecit, vel sustinuit, nobis salutaria fuerunt: per ejus enim tentationem, et alia quæ sustinuit, roboramur. Ad Hebr. XII: Recogitate Dominum Jesum qualem sustinuit adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Maximus: Si nolumus a diabolo superari, inhæreamus ei qui contra diabolum triumphavit. Magna ergo consolatio membris ex capite. Bernardus: In creatione, in redemptione cæterisque omnibus beneficiis est Deus omnium: sed in tentationibus suis tamquam proprium aliquid habent eum singuli electorum. Sic enim paratus est cadentem suscipere, et eripere fugientem, ut videri possit, relictis omnibus, ei soli operam dare. Propterea expedit omni animæ (*ad*) Deum semper intendere tamquam proprium, non tantum adjutorem, sed etiam inspectorem. Unde legitur de beato Antonio, quod cum semel a dæmonibus in varias formas mutatis laceratus fuisset, subito quidam radius lucis dæmones effugavit, statimque sanatus, et Christum præsentem intelligens, dixit: Ubi eras, bone Jesu? Et vox ad eum: Antoni, hic eram; sed expectabam certamen tuum.

980. Secundo, tentari voluit propter nostram cautelam, ut nullus, quantumcumque sanctus, a diaboli tentatione securus sit. Joan. XIII: Non est servus major domino suo. Leo papa: Nemo de cordis sui puritate confidat, cum ille pervigil hostis acrioribus pulset insidiis, quos maxime viderit abstinere a peccatis. A quo enim dolos suos timeat abstrahere, qui ipsum Dominum majestatis ausus est tentare? Unde post baptismum Christum tentavit, quia, ut dicit Hilarius super Matthæum, in sanctificatis maxime tentamenta diaboli grassantur, quia vi-

ctoria magis est ei exoptanda a sanctis; Eccle. II: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore.

981. Tertio, propter exemplum, ut dicit Augustinus, quod Christus se diabolo tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus mediator esset, non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum. Dedit autem nobis exemplum non solum pugnæ, sed etiam coronæ. Unde super illud Matth. IV: Accesserunt angeli, et ministrabant ei, dicit Glossa: Sicut in hoc agone militia nostra pie instruitur, ita in obsequio angelorum gloriosa remuneratio edocetur. Unde etiam Bernardus: Ipse Dominus hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus, certantes spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat. Antiquus hostis primum hominem gulæ vitio tentavit, cum ligni cibum vetitum ostendit, atque ad comedendum suasit; vana gloria, cum diceret: Eritis sicut dii; avaritia, cum diceret: Scientes bonum et malum. Eisdem modis secundum hominem tentavit. Primo, per gulam, unde dixit: Si Filius Dei es, dic ut lapides, etc. Huic autem tentationi sic restitit dicens: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei; ubi dicit Glossa: Inferior pars hominis pane sustentatur, altera vero verbo Dei reficitur; quia vero agis de inferiori parte, patet quod tentator sis. Secundo tentavit eum per vanam gloriam, cui restitit: Non tentabis Dominum Deum tuum; ubi dicit Glossa: Non debet tentare Deum quando habet ex humana ratione quid faciat, sed postquam deficit humana ratio, commendat se Deo, non tentando, sed devote confitendo. Tertiæ tentationi restitit: Vade, Satanas. Cur indignanter sic respondit? Quia dicit Chrysostomus quod in propriis injuriis quempiam esse patientem laudabile est: Dei autem injurias simulare, nimis impium est. Hæc ille.

Quarta præsentia: Passio Christi.

982. D. Thomas, Opusc. LX, art. 18, dicit: Possumus autem sex notare circa Passionem Christi, scilicet Christi patientis voluntatem, patiendi congruitatem, passionis acerbitatem, ignominiositatem et utilitatem, ultimo persequentium cæcitatem et peccati gravitatem. De primo dicitur Isa. LIII: Oblatus est quia ipse voluit. Christus mortuus est non ex necessitate, sed ex

potestate, et ex propria voluntate. Unde Joan. x: Potestatem habeo ponendi animam meam. Hujus autem divinæ virtutis indicium centurio cruci Christi assistens sensit, cum vidit eum expirare: per quod maxime ostenditur quod non sicut homines ex defectu naturæ moriebatur. Non enim possunt cæteri cum clamore emittere spiritum, cum in illo mortis articulo vix etiam possunt linguam palpitando movere. Unde quod Christus clamando expiravit, in eo divinam virtutem manifestavit. Et propter hoc dixit centurio: Vere filius Dei erat iste.

983. De secundo autem fuit congruum quod Christus in juvenili ætate pateretur, tum ut suam dilectionem magis commendaret, quod vitam suam pro nobis dedit quando erat in perfectissimo statu; tum etiam quia non conveniebat ut in eo appareret naturæ diminutio, sicut nec morbus; tum etiam ut juvenili ætate moriens et resurgens, futuram resurgentium in se ipso qualitatem præmonstraret. Unde dicitur ad Ephes. iv: Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. De loco passionis Christi dicitur Luc. xiii: Non capit prophetam perire extra Jerusalem. Fuit autem conveniens Christum pati in Jerusalem, primo quia Jerusalem fuit locus a Deo electus ad sacrificia offerenda: quæ quidem figuralia sacrificia figurabant passionem Christi, quæ est verum sacrificium, secundum illud Ephes. v: Tradidit semetipsum hostiam et oblationem in odorem suavitatis. Secundo, quia virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, unde dicitur Ps. lxxiii: Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, idest in Jerusalem pati voluit, quæ dicitur umbilicus terræ. Tertio, quia hoc maxime conveniebat humilitati ejus, ut sicut turpissimum genus mortis elegit, ita etiam ad ejus humilitatem pertinuit quod in loco tam celebri confusionem pati non recusaret.

984. De tertio, videlicet de acerbitate Passionis, dicitur Thren. i: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor etc. Notandum vero quod acerbitas passionis causabat in Christo timorem, tristitiam et dolorem. De timore dicitur Matth. xii: Cœpit Jesus pavere et tædere; unde Damascenus: Omnia quæ a non esse ad esse deducta sunt, a Conditore existendi naturaliter desiderium habent, et non existere

naturaliter fugiunt. Et Deus igitur Verbum homo factus habuit hoc desiderium, quod demonstravit per escam, potum et somnum, quibus scilicet conservatur vita, unde tempore passionis habuit mortis timorem naturalem et tristitiam. Habuit etiam dolorem; Isa. xxxv: Vere languores nostros ipse portavit, et dolores nostros ipse tulit. Bernardus: Volve et revolve corpus dominicum, et non invenies in eo nisi dolorem et cruorem. Magnitudo hujus doloris potest perpendi ex duobus. Primo ex ejus causalitate, quæ fuit læsio corporalis, quæ habuit magnam acerbitatem; tum propter generalitatem passionis, quia a planta pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas, ut dicitur Isa. i; tum etiam ex genere passionis, quia mors confixorum in cruce est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus. — Secundo potest perpendi magnitudo doloris ex percipibilitate patientis. Nam et secundum corpus erat optime complexionatum, et ideo in eo viguit maxime sensitivus tactus.

985. De quarto, videlicet Passionis ignominiositate, dicitur Sap. ii: Morte turpissima condemnemus eum; Glossa: idest crucis, quæ usque ad passionem Christi pœna reorum fuit. Nunc trophæus est victoriæ, Ecclesiæ gloria. Augustinus: Crux Christi, quæ erat supplicium latronum, nunc transit ad frontes imperatorum. Notandum quod passio Christi fuit ignominiosa tum propter ignominiosum locum; Joan. xix: Bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum; Hieronymus: Extra portam enim et extra urbem loca sunt in quibus capita damnatorum truncantur, idest decollatorum, et calvariæ sumpsere nomen: propterea ibi crucifixus est Jesus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigeretur vexillum martyrum; — tum etiam propter ignominiosum supplicium; Deuter. xxi: Maledictus omnis qui pendet in ligno.

986. De quinto, scilicet Passionis utilitate, dicitur Ps. lxxiii: Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, in Jerusalem, quæ dicitur umbilicus terræ. Est igitur utilitas passionis Christi salus Christianorum. Notandum quod passio Christi causabat nostram salutem multis modis. Uno modo, per modum meriti; Philipp. ii: Propter quod Deus illum exaltavit. Alio modo causabat Christi passio salutem per modum satisfactionis; unde ex persona ipsius dicitur in Ps. lxiv:

Quæ non rapui, tunc exsolvebam; quasi diceret: Non peccavi, et pœnas dedi. Alio modo passio Christi causabat salutem nostram per modum sacrificii; unde ad Ephes. v: Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Quia vero humanitas Christi operabatur in virtute divinitatis, sacrificium illud efficacissimum erat.

987. De sexto patet, videlicet de persequentium cæcitate et gravitate peccati eorum, de quibus dicitur I. Cor. II: Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; et Matthæi XXIII: Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Dicit Apostolus: Si cognovissent. Sciendum tamen quod eorum ignorantia erat quodammodo affectata; et principes cognoverunt. Videbant enim signa divinitatis, sed ex odio et invidia Christi ea pervertebant. Quantum ad gravitatem peccati, peccatum principum Judæorum fuit gravissimum. Judas tradidit Christum non Pilato, sed principibus sacerdotum; qui tradiderunt eum Pilato, secundum illud Joan. XVIII: Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi. Horum tamen omnium peccatum fuit majus quam Pilati, qui timore Cæsaris Christum occidit; et etiam quam peccatum militum, qui mandato præsidis Christum crucifixerunt, non ex cupiditate, sicut Judas, nec ex invidia et odio, sicut principes sacerdotum. Hæc ille.

Quinta præsentia: Sepultura Christi.

988. De sepultura Christi dicitur Isaiæ XX: Et erit sepulchrum ejus gloriosum, idest ab omnibus honorabitur. Mirabilia dicit D. Thomas, Opusc. LX, cap. 20, de sepultura. Nota, dicit Sanctus, quod per sepulchrum cœlestis contemplatio significatur. Unde super illud Job III: Gaudent vehementer cum invenerint sepulchrum, dicit Gregorius: Sicut in sepulchro corpus, ita in divina contemplatione anima absconditur mundo mortua, ubi ab omni strepitu sæculi quasi trina immersio per triduum sepulturæ est quieta; Psal. XXX: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ; a conturbatione hominum tribulati, et opprobriis hominum vexati mente intrantes ad vultum Dei non turbantur. Sunt autem tria necessaria ad hanc sepulturam spiritualem Dei, videlicet ut mens virtutibus exerceatur, ut tota munda et candida efficiatur, ut huic mundo funditus moriatur: quæ circa

Christi sepulturam mystice sunt demonstrata. Primum signatum est Marci XIV, ubi legitur quod beata Maria Magdalena prævenit ungere corpus Jesu in sepulturam, quia unguentum nardi pystici propter sui pretiositatem virtutes designat, quibus in hac vita nihil est pretiosius, secundum illud Eccli. XXVI: Non est ponderatio digna continentis animæ: ideo sancta anima debet prius per exercitium virtutis inungi, quæ vult in divina contemplatione sepeliri. Unde Job V: Ingredieris in abundantia sepulchrum; Glossa: Divinæ contemplationis. Sicut infertur acervus tritici in tempore suo; Glossa: Quia tempus actionis præmium est æternæ contemplationis, et necesse est ut perfectus prius mentem virtutibus exerceat, et eam post in horreum quietis condat.

989. Secundum signatum est Joan. XIX, ubi legitur quod Joseph mercatus est sindonem etc., quia sindon est pannus lineus, ut dicit Remigius, et cum magno labore ad candorem perducitur. Unde significat interdum mentis candorem, ad cujus perfectionem cum magno labore pervenitur. Apocal. XXII: Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc. Rom. VI: In novitate vitæ ambulate; de bono in melius proficiendo per justitiam fidei et spem gloriæ. Igitur homines internæ candore munditiæ debent in sepulchro divinæ contemplationis recondi. Unde super illud Matth. V: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, dicit Hieronymus: Mundus Dominus a mundo corde conspicitur.

990. Tertium signatum est Joan. XIX, ubi subjungit: Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ et aloes, quibus caro mortua incorrupta conservatur, perfecta mortificatio sensuum exteriorum designatur, qua mens mundo mortua conservatur ne a vitiis corrumpatur, secundum illud I. Cor. IV: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem; Glossa: Idest assidue purior efficitur a vitiis per ignem tribulationis. Igitur mens hominis prius debet cum Christo huic mundo mortificari, et postea in secreto divinæ contemplationis cum ipso tumulari. Unde Coloss. III: Mortui estis cum Christo; Glossa: Vanis et caducis; et postea subjungitur: Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. — Possumus tamen adhuc circa sepulturam Christi quatuor notare, quibus indigemus ad hoc quod corpus Christi in sepulchro

cordis recondatur. Primum est mentis purificatio, quæ per sindonem Joseph significatur. Secundum est corporis castigatio, quæ per myrrham et aloe, quibus caro mortua conservatur a corruptione, significatur. Tertium est totius vitæ innovatio, figurata per sepulchri novitatem. Quartum est devota Christi meditatio, quæ significatur per sepulchrum excisum in petra.

ARTICULUS XVII.

De præsentia Dei per corporeas imagines.

991. Secundus modus præsentiæ Dei corpus excludit, quia non Filium Dei carne velatum, sed adorandam Trinitatem ac Deum ipsum, ubique per essentiam, præsentiam et potentiam existentem nobis astantem cogitamus. Ita tamen cogitamus, ut ejus, sub imagine corporali hominis eximiæ cujusdam auctoritatis, vel luminis, vel ignis, vel fontis totius boni, recordemur. In quo etiam nullus intercedit error; quoniam Deum non hæc esse dicimus; sed ex his imaginibus ad cognoscendas ejus perfectiones assurgimus, et quasi in illis spiritum illum purissimum latentem, et per rimulas suarum creaturarum se ostendentem pervidemus. Per hominis imaginem, ejus benignitatem vel judicium; per lumen, ejus splendorem; per ignem, ejus efficacitatem; per fontem, ipsius largitatem in dando cognoscimus. Idcirco Scriptura Deum his et aliis nominibus similibus vocat: quod utique non faceret, si ita illum considerare non liceret.

992. D. Thomas exponit illam visionem Isaiæ VI: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant replebant templum etc. Dicit Sanctus: Hæc autem visio dicitur a quibusdam fuisse imaginaria, a quibusdam intellectualis. Et assumitur ab ipso propheta figura ex consimili, sicut dicit Dionysius in epistola ad Titum, quia prophetæ his quæ plane vident sine figuris, componunt figuras ad manuductionem audientium, qui per figuras sensibiles faciliter accipere possunt. Qualitercumque autem sit, oportet hic duo videre. Primo, imaginationem figuræ, vel a propheta visæ, vel ab ipso compositæ. Secundo, ipsius figuræ significationem. Ad aliquid enim signi-

ficandum spiritualiter inducuntur sensibiles figuræ spiritualium in S. Scriptura, (*ut*) dicit Dionysius; et ille erit litteralis sensus, sicut in locutionibus metaphoricis, non illud quod significatur per verba, sed quod loquens per verba vult significare.

993. Circa primum ergo sciendum est quod templum ædificatum a Salomone habuit in altitudine centum viginti cubitos, sicut dicitur II. Paral. III. Et erat distincta altitudo per tres domos: quarum suprema habebat sexaginta cubitos, et utraque inferiorum triginta. Et de istis dicitur III. Reg. VI: Per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. " Vidit ergo solium „ Domini in supremo cœnaculo, propter quod dicitur " excelsum, „ idest altum, sicut et " elevatum, „ super omnia cœnacula, et a claritate vultus ejus resplendebat medium cœnaculum. Propter quod dicitur " domus plena majestate, „ idest gloria ejus. " Et ea quæ sub ipso erant, „ idest ornamenta throni ejus, vel etiam splendor vestimentorum, sive subditorum agmina, implebant infimum cœnaculum, in quod intrabant sacerdotes, propter quod dicit " templum. „

994. Circa secundum sciendum est quod hujus visionis significationes tripliciter a diversis assignantur. Quæ omnes adducuntur a sancto Doctore. Solum adducam ultimam, quæ est D. Dionysii, quæ est magis ad propositum. Per solium, dicit Sanctus, significatur eminentia divinæ naturæ, et dicitur " excelsum „ propter nobilitatem, " elevatum „ quasi supra alia levatum, in quantum omnia in infinitum excedit, in quo dicitur sedere propter immobilitatem. Unde dicit, IX, cap. De divinis nominibus: Quidnam dicendum de divina statione præter hoc quod manet in seipso immobili identitate singulariter fixus? Et dicitur domus tota creatura, quæ plena est majestate, in quantum impletur participatione bonitatis ipsius, secundum suam capacitatem. Et per templum videtur intelligere ipsas superiores creaturas, quæ replentur his quæ sub ipso sunt, in quantum bonitates receptæ in ipsis deficiunt a bonitate Dei, quæ tamen videtur propinquare.

995. D. Thomas, in IV, dist. 48, qu. 1, art. 1, ad 4, et 3 p., q. 59, art. 1, ad 2, explicat illam visionem Danielis VII: Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum quasi nix etc. Dicit Sanctus quod

in illa visione Danielis manifeste exprimitur totus ordo judiciariæ potestatis, quæ quidem sic in prima origine est in ipso Deo, et specialiter in Patre, qui est fons totius divinitatis: et ideo primo præmittitur quod Antiquus dierum sedit; sed a Patre judiciaria potestas traducta est in Filium, non solum ab æterno secundum divinam naturam, sed etiam in tempore secundum humanam, in qua meruit: et ideo subjungitur in visione prædicta: Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. In 3 p. dicit quod, sicut Augustinus dicit in VI de Trinitate, Patri attribuitur æternitas propter commendationem principii, quod importat(*ur*) in ratione æternitatis; ibidem etiam Augustinus dicit quod Filius est ars Patris. Sic igitur auctoritas judicandi attribuitur Patri inquantum est principium Filii; sed ipsa ratio judicii attribuitur Filio, qui est ars et sapientia Patris: ut scilicet sicut Pater facit omnia per Filium, inquantum est ars ejus, ita etiam judicet omnia per Filium, inquantum est sapientia et veritas ejus. Et hoc significatur in Daniele, ubi primo dicitur quod Antiquus dierum sedit, et postea subditur quod Filius hominis pervenit usque ad Antiquum dierum, dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. Per quod datur intelligi quod auctoritas judicandi est apud Patrem, a quo Filius accepit potestatem judicandi.

996. D. Thomas, Quodlibeto I, art. 1, ad 2, dicit quod lumen Dei quandoque dicitur ipse Deus, quandoque vero aliud lumen derivatum ab ipso secundum illud Psalmistæ, XXXVI: In lumine tuo videbimus lumen. Et idem Sanctus explicans auctoritatem Davidis a se citatam, dicit: " In lumine tuo „ non intelligitur de lumine creato a Deo, quia sic intelligitur illud quod dicitur Genes. I: Fiat lux; sed " in lumine tuo, „ quo scilicet tu luces, quod est similitudo substantiæ tuæ. Istud lumen non participant animalia bruta: sed rationalis creatura primo participat illud in cognitione naturali. Nihil enim est aliud ratio naturalis hominis nisi refulgentia divinæ claritatis in anima: propter quam claritatem est ad imaginem Dei; Psal. IV: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Secundum est lumen gratiæ; Ephes. V: Exurge, qui dormis, etc. Tertium est lumen gloriæ; Isa. LX: Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit

lumen tuum. Vel " in lumine tuo, „ idest in Christo, qui est lumen de lumine; et sic est lumen quod est verus Deus. Est ergo lumen Christus, inquantum procedit a Patre; est fons vitæ, inquantum est principium spiritualis vivificationis. Et sic Deus dicitur lux propter ejus splendorem. Hæc ille.

997. D. Thomas explicans illud ad Hebr. XII: Etenim Deus noster ignis consumens est, dicit sic: Hoc autem quod Deus dicitur ignis, non dicitur hoc, secundum Dionysium, quod sit aliquod corporeum, sed quia intelligibilia designantur per sensibilia, inter quæ ignem reperimus habere majorem nobilitatem; item majorem claritatem; item majorem activitatem; item majorem altitudinem in situ; item est magis purgativus et consumptivus: ideo Deus præcipue nominatur ignis, propter ejus claritatem, quia lucem habitat inaccessibilem, I. Tim. VI; item, quia maxime activus; Isa. XXVI: Omnia opera nostra operatus est in nobis. Item, altior est in situ; Psal. CXII: Excelsus super omnes gentes Dominus. Item purgat peccata, et quasi consumit. Unde dicitur ignis consumens, scilicet peccata; Malach. III: Ipse enim quasi ignis conflans. Et sequitur: Et purgabit filios Levi, purgationem peccatorum faciens. Item consumit peccatores puniendo; ad Hebr. X: Terribilis autem quædam expectatio, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Et ideo quia ista nobis promissa sunt (Isaiæ X: Erit lumen Israel in igne, et Sanctus ejus in flamma; Ps. XCVI: Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus), ideo debemus studere ad serviendum et placendum Deo. Hæc ille. Idem D. Thomas, qu. 7, De potentia, art. 5, dicit quod Deus dicitur ignis, quia operatur ad modum ignis dum purgat, quod ignis suo modo facit. Et in II, dist. 6, q. 1, art. 3, ad 2: Inter alia corpora generabilia et corruptibilia ignis est subtilissimus, et plus habet de luce, et ideo metaphorice competit Deo, ut dicit Dionysius in fine Cœlest. hierarch.

998. D. Thomas, Opusc. LXI, in expositione quatuor gradus divini amoris, dicit: Deus est fons vivus; et hoc dixit Regius vates, Psal. XLI: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quem versiculum exponens idem Sanctus, dicit: Fons dicitur qui scaturit et producit aquas vivas, et qui jugiter et indeficienter emittit aquas. Omnis aqua gratiarum ab isto fonte emanat, scilicet a Deo Patre. Jerem. II: Dereliquerunt fontem

aquæ vivæ. Item emanat a Filio, etiam in quantum Deus, Psal. xxxv: Apud te est fons vitæ. Fons sapientiæ verbum Dei, Eccli. I. Item a Spiritu sancto. Joan. IV: Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et Joan. VII: Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Ergo quia ipse est fons, anima mea sitivit ad eum. Sitis designat desiderium cum anxietate. Ita iste designat se pati anxietatem, non solum ex dilatione rei desideratæ, sed propter mala quæ hic affligunt. Matth. V: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Idem D. Thomas exponens illud Ps. xxxv: Quoniam apud te est fons vitæ, dicit sic: Si referatur ad Christum, sic est sensus: " Apud te, „ idest tu es fons vitæ. Si autem referatur ad Patrem, sic est sensus: " Apud te est fons vitæ, „ idest Verbum tuum vivificans omnia " est apud te; „ Joan. I: Verbum erat apud Deum. Jerem. II: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Qui vere est fons vitæ, idest spiritualium bonorum, ex quibus omnia vivificantur.

999. Deus quasi sub his figuris latens, hominibus interdum apparuit, et quidem sub imagine hominis facta est multiplex apparitio. De primis parentibus, post admissum peccatum, in Genesi legimus: Et cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. Quo loco Deum effigie humana per angelum ejus personas repræsentantem apparuisse, ac verba sensu corporis audibilia protulisse, multorum sententia est. Abrahæ apparuit Dominus in convalle Mambræ. Sed quomodo apparuit? Apparuerunt tres viri stantes prope eum. Tres viri, tres unius Dei personas significabant. Lux etiam Dei imago est. Nam transfigurationis mysterium narrans Matthæus, inquit: Ecce nubes lucida obumbravit eos. Atque in splendore illo Deum repræsentari intelligamus. Similiter et ignis. Quoniam Spiritus sanctus in linguis igneis descendit super Apostolos. Fontem Deum significare est commune apud sanctos Patres, fundatos in pluribus locis sacræ Scripturæ.

ARTICULUS XVIII.

De præsentia Dei sine imagine.

1000. Deus dicitur esse in omnibus rebus. Hæc propositio *in*, cum dicitur aliquid esse in aliquo, habet diversas acceptiones, et ex ejus æquivocatione provenit æquivocatio et confusio. Nam, in genere loquendo, esse in aliquo dicitur secundum quamcumque conjunctionem et habitudinem ad aliud, et secundum quod diversis rebus adjungitur, diversas habitudines notat, ut cum dicitur aliquid esse in toto, vel in parte, vel in loco. Cæterum, proprie loquendo, hæc propositio *in* importat habitudinem unius ad alterum per modum continentis, ut ait D. Thomas, p. p., q. 39, art. 8. Continet autem Deus aliquid vel intra se per suam similitudinem, sicut res est in cognoscente; vel extra se, quatenus illi subjiciuntur et ab eo conservantur et disponuntur. Hic autem modus essendi in aliquo extra se per modum continentis potest dari secundum triplicem habitudinem causæ, ut advertit D. Thomas super epistolam ad Rom. XI, lect. 5, exponens illa verba: Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Uno modo secundum quod designat causam materialem, sicut dicimus animam esse in corpore, et formam in materia, et accidentia in subjecto: et sic non est aliquid in Deo, cum ipse non sit materia nec subjectum. Alio modo secundum habitudinem causæ efficientis, in cujus potestate est effectus suos disponere. Et secundum hoc dicuntur omnia esse in ipso, secundum quod omnia sunt in ejus potestate et dispositione, juxta illud Psal. XCIV: In manu ejus sunt omnes fines terræ; Actor. XVII: In ipso vivimus, et movemur, et sumus. Tertio modo secundum habitudinem causæ finalis, secundum quod totum bonum rei et conservatio ipsius consistit in suo optimo, et secundum hoc dicuntur omnia esse in Deo, sicut in bonitate conservante, juxta illud ad Coloss. I: Et omnia in ipso constant. Et hac ratione attribuitur peculiariter Spiritui sancto, quod in ipso sunt omnia, quia appropriatur illi bonitas, quæ omnia conservat extra Deum, ut explicat divus Thomas, p. p., q. 39, art. 8.

1001. Advertendum est ex D. Thoma, art. 3, q. 8, p. p., per istos tres modos voluisse explicare in præsenti non solum ipsum modum immensitatis, quatenus habet contactum virtualem et physicum ad res, qui fit mediante operatione seu virtute operativa, sed etiam voluit explicare modos quibus immensitas ipsa subjicit sibi omnia quæ tangit, sive gubernando, sive conspectui suo præsentando. Et ita potentia, secundum quam Deus dicitur esse in rebus, duplicem habitudinem seu considerationem habet, scilicet et tangendi contactu suo res quas immediate operatur, et gubernandi ac dirigendi illas. Et primo modo constituit existentiam Dei in rebus per essentiam, et secundo modo per potentiam. Magis autem proprie explicavit Divus Thomas istos modos, art. 3, quæst. 8 p. p., quam in 1, dist. 37, q. 1, art. 2; quia hic explicavit illos sumendo propositionem *in* magis proprie secundum habitudinem continentis et subjicientis sibi alia: licet etiam secundum alias habitudines simultatis et conjunctionis accipi possit, minus tamen proprias.

1002. Secundum mentem D. Thomæ præsentia Dei intellectualis constituitur secundum tres modos præsentiæ, qui distinguuntur secundum diversum modum subjiciendi et continendi creaturas extra Deum, ita quod modus existendi per essentiam est idem quod modus existendi per contactum immediate, quo ipsa substantia Dei est in rebus; nam essentia considerata absolute et sine contactu non existit nisi in se tantum: non vero existit in alio, sed in se. Quare ratio formalis qua existit in rebus substantia Dei non potest esse ipsa essentia absolute considerata in se, sed prout importat habitudinem contactus: qui contactus, cum sit divinus, necessario est ad aliquid sibi inferius, quod immutatur et subjicitur Deo. Et ita contactus ipse substantiæ divinæ ad res debet esse sicut contactus formæ agentis supremæ ad ea quæ participant ipsam, atque adeo talis substantia, media participatione sui et operatione fit contactiva, et sub hac ratione operatio seu potentia, ut fundat contactum divinum, pertinet ad modum essendi Dei per essentiam, quia ly per essentiam non importat essentiam absolute et in ordine ad se, sed ut contactivam rei extra se immediate secundum suam substantiam, atque adeo ut operantem in illam.

1003. Modus autem essendi per potentiam dicit modum exi-

stendi in rebus per modum continentis: non continentia contactus, sed continentia potestatis gubernativæ et directivæ effectuum extra se. Potentia enim potest comparari ad effectus suos, vel prout continet illos in causa, et in potentia; vel prout continet illos extra se in actu. Primo modo effectus non tanguntur a causa, quia in se non sunt aliquid, sed intra causam et in ejus potentia. Secundo modo dupliciter illos respicit et continet: vel gubernando, seu dirigendo, sicut rex gubernat et continet in officio subditos mediis ministris; vel prout producit, et physice dat eis esse. Et Deus utroque modo respicit creaturas: nam et omnibus dat esse ita immediate, quod si suspendat influxum, potest quodcumque ens annihilare, et sic fundat contactum immediatum, et secundum substantiam suam, et est primus modus existendi in rebus; deinde etiam omnia gubernat et dirigit mediantibus causis secundis, et quædam etiam per se ipsum, et hoc pertinet ad hunc secundum modum continendi omnia per potentiam, ut gubernativam, et non præcise ut productivam.

1004. Tertius modus existendi in rebus per præsentiam nihil aliud est quam res ipsas, quas producit in propria mensura, facere etiam subjectas conspectui suo per intuitionem, non solum quatenus eas intuetur in æternitate tam futuras quam præteritas, sed prout existentes in sua propria mensura non possunt effugere conspectum Dei: sed oculis ejus, et non solum gubernationi ejus subjectæ sunt, juxta illud ad Hebr. IV: Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta oculis ejus. Quod certe maxima subjectio est, et distincta a subjectione gubernationis; inter homines enim quantumcumque habeat aliquis summam potestatem, non tamen omnia subjecta et nuda sunt oculis ejus. Et licet res, cum cognoscuntur, per similitudinem sint in cognoscente, potius quam cognoscens in illis, tamen hoc est generale omni cognitioni; speciale vero est in hac præsentia quod nulla creatura possit fugere oculos Dei, nec ab eo se abscondere. Et hæc servitus seu subjectio pertinet ad modum quo Deus subjicit sibi creaturas, non solum cognoscendo quomodocumque, sed sic cognoscendo, ut non possit abscondi et effugere ab eo.

1005. Proprium est Dei esse ubique. Et esse ubique duo involvit, scilicet extensionem ad omne ubi, seu ad omnem locum

et modum existendi in quocumque loco et in quocumque ubi. Et quantum ad extensionem Deus dicitur esse ubique quantum ad omnia loca simpliciter, quia est in omnibus locis positivis actu, virtualiter autem etiam in infinitis quæ poni possunt: et hoc est ab intrinseco suæ naturæ. Ex parte modi existendi Deus dicitur esse ubique simpliciter et per se, quia non per partes existit in omnibus locis, quasi una pars Dei sit in uno loco et alia pars in alio, cum careat partibus: sed totus Deus et tota ejus immensitas est in quolibet loco, sed non totaliter, quia non omni modo quo potest explicare et applicare suam virtutem, est in quolibet loco: sicut totus Deus videtur a quolibet beato, sed non totaliter, idest non omni modo quo cognoscibilis est, ita ut modus cognoscibilitatis adæquetur a modo intelligentis.

1006. Isti tres modi præsentiæ jam enumerati, aliis rationibus confirmantur. Primus modus præsentiæ Dei est per essentiam: nam ibi est ubi operatur. Sol sua virtute in visceribus terræ producit aurum, argentum et alia metalla, et saxorum duritiem et corpora cuncta penetrat: quanto magis Deus creator universorum omnibus erit intime præsens, qui omnibus esse tribuit, et nisi conservaret et sustineret, cuncta perirent. Deus in terra est, quia omnia movet in illa sine motu suo. In mari et in aquis est Deus, illam multitudinem piscium gignens. In aere est omnia animans, et me ipsum ejus inspiratione custodiens. D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 3, deplorat eorum cæcitatem, qui semper Deum quasi absentem quærunt, cum præsentem intra semetipsos possideant. Magna cæcitas, inquit, et nimia stultitia est in multis, qui semper Deum quærunt, continue ad Deum suspirant, frequenter Deum desiderant, quotidie in oratione ad Deum clamant et pulsant, cum ipsi, secundum verbum Apostoli, sint templum Dei vivi, et Deus veraciter habitet in eis; cum anima ipsorum sit sedes Dei, in qua continue requiescit. Quis unquam nisi stultus quærit instrumentum foris, sciens quod habet reclusum? Aut quis utiliter uti potest instrumento quod quærit, aut quis confortatur cibo quem appetit sed non gustat? Sic etiam vita cujuslibet justi Deum semper quærentis, sed nunquam fruentis. Hæc ille. In igne splendidissimo est Deus, me calefaciens et fovens, et splendore ac pulchritudine ad ejus pulchritudinem considerandam et amandam

alliciens. Ad cœlum oculos attollo? Illic est domus Dei, ibi degit, ibi justis suis copiam sui facit.

1007. Secundus modus præsentiæ Dei per potentiam gubernativam confirmatur ex illo quod quærit D. Thomas, p. p., q. 103, art. 3: Utrum mundus gubernetur ab uno, et respondet Sanctus in corpore articuli, dicendo quod necesse est dicere, quod mundus ab uno gubernatur. Cum enim finis gubernationis mundi sit quod est essentialiter bonum (quod est optimum), necesse est quod mundi gubernatio sit optima. Optima autem gubernatio est quæ fit per unum. Cujus ratio est, quia gubernatio nihil aliud est quam directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum: unitas autem pertinet ad rationem bonitatis, ut Boetius probat in tertio de Consolatione, per hoc quod sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant unitatem, sine qua esse non possunt: nam unumquodque in tantum est, in quantum unum est. Unde videmus quod res repugnant suæ divisioni quantum possunt, et quod dissolutio uniuscujusque rei provenit ex defectu illius rei. Et ideo id ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est unitas sive pax: unitatis autem causa per se est unum. Manifestum est enim quod plures multa unire et concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius quam multi uniti. Unde multitudo melius gubernatur per unum quam per plures. Relinquitur ergo quod gubernatio mundi, quæ est optima, sit ab uno gubernatore. Et sic Deus est in omnibus rebus per potentiam gubernativam. Hæc ille.

1008. Tertius modus præsentiæ Dei per præsentiam. Lux enim æterna, dicit Gregorius, quæ Deus est, quanto (*magis*) immutabiliter fulget, tanto (*magis*) penetrabiliter videt; et neque occulta nescit, quia cuncta penetrat; neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. D. Augustinus sic scribit: Sed imperfectum meum viderunt oculi tui: oculi, inquam, tui multo lucidiores sunt sole, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et in omni loco contemplantur semper bonos et malos. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis suæ, si tantum unum aspicias: neque minuitur, si innumera videas et diversa. Quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sed singula quælibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic et unum; et sicut

unum, sic singula, totus simul sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras.

1009. Præsentia Dei multum difficilis est his qui vitiis et peccatis subjecti sunt et mundi curis addicti. Isti enim, cum in Ægypto vixerint et se catenis ejus vincti pertulerint, ut ad pacem et spiritualem Jerosolymam veniant, in qua habitat Deus, multum debent laborare. Tu ergo, o homo Dei, qui hanc gemmam pretiosissimam divinæ præsentiæ obtinere concupiscis, assequendæ magnæ puritati tui cordis incumbito. Sol luminis sui radium in speculum tersum ex diametro sibi objectum effundit, et Deus in animam mundam, et peccatis ac vitiis, et passionum ac cognitionum excessibus liberam sui memoriam tranquillam immittit. Quæres itaque munditiam, et vincula imperfectionum abrumpes, ut suaviter in Deum recordatione feraris.

1010. Amorem Domini per assiduas aspirationes et per bona opera augere curato. Quia amor oculum mentis ita afficit, ut alium quam amatum videre non libeat. Longo experimento didicisti, quia de his quæ amas, libenter cogitas; dilige itaque Deum, et absque ulla difficultate de eo cogitabis. Unde Richardus Victorinus ait: Castus profecto columbinusque oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Iste est oculus qui non clauditur; quia carnalitatis palpebra caret: nullo injecto turbatur, quia nihil admittit forinsecus: nulla cæcatur caligine, quia tenebræ in eo non sunt ullæ: nullo gravatur sopore, ipso teste, qui ait: Ego dormio, et cor meum vigilat; oculus rectus, oculus vere dexter, quem nulla seorsum avertit sinistra intentio, nulla deorsum inflectit terrena affectio. Oculus vero simplex et prudens, quem nulla concutit incerta suspicio, nulla detinet curiosa sollicitudo, illum incessabiliter intuens in quem angeli prospicere desiderant.

1011. Te ipsum per veram humilitatem dejicito, et tui ipsius memoriam a proprio amore protectam expellito. Deus enim humilia respicit; si autem ipse te respicit benignis oculis suis, ut in eum respicias, faciet. Et cum nemo duobus dominis servire possit, fit ut memoria tua, ut Deo per recordationem assiduam serviat, necesse sit ut ab immoderata cura tui ipsius se subtrahat. Memor ero tui, ait David, de terra Jordanis et

Hermoniim a monte modico. Nam et in humilitate et abnegatione sui ipsius unusquisque Dei fructuose reminiscitur. Et ideo Gregorius prædictum locum sic ad hunc sensum trahit. Jordanis quippe, ut dixi, descensio: Hermoniim autem anathema, idest alienatio interpretatur. De terra igitur Jordanis et Hermoniim Deo reminiscitur, qui in eo quod semetipsum dejicit atque a se alienus existit ad Conditoris sui memoriam revocatur. Te ergo in infimo loco constitue, et obliviscere temetipsum, et populum tuum, ac domum patris tui, ut summus Rex tuum decorem concupiscat, et te jugiter in suum conspectum admittat. Ideo enim rejicimur, et per exteriora vagari permittimur, quia honoris mundani desideriorum et nostri ipsorum pleni sumus. Quod si nos evacuaremus, Deus hunc pretiosum suæ præsentiæ liquorem in nostris cordibus custodiret.

1012. Diligenter te ad hoc exercitium divinæ præsentiæ excitabis. Nam sine discreta sollicitudine nihil magnum et arduum efficitur. Est autem divina præsentia res magna et ardua. Magna, ex qua tot et tanta bona profluunt; ardua, cui tanta impedimenta ex parte nostræ imbecillitatis obsistunt. Audi quid de hac re sapienter scribat Rusbrochius: Sicut enim is qui scribendi scientiam cupit adipisci, magnam initio diligentiam adhibere, seduloque advertere pingentis manum, et in ipso sese scriptionis exercere studio, sæpiusque magno labore litterarum sibi imagines imprimere cogitur: et quamvis in initio perquam difficile et pene impossibile sibi videatur, ut possit eam artem adipisci, si tamen sæpius exercitare se velit, deinde a diligentiori attentione et litterarum imaginibus absolutus faciliter litteras pingit, quod similiter in aliis artibus atque scientiis ita se habet. Ita et Deus per continua exercitia in homine fixe stabiliterque præsens fieri debet. Ipse namque adeo nos ubique et semper movet, admonetque ut si illius saltem curam haberemus, nec ad alia plus satis essemus effusi, ipsum utique ubique in omni re, loco et tempore præsentem haberemus, in nobis sentiremus, imaginis suæ forma transformaremur, et in ipso uncti ac, ut ita dicam, habituati essemus, adeo ut citra difficultatem, nulloque negotio absque alia quavis imagine ejus nos amabilis omni in re, loco et opere possideret præsentia, nosque pro ordinata in Deum propensione, prorsus liberi at-

que expediti maneremus. Quisquis autem ad ista volet pertingere, diligens sit oportet, Deumque magna cum diligentia observet, eidemque observationi faciat satis, nihil cum amore inordinato, sed omnia pure ad Dei honorem possideat, nec aliqua demum inutilia, vana, frivola, sciens ac volens tractet, agatve.

DISPUTATIO II.

DE ALIQUIBUS SPECIEBUS ORATIONIS QUÆ PERTINENT AD STATUM PERFECTUM.

ARTICULUS I.

De oratione unionis.

1013. Unio, ut jam diximus aliis in locis, nihil aliud est quam id quod ex duobus vel pluribus unum fit. Quare inquirendum est quomodo ex Deo et anima quid unum contemplatione fiet. Unio hæc animæ cum Deo non fit in substantia, quasi significet quod Deus sit intime præsens animæ, aut quod anima suum proprium esse amittat et convertatur ad Deum. Primum enim horum commune est omnibus rebus quæ habent in se præsentem Deum, et si loqueremur de esse per gratiam, omnes justi per eam sunt Deo uniti, et per virtutem charitatis: nam qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Et pro omnibus postulavit Dominus: Ut omnes unum sint: sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint. Neque etiam ad hanc unionem sufficiunt gratia et charitas perfecta: quoniam multi sunt in Ecclesia viri perfecti, qui charitatem perfectam habent, quibus nec donum contemplationis, nec donum unionis hujus datum est. Secundum vero est impossibile, quoniam cum Deus sit immutabilis, nihil potest in ejus simplicissimam naturam converti, nec ipse cum alio in compositionem alicujus. Relinquitur ergo hanc unionem

in viribus animæ celebrari, nimirum in intellectu et affectu, et in his actibus prædictarum virium perfici, in quibus contemplationem constitutam esse diximus.

1014. Est ergo unio, de qua hic loquimur, illud pretiosum donum, quo Deus in ipso fundo, atque intimo animæ clarissima luce se illi præsentem, et eam intuentem ac tenerrime diligentem ostendit. Quo memoria ipsius animæ huic Deo sic sibi manifestato tenacissime adhæret, ita ut, unione durante, ab eo evelli separarique non possit: intellectus eum clarissima luce sapientiæ inspicit, et ut quoddam totum, in quo est omne bonum, vel secundum aliquam, vel aliquas perfectiones intelligit, ita ut ab eo in aliquid aliud diverti nequeant. Voluntas ardentissimo amore constringit, qui instar ignis erumpens, omnia videtur absumere, ita ut anima jam in se non vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed in eum dulcissimum sponsum toto affectu transeat, a quo arctissimo apprehensa est complexu.

1015. In hoc gradu vires istæ quasi in altum maris divinitatis provehuntur, vel Deo immersæ ad summam quamdam lucem et ardorem elevantur. In eo anima non tam agit quam recipit; non progreditur, sed abripitur, et non tam expectato consensu ejus (et tamen consentit) in thalamum incredibilis suavitatis ducitur. In eo non tam inspicit et amat quam ipsum intuitum splendidissimum, et amorem ardentissimum Dei intra semetipsam reperit, non aliter quam si quis cibum non mandens, nec potum glutiens, ipsos in stomacho mansos et optime dispositos sentiret, quibus absque minimo etiam labore manducandi et bibendi, semetipsum roboraret. In eo anima congregat ubi non sparsit, et metit ubi non seminavit, quia ad hoc maximum bonum quod sentit, nulla humana præparatur industria. In eo ipsa nequaquam per incilia viridarii sui aquam ducit, sed pluvia largissima desuper influit, quæ illam infundit, et inebriat, et germinare facit, et rosis et floribus sanctissimorum affectuum, et fructibus actuum omnis virtutis implet. In eo anima quidem suum esse non amittit, sed aliud esse recipit, quod naturale esse prorsus absorbet. Nam sicut pomum saccharo, aut melle conditum, quoad naturam ipsum quidem est, sed quoad gustum, et alimentum, et usum ipsum non est, quia igne et saccharo est in aliam conditionem mutatum: ita anima,

igne divini amoris excocta et admiranda suavitate condita, naturam quidem retinuit, sed minimas etiam distractiones deposuit, et quid cœleste ac divinum apparet.

1016. Istam doctrinam habet D. Thomas explicans illud Cantic. II: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Dicit sanctus: Cum, inquit, in lectulo jacuero, læva ejus, idest sponsi, erit sub capite meo. Per lævam, præsentis temporis prosperitas, vel etiam dona Dei intelliguntur, quæ sanctis in præsenti conferuntur. Per dexteram vero beatitudo cœlestis patriæ accipitur. Læva Dei sunt pignora Spiritus sancti, et Scripturarum divinarum intellectus, et cætera dona ac charismata quibus anima in præsenti consolatur. Caput, principale mentis accipitur. Læva ergo sponsi sub capite sponsæ est, quia hæc omnia dona ad hoc percipit anima fidelis, ut per hæc discat suspirare ad æterna, quemadmodum in oratione unionis. Dextera vero sponsi eam amplexatur, quia tota intentio animæ fidelis hæc est, ut ad æternam beatitudinem quandoque perveniat, et spe sui conditoris gaudeat. Et bene prius læva sub capite, post sponsi dextera eam amplectitur, quia nemo ad amplexus æternæ beatitudinis poterit pervenire, nisi hic mysteriorum cœlestium et donorum divinorum studuerit esse particeps.

1017. D. Thomas exponens illud Cantic. II: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, dicit sic, loquens de anima perfecta, qualis est illa quæ est in statu unionis unitivæ: Tunc enim anima amore Dei languet quando ejus dilectioni nihil præponit, immo quasi ad sæculi opera, languida imbecillis efficitur, nihilque eam delectat, nisi meditatio cœlestium et contemplatio Conditoris sui. Alloquitur animas jam perfecte divino amori inhærentes; per flores initia sanctæ conversationis intelliguntur, per mala vero, perfectio bonorum operum. Et est sensus: O sanctæ animæ, quæ jam dilectioni Conditoris vestri inhæretis, fulcite me bonorum vestrorum exemplis, et qualiter in exordio virtutum, vel in provectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis, ostendite. Hoc dixit anima perfecta qualis est illa quæ est in statu orationis unitivæ, et quæ in se habet charitatem ordinatam.

1018. Ista oratio unionis tam supernaturalis elevatio mentis ad Deum est, tam admiranda et alta contemplatio, nobilitatio et deificatio, quod gratia Dei præveniens ac pertransiens sen-

sum perstringit amantis, et eripit eum illi, infigitque sibi. Anima in hac oratione unionis tam inclyta et electa est, tam plene ad Creatorem conversa est, quod concupiscit Rex decorem suum, et dicit illi: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, et erunt deliciæ meæ esse tecum, et demorari in medio cordis tui. Tunc certe videbit, et affluet, et mirabitur cor ejus ex tanta dilectione et dignatione Dei sui, et dilatabitur in amore ipsius cum gaudio, feliciterque gustabit quam magna sit multitudo dulcedinis ejus, quam perficit et ostendit sperantibus in se, quos abscondit in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, qui renuunt forinsecus consolari.

1019. In ista oratione unionis repletur anima indicibili pace, quam nullus eventus turbat, et serenitate, quam nihil adversum obnubilat, roboratur ad adversa et difficilia, ita ut nihil animam ab eo possit avertere, quod Deo gratum esse conceperit. Zelo et desiderio salutis animarum accenditur, ad quarum profectum tanto promptius et liberius exit, quanto perfectius amorem filialem et cor sponsæ fidelis habet. Profundissima humilitate perficitur, et licet majora sint bona, et robustiores virtutes, quibus se ornatam agnoscit, quia evidentissime videt ea omnia aliena esse, nullo modo per aliquam inanem gloriam inflatur. Tandem hic excitantur in anima desideria carnem deserendi, et tantum abest, ut mortem timeat, quod sola spes temporalis mortis, qua ad veram vitam et perfectam unionem itur, sibi utcumque satisfaciat.

1020. De hac oratione unionis sic loquitur S. Theresia, Mansione 5, cap. 1: O qui sciret dicere thesauros et delicias, quas Deus in hac oratione communicat! Credo quod melius esset de hoc gaudio orationis tacere, quandoquidem non erit possibile illas voce explicare, vel intellectu concipere: non enim comparationibus exprimi possunt, cum res terrenæ sint admodum viles et huic intento parum aptæ. Mitte, Domine, lucem de cœlis, ut animabus illis quæ per viam hujus orationis incedunt, aliquam ejus notitiam communicare valeam, ne a dæmone se in angelum lucis transfigurante decipiantur. Quid sit, quod vocatur unio, dicere non valeo, in mystica theologia declaratur: illud quod ipsa declarare prætendo, est quid sentiat anima quando est in hac unione; quid sit unio, jam scitur; contingit

enim quando ex duabus rebus distinctis fit una; benedictus sis, Domine, qui tantum nos amasti, ut cum veritate de hac communicatione loqui possimus, quam etiam in hoc exilio habes cum anima! O liberalitas infinita, quam magnifica sunt opera tua quæ mecum habes, Domine. Hoc certe confundit intellectum, et quando illud cogito, non possum ultra procedere.

1021. Affirmat eadem sancta, quod hæc unio animæ cum Deo in oratione sit deliciosa mors animæ; mors quidem, quia est quædam separatio ipsius animæ ab omni operatione quam potest habere in corpore: deliciosa vero, quia quamvis maneat unita corpori, videtur tamen ab eo separari, ut melius sit cum Deo, eoque fruatur; est taliter affecta, quod nescio an habeat vitam ad respirandum, saltem si respirat, non cognoscit. Vellet intellectus totaliter occupari ad concipiendum aliquid ex hoc quod sentit; sed cum ejus vires ad hoc non pertingant, sic manet attonitus; quod si non deficiat omnino, saltem non advertit an manus aut pedes moveat, sicut dicere solemus de aliquo, qui cadens in deliquium, quasi mortuus apparet. In hac unionis oratione, gustus, suavitas et deliciæ sunt multæ. Et hanc pacificam influentiam gratiarum in oratione unionis declaravit comparatione cœlestis pluviæ. Nam sicut hortus ad pulchritudinem et fœcunditatem potest vel aqua putei, vel aqua rivuli, vel aqua cœlesti abundanter adaquari; cum hac tamen differentia quod ad adaquandum aqua putei, magno opus est extrahentis labore; ad adaquandum aqua rivuli opus est aliqua dirigentis industria et labore, licet faciliori; sed ad adaquandum aqua cœlesti, nullo labore, nulla industria opus est, et tamen adaquatio fit uberior, solum requiritur quod ejus influentiæ impedimentum non apponatur: sic in adaquatione spirituali animæ, quæ est hortus deliciarum Dei, quæ solet fieri in oratione, diversitas reperitur, nam in oratione vulgari, ab incipientibus labore meditationis immenso devotionis aqua velut extrahitur; in oratione quietis, diligentia quadam a proficientibus dirigitur et applicatur; sed in oratione unionis anima perfectorum manens tranquilla, uberrime perfunditur, ut flores et fructus gloriæ producat. Advertit sancta, quod animæ quæ a Deo constituuntur in hac unione, non sint in sui custodia negligentes, sed occasiones fugiant: quia in hoc etiam statu non sic fortis et robusta est anima, quod se debeat exponere,

sicut postmodum fortis erit inito spiritual sponsalitio; et diabolus circuit multum sollicitus ut eam impugnet et impediat divinum hoc sponsalitium. Aliud dat consilium, quod scilicet anima in hoc statu constituta, enixe a Domino postulet, ut seipsam potenti manu sua sustineat et dirigat; ac continuo credat quod si Deus eam dimiserit, statim in profundum malorum cadet. Hæc illa.

1022. In ista unione fruitiva animæ cum Deo prævia intellectus cognitione, resultat in voluntate ardentissimi amoris et delectationis affectus ac mira suavitas, juxta illud Psal.: Factum est cor meum tamquam cera liquescens. Res liquescendo mollitur, dilatatur, purgatur: et nunc hunc triplicem effectum considera in amore, qui vere ignis divinus est corda resolvens, purgans et conflans in massam unitatis, quemadmodum varia metalla soluta igne concurrunt in unum. Resultat in anima pax et tranquillitas exsuperans omnem sensum et delectationem superabundantem de possessione magni cujusdam boni. Constat autem quod in hac fruitiva unione anima est perfecte tranquilla, cum in imo sui centro collecta maneat, ab omnibus aliis quæ possent illam turbare separata, et soli Deo adhærens; qui cum ab ipsa plene possideatur, quantum status viæ patitur, et experientia cognoscatur esse summum bonum, appetitus ejus perfecte pro hoc statu satiatur, unde summe delectatur in illius possessione, et suaviter illo fruitur. Quod si hæc intima unio animæ cum Deo diu permaneret, jam anima paradisi gaudia hic haberet; sed quia cito transit, talis suavitas plurimum mitigatur. Transacta unione, quamvis anima non tam perfectam habeat delectationem, nec tam jucundam suavitatem, nec tam firmam suorum sensuum tranquillitatem, cum non fruatur ipso actu unionis; quia tamen in ejus statu persistit, quadam habituali delectatione, et suavitate, et tranquillitate potitur: remanet enim memoria dulcis præteritæ unionis, et spes adest ipsius sæpius futuræ; effluunt ex illa in intellectum vivæ quædam et admodum expressivæ rerum cœlestium tunc sibi objectarum species; quæ quamvis aliis, præsertim inexpertis, ob suam eminentiam declarari non possint, ipsi tamen animæ deserviunt ad perfectam quamvis abstractivam illorum contemplationem. Ex illa manet quodammodo sigillata voluntas divino sponsi amore, unde facile cætera despicit.

1023. Datur alius gradus unionis animæ cum Deo inferior ad dictum, quo potest anima divinis auxiliis roborata Deo firmiter uniri, voluntatem nostram uniendo seu conformando cum divina. Ad hanc unionem non requiritur, quod Deus potentias suspendat, sicut ad aliam prius descriptam opus est; potest enim Dominus dives in omnibus viis suis, etiam per hanc viam ditare animam, et ad sublimitatem divinæ unionis feliciter perducere, non dirigens eam per prædictam breviorem semitam: semper tamen opus est ut anima sibi ipsi moriatur per omnimodam propriæ voluntatis abnegationem, quod hic difficilius accidit, cum hoc propria fiat industria et cum multa repugnantia; ibi vero mors illa suaviter advenit, animæ desideranti vivere in Christo, et quasi se passive habenti ad Deum mirabiliter operantem: si tamen major est hic labor, major quoque merces erit, si victoriam de se ipsa retulerit, hæc mors certe possibilis est, si anima fuerit cum divina voluntate conjuncta. Hanc debet quælibet anima contemplativa cum Deo unionem appetere, et continuo tamquam magis utilem et securam a Domino petere: sed væ nobis, quam pauci ad illam perveniunt! nostris enim malis habitibus et repetitis imperfectionibus amoris proprii, propriæ æstimationis, judicii temerarii, defectus charitatis erga proximum, et aliis hujusmodi sic impedimur ac detinemur, ut quamvis Deum graviter non offendamus, ad intimam tamen ejus unionem nunquam pertingimus. Non requiritur ad hanc unionem quod Deus nobis interiores delicias et speciales favores consolationum seu gratiæ sensibilis communicet; sufficit quippe quod Filium suum unicum et dilectissimum concesserit, qui verbo et exemplo viam nobis demonstravit. Hæc unio conformitatis propriæ voluntatis cum divina debet esse universalis et in omnibus.

1024. Ut ad hanc unionem perveniamus, dicamus Domino: Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra; si tibi placitum fuerit, fiat hoc ita: Domine, si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo; Domine, si mihi videris expedire, et utile esse probaveris, tunc dona mihi hoc uti ad honorem tuum: sed si mihi nocivum fore cognoveris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer a me tale desiderium, non enim omne desiderium est a Spiritu sancto, etiam si homini videatur rectum et bonum; difficile est pro vero judicare, utrum spiritus bonus an alienus te

impellat ad desiderandum hoc vel illud, an etiam ex proprio movearis spiritu; multi in fine sunt decepti, qui primo bono spiritu videbantur inducti. Igitur semper cum timore Dei et cordis humilitate desiderandum est et petendum quidquid desiderabile menti occurrit; maximeque cum propria resignatione Deo totum committendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est, fiat hoc vel illud, sicut volueris. Da quod vis, et quantum vis, et quando vis; fac mecum sicut scis, et sicut tibi magis placuerit, et major honor tuus fuerit. Pone me ubi vis, et libere age mecum in omnibus, in manu tua sum, gyra et reversa me per circuitum: En servus tuus, ego paratus sum ad omnia; quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi, utinam digne et perfecte. Da mihi, hoc semper desiderare et velle quod tibi magis acceptum est et charius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet; sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis. Da mihi omnibus mori quæ in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc sæculo: da mihi super omnia desiderata in te requiescere, et cor meum in te pacificare: tu vera pax cordis, tu sola requies, extra te dura sunt omnia et inquieta: In hac pace in idipsum, hoc est in te uno summo æterno bono, dormiam et requiescam.

1025. Hæc unio conformitatis in amore Dei et in amore proximi, tamquam in duplici basi fundatur, si in utroque nos amore exercuerimus. Et præsertim in amore proximi. D. Thomas, explicans illud ad Rom. XIII: Qui enim diligit proximum legem implevit, dicit sic: Tota impletio legis ex proximi dilectione pendet. Sed arguit contra se sanctus; dicitur enim I. Tim. I, quod finis præcepti charitas est. Unumquodque enim perficitur cum ad finem pervenit: et ideo tota legis perfectio in charitate consistit. Sed charitas duos habet actus, scilicet dilectionem Dei et dilectionem proximi; unde et Dominus dicit, Matth. XXII, quod tota lex et prophetæ, pendet in duobus mandatis charitatis, quorum unum de dilectione Dei, aliud de dilectione proximi. Non ergo videtur quod qui proximum diligit, impleat totam legem. Sed respondet sanctus quod illa dilectio proximi ad charitatem pertinet, et legem implet, qua proximus diligitur propter Deum; et ita in dilectione proximi includitur

dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu; dicitur enim I. Jo. IV: Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Et e converso, dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus in causa; unde ibidem dicitur: Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Et inde est quod in sacra Scriptura quandoque fit mentio solum de dilectione Dei, quasi sufficiat ad salutem, secundum illud Deut. X: Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum? Quandoque autem fit mentio solum de dilectione proximi; Joan. XV: Hæc vobis mando ut diligatis invicem. Et quia præcepta primæ tabulæ immediatius ordinantur ad dilectionem Dei, non facit mentionem hic de eis: quamvis et ipsa impleantur in dilectione proximi, prout dilectio Dei includitur in dilectione proximi. Enumerat autem mandata secundæ tabulæ, prætermittit autem præceptum affirmativum tantum, quod est de honore parentum, in quo etiam intelligitur ut omnibus reddamus quæ debemus. Et concludit Apostolus: Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc ille. Et sic qui defectus in amore proximi, saltem frequentes et voluntarios adverterit, certissime sibi persuadeat quod ad hanc unionem divinam non pervenit; quantumcumque sensibilis gratiæ ac devotionis gustum sentiat. Postulet ergo a Domino, ut sibi perfectum amorem proximi concedat.

1026. Ex quo concluditur quod sæpius orationis exercitium et sensibilis devotionis gustum tenemur dimittere, cum aliquid in bonum proximi juste præstandum occurrit, maxime si ex obedientia suscipiatur, quæ certa in omnibus præsertim viris religiosis esse debet agendi regula. Unde licet orationis studium alias dimittere sit valde nocivum et animæ periculosum, utile tamen ac securum est ob amorem proximi, et ex obedientiæ præcepto saluti animarum vacare, prætermissa sæpius interna conversatione; sic enim Deus propter ipsummet Deum dimittitur, ejus namque voluntati et desiderio obeditur, cum dixerit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Tunc igitur suam purificet quis intentionem, et cum Domino sæpius inter operandum colloquatur, et fideliter insistat operi, et maxime si directe ac immediate ad animarum conversionem dirigatur, et

cito experietur quantum in perfectione profectum faciet, et quam brevi conformitatis unionem consequetur; imo forte facilius per hanc viam eum adducet Dominus ad intimam illam unionem superius descriptam ac omnino supernaturalem, quam si ex electione propria sibi soli vacans in oratione perseveraret: non enim est unica Deo via nos ad eam perducendi; et cum ad ipsum Deum pertineat animam, quæ se totam Deo tradit per propriæ voluntatis abnegationem et conformitatem cum divina, dirigere ad perfectionem et ad intimam sui unionem, modum et viam magis convenientem eliget qua dirigatur. O Domine, quam diversæ sunt viæ tuæ a nostris imaginationibus!

1027. Certum est quod perfectio summa non consistit in gustibus internis, nec in extasibus, raptibus, visionibus, aut revelationibus, nec in aliis similibus, quæ tantum sunt media ad illam; sed consistit in conformitate ac unione voluntatis nostræ cum divina: unde qui æquali semper animo et prompta voluntate cuncta sibi præcepta, sive facilia sive ardua, sive dulcia sive amara fideliter exequitur, divinæ dispositioni immobiliter subjectus, ad perfectam cum Deo unionem pervenisse censendus est.

ARTICULUS II.

De effectibus orationis unionis passivæ.

1028. Primus effectus hujus orationis est maximum animæ gaudium, quod aliquando sic naturam liquefaciendo debilitat, quod anima languens penitus deficere videatur. Quam felix mors illa foret, si languorem amoris subsequeretur! Nec in sola tale gaudium sistit anima, sed aliqualiter ad corpus redundans, deliciarum spiritualium gustum et saporem juxta captum ipsius communicat. De ista liquefactione et de isto gaudio loquitur D. Thomas in III, dist. 27, qu. 1, art. 1, ad 4: Quia nihil a se recedit, nisi soluto eo quod intra seipsum continebatur, sicut res naturalis non amittit formam, nisi solutis dispositionibus, quibus forma in materia continebatur; ideo oportet quod ab amante terminatio illa qua infra terminos suos tantum conti-

nebatur, amoveatur. Et propter hoc amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum suis terminis non continetur.

1029. Secundus effectus est tenerrimus devotionis sensus; transacta siquidem hac oratione, vellet anima se totam consumere, non pœnis, sed deliciosis quibusdam lachrymis, se sæpius illis madefactam reperit, non advertens quando vel quomodo sparserit; gaudet tamen plurimum videns impetus amoris igniti sic mitigari injecta lachrymarum aqua, cum tamen ipsamet crescat: videtur hoc quidem paradoxum et dictum incomprehensibile, verumtamen sic res se habet. Hæ lachrymæ cum tanta suavitate et aliquando cum tanto erumpunt impetu, tantaque celeritate diffluunt, quod apparet imber validus de cœlesti nube diffusus; suavitas autem concomitans tam magna est, quod omnia terræ gaudia longe superet. Hanc doctrinam habet D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 4, ad 3: Dicendum quod lachrymæ prorumpunt non solum ex tristitia, sed etiam ex quadam affectus teneritudine, præcipue cum consideratur aliquid delectabile cum permixtione alicujus tristabilis: sicut solent homines lachrymari ex pietatis affectu, cum recuperant filios vel charos amicos, quos existimaverunt se perdidisse. Et per hunc modum lachrymæ ex devotione procedunt.

1030. Tertius effectus est memoria cœlestium communicationum, quas tempore hujus unionis recipit anima: nam licet quando fiunt, maneat ipsa velut absorpta et quasi stupida, sic Deo disponente, ut sapientia cœlestis melius in ea sic imprimatur, ita ut non videat, nec audiat, nec sentiat, imo nec advertat se pro illo brevi tempore sic stare: Deus autem ita se intimis velut animæ præcordiis imprimit, quod in se ipsam reversa, nullo modo dubitare potest quin fuerit in Deo et Deus in ipsa; quæ veritas tam firmiter inhæret ei, quod quamvis per multum tempus Deus eamdem gratiam ei non faceret, non tamen posset anima illius oblivisci: et hæc certitudo de facta sibi tali communicatione, sic est effectus et signum hujus unionis, quod si abesset, infallibiliter concluderetur, non fuisse tunc unionem totius animæ cum Deo, sed alicujus tantum potentiæ, vel fuisse diversum favorem a Deo communicatum. D. Thomas, Opusc. IX, qu. 38, dicit quod Deus in anima agit non solum causando in ea aliquem habitum, puta gratiæ vel virtutis, sed etiam inclinando liberum arbitrium ad hoc vel

ad illud; quod proprie non dicitur influere, sed magis movere ad actum. Eamdem doctrinam tenet q. 22 de veritate, art. 8. Et talis inclinatio sequitur ex impressione ipsius in anima. Et ideo D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Ephes. IV: Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis, dicit: Idest reformati estis et ab aliis distincti; qui autem habebit hoc signum secum, habebit vitam æternam. Et idem sanctus explicans illud Psal. IV: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, Vultus est veritas Dei, ab hac veritate Dei refulget similitudo lucis suæ in animabus nostris, quæ impressa manet. Et sic dicebat Sponsus, Cantic. VIII: Pone me ut signaculum super cor tuum. Et idem sanctus explicans illud ad Rom. IV: Signaculum justitiæ fidei, Dicitur autem signaculum dupliciter: uno modo quasi expressum signum, habens similitudinem rei signatæ, secundum illud Ezechielis: Tu signaculum similitudinis. Alio modo signaculum dicitur signum aliquid occultans; utroque modo se imprimit Deus animæ.

1031. Quartus effectus est ingens animus, ita ut si propter Deum aliquid foret animæ tolerandum, imo patiendum usque ad mortem, velut magnum solamen et mirabile beneficium arbitraretur. Hinc fluunt promissa fervida, determinationes heroicæ, viva desideria, major despectus, et horror sæculi, ac profundior humilitas, quia se videt indignissimam tali gratiæ promerendæ, recipiendæ, vel conservandæ, suam intuetur miseriam, unde sic distat a vanagloria, quod nec illius capax est: vita præterita ex una parte clarius objicitur, et ex alia parte divina misericordia, et hoc absque ulla intellectus sui diligentia; videt quod meretur infernum, et gloria pro supplicio datur. D. Thomas, 2 2, q. 128, art. 1, solutione ad 6: Eusphychia idem est quod bona animositas in sustinendis tribulationibus propter Deum. D. Thomas explicans illud Ps. III: Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? dicit sic: Tribulus est herba purgativa, Gen. III: Spinas et tribulos germinabit tibi. Illi igitur tribulant qui purgant effectum, quem habet illa unio in anima, et est velle angustiari et tribulari propter Deum. Ex illa unione oriuntur tamquam effectus promissa fervida. Et sic dicit D. Thomas, 1 2, q. 28, a. 5, ad 3, quod fervor in Deum est intensum desiderium de consecutione amati. Et in IV, dist. 16, q. 2, a. 1, ad 2, dicit quod fervor charitatis dicitur ad similitudinem, secundum quod ad exte-

riora quodammodo ebulliendo refunditur. Ex illa unione oriuntur tamquam effectus viva desideria. D. Thomas explicans illud Psal. XXVI: Unam petii a Domino, hanc requiram, dicit sic: In his verbis describit Propheta qualitatem desiderii. Perfectio desiderii dependet ex perfectione suæ causæ, scilicet amoris, qui quando est perfectus congregat in unum omnes vires et movet eum in amatum, et divinus amor facit totum hominem in Deum intendere et totum desiderare.

1032. Quintus effectus est desiderium laudandi Deum: vellet anima in linguas converti, et sic tota in laudando Deum occuparetur, unde seipsam non capit, et suavem in hoc patitur inquietudinem; vellet ab omnibus videri et suam gloriam cognosci, solum ad hoc ut Deus ipse laudaretur, et optaret sui gaudii participes alios efficere, quia tam magnum ipsa sola ferre non potest. Hac gratia roborata anima, despicit tormenta, et quasi nihil esse ducit quidquid ex parte sui tolerarunt martyres, sciens unde robur eis advenerit. D. Thomas, 2 2, q. 91, art. 1, ad 1: De Deo dupliciter possumus loqui: uno modo quantum ad ejus essentiam; et sic, cum sit incomprehensibilis et ineffabilis, major abest omni laude. Debetur autem ei secundum hanc comparationem reverentiæ et latriæ honor. Unde et in Psal. LXIV, secundum translationem Hieron., dicitur: Tibi silet laus, Deus: quantum ad primum. Et tibi reddetur votum: quantum ad secundum. Alio modo, secundum effectus ipsius qui in nostram utilitatem ordinantur, et secundum hoc debetur laus Deo. Unde dicitur Isaiæ LXIII: Miserationum Domini recordabor, laudem Deo super omnibus quæ reddidit nobis Dominus. Et Dionysius dicit I. cap. de divinis nominibus: Omnem sanctum theologorum hymnum, idest divinam laudem invenies ad beatos thearchiæ, idest divinitatis processus, manifestative et laudative Dei nominationes dividentem.

1033. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. II, lect. 3: Bonus odor sumus Deo, dicit, quod sancti duplici de causa se ipsos laudant, et non propter gloriam suam et vanitatem. Prima causa est ut non desperent in tribulationibus, sicut Job, quando amici nitebantur eum ad desperationem inducere, reduxit ad memoriam sua bona quæ fecerat, ut confortatus non desperaret; unde dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis. Legitur etiam de quodam sancto Patre, quod quando tentabatur de desperatione,

reducebat ad memoriam bona quæ fecerat, ut confortaretur; quando tentabatur de superbia, reducebat ad memoriam mala, ut humiliaretur. Secunda causa est propter utilitatem, ut scilicet haberetur in majori fama et citius crederetur doctrinæ suæ. Et propter hanc causam hic Apostolus laudat se. Nam Corinthii præferebant sibi pseudo apostolos et condemnabant eum, et ideo non sic obediebant sibi.

1034. Sextus effectus est desiderium juvandi proximum, et quasi nesciens illum adjuvat, per hoc quod alii virtutum ejus odore tracti, ad desiderabilem ac suavissimum earum fructum carpendum currunt. Mirum est quod hujusmodi anima paulo ante vix sui recordabatur, et nunc tam sollicite et maxime de juvandis aliis cogitat, quod longa meditatio non posset ita vivum amoris proximorum sensum acquirere: et hic sensus non est superficialis, sed sic intimus, quod viscera penetrans, animam efficaciter urgeat. D. Thomas exponens Psal. XLV: Deus noster refugium et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, dicit sic: Si aliquis vult subvenire afflicto, hoc facit tripliciter. Primo ut ipsum fugientem recipiat: et hoc est parum. Secundo, ut assistat ei in tribulatione posito. Tertio, ut ei auxilium exterius præbeat. Et hæc tria Deus facit qui est refugium. Prov. XVIII: Turris fortissima nomen Domini. Item pugnantes et afflictos adjuvat et fortificat; ideo dicit: " virtus; „ Isaiæ XL: Qui dat lasso virtutem. Item adjuvat exterius per se et per alios; unde dicit: " Adjutor; „ Ps. IX: Adjutor in opportunitatibus. Hoc auxilium est necessarium " In tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. „ Hæ tribulationes sunt et spirituales et corporales. Spirituales sunt peccata: et hæ invenerunt homines nimis, quia dolor pœnitentiæ maximus est inter omnes dolores. Psal. XXXVII: Afflictus sum et humiliatus sum nimis. Et in hac tribulatione Christus est refugium: quia in (*ea*) consolatur, et ab ipso roboratur et juvatur homo. Corporales fuerunt in primitiva Ecclesia sanctis; II. Cor. I: Gravati sumus supra modum, et ideo dicit " nimis. „ Auxilium inventum est tribulationibus validum. Et sic ly " nimis „ refertur ad adjutorium divinum.

1035. Septimus effectus est gradus heroicus omnium virtutum, ut ipsamet advertit anima, se enim mutatam et totaliter renovatam miratur, quia nescit quomodo factum hoc fuerit.

Incipit hic propter Deum operari magna: vult Dominus quod flores virtutum pateant et odorem suum suaviter spirent, ut eas in ipsa florentes et spirantes odorem sentiat, quamvis ad custodiam humilitatis simul videat quod nullam virtutem etiam minimam sua potest industria comparare, nec multorum annorum spatio; et quantum ad eas quas possidet, clare percipit quod nec ad eas plantandas, vel irrigandas, vel augendas concurrit, nisi passive consentiendo: Deus enim cœlestis hortulanus illas plantavit, illas rigavit, et illas ad gradum heroicum auxit. Non quod anima sua diligentia virtutes aliquas non acquirat, gratiæ prævenienti et adjuvanti cooperando, quæ propterea dicuntur virtutes ex suo genere acquisitæ; et quod cooperando eidem gratiæ non se disponat ad virtutum infusarum augmentum, ordinarie loquendo: sed quia in hoc statu orationis unionis ipsa potius agitur quam agat, unde passive se habet recipiendo, et per solum consensum cooperando.

1036. Quod autem cruciat hanc animam (nunquam enim in hac mortali vita, quantumcumque sublimetur anima, desunt cruces) est considerare quod de tam felici statu debet iterum ad proprium judicium et ad naturalem sapientiam redire, ut sollicitudines et consuetas in multis sæculi leges sequatur, de quibus omnibus se liberam esse desiderat: comedere est illi molestum, dormire est fastidiosum, omnia displicent, quia jam propria didicit experientia quod vera quies non potest a creaturis procedere, et quod a solo Deo potest sperare solatium: unde videtur contra ordinem naturæ vivere, nec vellet in se vivere, sed in solo Deo. Quia vita ejus abscondita est in Christo, propterea dicit ipsa cum Apostolo: Vivo ego; jam non ego: vivit vero in me Christus. Item: Vivere mihi Christus est, et mori lucrum. Qui enim sic Deo manent uniti, habent conversationem jam in cœlis cum Deo: non quidem per realitatem existentiæ, sed per affectum amicitiæ: unde jam cœlestem cum Christo ducunt vitam, nihil aliud quam ipsum cogitantes.

ARTICULUS III.

De effectibus orationis unionis activæ.

1037. Primus hujus orationis unionis effectus est maximus meritorum cumulus: cum enim præter generales meriti conditiones requiratur puritas conditionis ex una parte, cum debitis circumstantiis; et ex alia multiplicatio bonorum operum, ad hoc ut meritum plurimum augeatur: nihil tam cooperatur ad utrumque, quam continua conformitas voluntatis nostræ cum divina, ac perfecta resignatio ad Dei beneplacitum. — Generales conditiones meriti sunt tres. Prima, quod sit actus liber; secunda, quod sit bonus; tertia, quod sit bonus vel utilis relate ad alterum: alioquin non dabitur ei retributio, si alteri neque bonus neque utilis sit. Hæc autem applicando merito supernaturali respectu vitæ æternæ, præter tres generales conditiones posit s pro omni merito, requiruntur aliæ tres speciales. Duæ ex parte merentis, quæ ab omnibus admittuntur: prima videlicet, quod merens sit in statu gratiæ; secunda quod sit in statu viæ: nam cessante via, et posito termino, seu fine possesso, non est amplius quod quis mereatur. Tertia, quod detur aliquod pactum, seu ordinatio operis meritorii ad præmium: non quidem ut ipsum opus ex tali pacto valorem intrinsecum suppleat, sed ut inducatur obligatio ad retributionem operis.— Prima conditio intelligitur de gratia habituali dignificante et sanctificante, quæ conjuncta est charitati, sine qua nullum potest dari meritum vitæ æternæ. Unde dicitur I. Cor. XIII: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Secunda conditio, quod aliquis sit in statu viæ ut mereatur, deducitur manifeste ex sacra Scriptura, ut ex illo Joan. IX: Venit nox (idest mors) quando nemo potest operari, idest meritorie laborare. Tertia conditio, quod detur pactum, colligitur ex D. Thoma 1 2, q. 104, art. 1 ad 2: Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis, ita scilicet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit. Supponuntur autem

hæ omnes conditiones in eo qui conformitatis unionem habet, unde aptus est simpliciter ad merendum. Quod autem in ordine ad maximum meritorum incrementum, sit in eo puritas intentionis cum debitis circumstantiis, ex quarum concurrentia magis bonum, magis laudabile ac magis meritorium redditur opus, ex eo manifeste patet quod qui perfectam suæ voluntatis cum divina conformitatem habet, non suam, sed Dei voluntatem in omnibus quærit: unde pure propter Deum operatur, quando vult, ubi vult, quomodo vult.

1038. Secundus effectus est summa pax interna et externa: qui enim in omnibus quæ contingunt divinam scit compleri voluntatem, vel beneplaciti in bonis, vel permissionis in malis (nihil enim fit, ut ait Augustinus, nisi Deo volente aut permittente ut fiat), cuncta approbat ut recte facta, vel patienter tolerat ut juste permissa: unde cum toleratur voluntatis propriæ repugnantia cum his quæ passim contingunt, nulla succedit inquietudo, seu interius in anima, seu exterius in aliorum conversatione: et sic summa pax tam interna quam externa conservatur. Et sic dicit D. Thomas exponens illud Joan. XIV: Pacem relinquo vobis — Pax nihil aliud est quam tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo, scilicet hominis ad seipsum, hominis ad Deum, et hominis ad proximum. Et est triplex pax in homine. Quædam intrinseca, secundum quam pacificatur sibi ipsi absque perturbatione virium; Psal. CXVIII: Pax multa diligentibus, etc. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter ejus ordinationi subjectus; Rom. V: Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum. Tertia pax est proximorum; Hebr. XIII: Pacem sequimini cum omnibus sanctis.

1039. Tertius effectus est internæ suavitatis abundantia: quia sicut ex pace externa sequitur ubertas, ut vulgo dicitur, scilicet fructuum quos bellum dissipat: sic ex pace interna sequitur ubertas spiritualium charismatum et miræ suavitatis abundantia, quæ singula turbatio mentis dissipat. Cum igitur, ut dictum est, in hac unione conformitatis sit maxima pax interna et externa, viget etiam maxima suavitas spiritus, ex influentia divinorum charismatum emanans; ita ut possit etiam de istis intelligi quod de beatis dicitur: Inebriabuntur ab

ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos. — Divus Thomas, 1 2, q. 70, art. 1, loquens de fructibus Spiritus sancti, dicit quod nomen fructus a corporalibus ad spiritualia est translatum. Dicitur autem in corporalibus fructus id quod ex planta producitur cum ad perfectionem pervenerit; et quamdam in se suavitatem habet. Qui quidem fructus ad duo comparari potest, scilicet ad arborem producentem ipsum, et ad hominem qui fructum ex arbore adipiscitur. Secundum hoc igitur nomen fructus in rebus spiritualibus dupliciter accipere possumus: uno modo ut dicatur fructus hominis quasi arboris id quod ab eo producitur; alio modo, ut dicatur fructus hominis id quod homo adipiscitur: non tamen omne id quod adipiscitur homo, habet rationem fructus, sed id quod est ultimum delectationem habens (habet enim homo agrum et arborem quæ fructus non dicuntur), sed solum id quod est ultimum, quod scilicet ex agro et arbore homo intendit habere: et secundum hoc fructus hominis dicitur ultimus hominis finis quo debet frui. Si autem dicatur fructus hominis id quod ex homine producitur, sic et ipsi actus humani fructus dicuntur: operatio enim est actus secundus operantis, et delectationem habet si sit conveniens operanti. Si igitur operatio hominis procedat ab homine secundum facultatem suæ rationis, sic dicitur esse fructus rationis; si vero procedat ab homine secundum altiorem virtutem, quæ est virtus Spiritus sancti, sic dicitur esse operatio hominis fructus Spiritus sancti quasi cujusdam divini seminis. Dicitur I. Joan. III: Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Tertius effectus est internæ suavitatis abundantia, quæ producitur ex fructibus Spiritus sancti, quia fructus suavitatem quamdam habet et delectationem.

1040. Quartus effectus est quædam participatio beatitudinis et imitatio beatorum: nam sicut beati clare videntes divinæ voluntatis rectitudinem, sic ei in omnibus adhærent ut totaliter ei conformentur, volentes id ipsum quod Deus vult, et non aliud; unde cum nihil contra desiderium et voluntatem ipsorum accidat, sicut nec contra voluntatem Dei, eorum summa tranquillitas ac beatitudo turbari non potest, quidquid in rerum natura fiat: sic qui ad hanc unionem conformitatis propriæ voluntatis cum divina pervenerunt, ex nullo accidenti

turbari possunt, omnia siquidem ex divina dispositione procedentia humiliter suscipiunt, unde benedicunt Dominum cum Psalmista in omni tempore; et, ut dicit D. Thomas, tempore scilicet adversitatis et prosperitatis; et cum Job, II: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dicit D. Thomas: In quo perfectam hominis sapientiam docet: cum enim temporalia bona et corporalia non sint amanda nisi propter spiritualia et æterna, istis salvatis quasi principalioribus, non debet homo dejici si illis privetur, nec elevari si eis abundet. Docet ergo nos Job tantam animi constantiam habere, ut bonis temporalibus, si nobis a Deo dentur, sic utamur ut ex hoc in superbiam non elevemur; et contraria mala sic sustineamus, ut ex eis noster animus non dejiciatur, secundum illud Apostoli ad Philipp. ult.: Scio humiliari, scio et abundare. Et post subdit: Omnia possum in eo qui me confortat.

1041. Quintus effectus est immutabilitatis divinæ communicatio: Deus namque est immutabilis omnino, ut docet D. Thomas, p. p., q. 9, art. 1 et 2, ex quo desumitur tota ista doctrina: et quantum ad substantiam et quantum ad operationem, ita ut semper uniformis et æqualis sibi ipsi permaneat. Immutabilitas quantum ad substantiam consequitur necessitatem, simplicitatem et actualitatem divini esse: necessitatem, quia cum Deus sit necessario, non potest aliter esse quam sit, unde est immutabilis; simplicitatem, quia quod est simplicissimum sicut Deus, omnem excludens compositionem, nihil potest de novo vel in se intrinsece recipere, vel intrinsecum amittere, et ita non potest mutari: mutari siquidem est aliter nunc se habere intrinsece quam antea, quod fit tantum per receptionem alicujus intrinseci, vel per ejus amissionem; actualitatem vero, quia quod est summe actu omnem excludit potentiam actui seu actualitati contrariam, et sic non potest aliter esse: quod est esse immutabile. — Hanc immutabilitatem quodammodo Deus communicat his qui ad hunc statum unionis per conformitatem pervenerunt: quamvis enim in substantia sua mutabiles remaneant, quamdiu in hac mortali vita persistunt tot contrariis corrumpentibus obnoxii (solum enim in patria virtute dotum corporis beati fient incorruptibiles), sunt tamen in sua operatione immutabiles aliquo modo, quia per conformitatem omnimodam cum divina voluntate sunt semper ita dispositi ut eorum cogi-

tatio sit stabilis in Deo, ad quem omnia cogitata reducit, et eorum voluntas Deo firmiter adhæreat. — D. Thomas in 1, dist. 48, qu. 1, art. 1, quærit utrum voluntas humana divinæ voluntati non possit conformari; et respondet in corp. art. quod conformitas est convenientia in forma una: et sic idem est quod similitudo, quam causat unitas qualitatis, ut in V Metaph. dicitur. Unde hoc modo aliquid Deo conformatur quod sibi assimilatur. Contingit autem aliqua dici similia dupliciter: vel ex eo quod participant unam formam, sicut duo albi albedinem: et sic omne simile oportet esse compositum ex eo in quo convenit cum alio simili, et ex eo in quo differt ab ipso, cum similitudo non sit nisi differentium, secundum Boetium: unde sic Deo nihil potest esse simile, nec conveniens, nec conforme; vel ex eo quod unum, quod participative habet formam, imitatur illud quod essentialiter habet: sicut si corpus album diceretur simile albedini separatæ, vel corpus mixtum igneitate ipsi igni. Et talis similitudo quæ ponit compositionem in uno, et simplicitatem in alio, potest esse creaturæ ad Deum participantis bonitatem, vel sapientiam, vel aliquid hujusmodi, quorum unumquodque in Deo est essentia ejus, et sic voluntas nostra divinæ conformatur. — Sed hæc conformitas voluntatis potest intelligi vel de ipsa potentia voluntatis, quæ homini est data ad exemplar voluntatis divinæ, quæ pertinet ad similitudinem in qua consistit ratio imaginis, et est communis bonis et malis: et de hac conformitate non quærimus hic; vel potest intelligi de actu voluntatis, qui etiam et voluntas dicitur: et de hac conformitate hic quærimus, quia in ista conformitate consistit meritum, et ad hanc pervenerunt qui propter hanc conformitatem cum divina voluntate pervenerunt ad unionem activam cum Deo.

1042. Sextus tandem effectus est quædam deificatio operationum: non solum ex hoc principio pene generali gradibus omnibus orationis supernaturalis, quia in eis constituti potius spiritu Dei aguntur quam agant, et sic operationes divino ipsarum principio quodammodo conformes, dicuntur deificatæ: sed etiam in hoc speciali principio huic gradui orationis proprio, quod tales, dum nihil agunt nisi per conformitatem voluntariam seu ex electione cum divina voluntate, voluntas divina non consideratur hic tantum ut causa prima applicans

ad agendum causam secundam: sed etiam consideratur ut causa proxima et immediata operationum, ipsi ut regulæ proximæ correspondentium; unde eas informat et quodammodo deificat: et propterea sicut operationes Christi dicuntur theandricæ, sive Dei-Viriles, quia suppositum eas eliciens erat Deus homo: sic talium operationes possunt aliqualiter dici theandricæ per conformitatem, et quamdam transformationem voluntatis creatæ in divinam. De qua loquitur D. Thomas in III, dist. 27, qu. 1, art. 1: Amor nihil aliud est quam quædam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne quod efficitur forma alicujus, efficitur unum cum illo, ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod est factum forma amantis. Et ideo, I. Cor. VI, dicitur: Qui adhæret Deo unus spiritus est. Et in III, dist. 34, q. 1, a. 2, dicit Sanctus quod homo per donum sapientiæ unitur altissimis causis, transformando se in earum similitudinem. Et in IV, dist. 12, q. 2, art. 1, quæst. 1, dicit (*iterum*) Sanctus quod proprius effectus cujuslibet sacramenti debet assumi ex similitudine ad materiam illius sacramenti; et cum materia sacramenti Eucharistiæ sit cibus, cibus autem corporalis primo in cibatum convertitur, et ex tali conversione deperdita restaurat et quantitatem auget: sed spiritualis cibus non convertitur in manducantem, sed eum ad se convertit; unde proprius effectus hujus sacramenti est conversio hominis in Christum, ut dicat cum Apostolo: Vivo ego: jam non ego; vivit vero in me Christus. Et sic operationes animæ unitæ cum Deo tali unione possunt dici veluti theandricæ per conformitatem et transformationem in Deum.

ARTICULUS IV.

In statu unionis intimæ Deus init sponsalia cum anima.

1043. Explicans D. Thomas illud D. Pauli, II. Cor. XI: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo, dicit sic: Merito vos æmulor Dei æmulatione, quia ego sum paranymphus hujus matrimonii, quod est inter vos et Christum, quia ego despondi vos, idest feci sponsalia, quæ sunt per fidem et charitatem. Oseæ II: Sponsabo te mihi, etc. Et ideo pertinet

ad me custodire vos. Quicumque ergo convertit populum ad fidem et ad justitiam, despondet eos Christo. Despondi, inquam, non multis, quia quæ multis adhæret polluitur; Jerem. III: Tu autem polluta es, etc.: sed uni Christo, scilicet viro perfecto virtutis plenitudine; Zach. VI: Oriens nomen ejus; Jerem. XXXI: Novum fecit Dominus super terram, etc. Et dicitur Christus vir unus, quia singularis et quantum ad modum conceptionis, et quantum ad modum nascendi, et quantum ad gratiæ plenitudinem. Eccli. VII: Unum de mille, etc. Isti, inquam, viro despondi vos exhibere virginem. Loquitur cum animabus fidelibus, quas sponsus Christus eligit in sponsas post multa concessa spiritualia munera, post dona virtutum pretiosa, post exhibita amoris insignia in via illuminativa, suaviter illas ad sponsationis unionem allicit in via unitiva. Et anima divino favore consecrata in sponsam, et divina familiaritate plurimum animata ad osculum sponsi aspirat: Osculetur me osculo oris sui, Cantic. I. D. Thomas, in expositione capitis XIII, II. Cor., dicit quod osculum est signum pacis. Nam per os, in quo datur osculum, homo respirat. Et ideo quando homines dant sibi mutua oscula, signum est quod uniunt spiritum suum ad pacem. Et osculum sanctum unit spiritum ad sanctitatem. Et hoc est quod petit sponsa ad suum sponsum. Osculetur me osculo oris sui ad sanctitatem. Et D. Thomas, in expositione cap. XVI ad Rom.: Osculum autem sanctum est quod in signum sanctæ Trinitatis datur. Cantic. I: Osculetur me, etc., et sic petit sponsa notitiam sanctissimæ Trinitatis. — Sed mirabitur aliquis audaciam animæ, sacrosanctum Dei desiderantis et appetentis osculum, qui tenerrimum Dei amorem in animam sanctam et multis purificatam experimentis ignorabit. Unde S. Gregorius exponens prædicta verba, sic ait: Sed prius sponsus anxietatem ejus sentiens, osculum porrigit, et ne desiderio tabescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit. Ipsa vero communicatione osculi duo petit, videlicet novæ fœdus pacis, et arctæ conjunctionis privilegium; quasi diceret: Osculetur me majestas sponsi suavissimi oris sui osculo, ut ego post culpæ inimicitiam novæ pacis fœdere percusso, pacem osculo notatam, deleto inimicitiæ veteris chirographo, inter justos recipi merear: et sic arcte mihi copuletur, ut dato mihi dulcis amor s

osculo spiritus ipsius per osculum infusi, et ad intima cordis immissi præcordia, suavitate frui contingat, quo nihil mihi delectabilius evenire potest.

1044. D. Thomas, 2 2, q. 19, art. 2, ad 3, dicit: Per charitatis amorem Deus pater noster efficitur, secundum illud ad Rom. VIII: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Et secundum eamdem charitatem dicitur etiam sponsus noster, secundum illud II. ad Cor. XI: Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Charitas perfecta mundissimæ virgini comparatur, quæ non solum exteriores ornatus curat, sed multo majori diligentia sui ipsius munditiam et puritatem asservat. Ita prorsus charitas, cum ad fastigium perfectionis ascenderit, exteriorum quidem operum bonitatem quærit, et minimas quoque ab eis imperfectiones removet, sed diligentiori conatu cordis cogitationes mundat, et puras incontaminatasque custodit. Quare sponsa, quæ typus est animæ perfectæ, magis de interna pulchritudine quam de externa, et hominum oculis comperta, laudatur Cantic. IV: Oculi tui columbarum, inquit sponsus, absque eo quod intrinsecus latet. D. Thomas: Per oculos intelligitur acumen sensuum spiritualium, quibus divina et sempiterna contemplatur; columbæ comparatur propter spiritualem gratiam, quia Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit. " Absque eo quod intrinsecus latet, „ idest absque superna retributione illius quam in fine sæculi perceptura es, quam in præsenti per fidem contemplaris: latet autem intrinsecus, nec in præsenti videri potest, sed in futuro expectatur. Longe itaque sunt ab ista anima perfectionis amatrice turpes et inhonestæ phantasiæ, inanes et amaræ cogitationes, vanæ et periculosæ aliorum suspiciones, ridicula et inepta deliria; nihil cogitat, nihil desiderat, nisi quod mundum est, quod proficuum est, quod benevolum est, quod cœleste et sublime est: quia charitas munditiæ consectatrix hæc munda et illibata fovet atque complectitur, illa vero impura et noxia manu discretionis amandat. Et ita internæ puritatis est avida, ut solas illas cogitationes admittat quæ purissimis Dei oculis sunt gratæ, et omnibus hominibus sine rubore et verecundia possint esse conspicuæ.

1045. Hic sponsus ab sponsa multoties recedit vel ad fidelitatis experimentum vel ad amoris probationem, vel ad au-

gmentum meriti. Cantic. III: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni. Surgam et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Audite D. Thomam: " In lectulo, „ inquit, meo, hoc est cum adhuc in desideriis carnalibus requiescerem, et cum adhuc in tenebris infidelitatis et ignorantiæ posita essem, " quæsivi quem diligit anima mea. „ - " Surgam, „ inquit, de statu torporis et carnalis delectationis, " et circuibo civitatem „ hujus mundi, maria ac terras peragrando; " per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea, „ hoc est per lata itinera gradientes hujus sæculi et suis voluptatibus deditos, aspiciam si forte in illis dilecti mei vestigia aspiciam. " Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem; „ vigiles sunt sancti doctores, qui sanctam Ecclesiam custodiunt. " Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.„ Cum, inquit, pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, quia cum sollicita meditatione dicta vel scripta Sanctorum requirimus, statim dilectum invenimus, quia Deum in eorum dogmatibus reperimus. Potest et sic intelligi, " cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, „ hoc est cum intellexissem Christum omnem sublimitatem et gratiam superare, tunc inveni quem diligit anima mea, hoc est: tunc vere intellexi quantum ipse a cæterorum sanctorum meritis distet.

1046. Contingit aliquando quod justis de causis sponsus ab sponsa recedat, et maxime quia sæpius sponsa plus nimio vacat uberum dulcedini, vix memor ipsius sponsi, quem tunc non pure propter seipsum, sed propter perceptam voluptatem inquirit. Unde non eum simplici amore amicitiæ complectitur, sed mixto amore concupiscentiæ in eo delectatur: cum tamen justum et conveniens sit sic instillatum ab sponso dulcorem accipere, quod non in illo, sed per illum inquirat sponsum: primum namque est amoris imperfecti, secundum vero amoris perfecti proprium. Propterea dum sponsa se inseparabiliter sponso conjunctam fore in lectulo credit, bono suo quantum ad præsentiam sensibilem illum amittit, ut instruatur quod hic

in via parce est voluptate fruenduin, et ad voluptatis auctorem ocissime properandum. Unde Deus sponsam aliqualiter hoc modo male affectam purgat: non tamen aqua tribulationum et tentationum, sed igne amoris afflictivi propter absentiam dilecti.

1047. D. Thomas explicans illud Cantic. IV: Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano (*ait*): Vocat ergo sponsus sponsam suam candidatam baptismo, et dealbatam nitore omnium virtutum, fragrantem studio sanctarum orationum, quia Libanus interpretatur candidatio vel dealbatio. Vocat eam ut veniat, idest ut virtutibus proficiat. Non enim solum vocat Deus animam, quando eam a vinculis corporis exutam ad cœlestem patriam ducit: sed etiam cum per internam inspirationem, ut in virtutibus proficiat, hortatur: quod enim virtutibus sancti proficiunt, quasi tot passibus ad ipsum tendunt. Et tertio dicit: Veni, quia vult eam perfectam esse in cogitatione, locutione et opere. — Si sponsus vocat sponsam, ipsa etiam vult ipsum sequi quocumque ierit, et clamat, Cantic. I: Trahe me post te. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Divus Thomas: " Trahe me post te, „ quia, inquit, meam infirmitatem agnosco, et video nihil me meis viribus boni posse agere: tua gratia trahe me ad tui imitationem. Sequi vero desiderat, non amore concupiscentiæ, sed amore puro amicitiæ, scilicet sponsi sui frui familiaritate fructuose indissolubili, et osculo pacis continuo, cum sit sponsa sitiens Deum. Hæc sponsa, quæ languens amore et velut infirmata, ab sponso trahi postulat: non enim sequi potest nisi trahatur, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Novit lumine fidei illustrata quod ad currendum in odorem unguentorum sponsi, necesse habet ab ipsomet sponso trahi, et ad currendum adjuvari; ipsum namque dicentem audivit: Sine me nihil potestis facere. Unde sine ipso nec potest sponsa currere, nec velle currere, nec postulare trahi, nec velle trahi; ad hæc enim omnia, utpote supernaturalia, prævenientis et adjuvantis gratiæ auxiliis opus est.

1048. Postulat autem sponsa trahi et ad sponsum et post sponsum: ad sponsum quidem, ut cum eo maneat, ut ei adhæreat, toto hujus exilii tempore conjuncta mente per affectum; vel etiam in patria per mortem realiter conjungenda, dicens

cum Apostolo: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Sed quamdiu voluntas sponsi fuerit ut in hac valle miseriarum remaneat, ad ipsum clamat: Trahe me post te, ut scilicet tuis benedictionibus præventa, tua possim sequi vestigia currendo in via perfectionis, ascendendo montem sanctificationis. Non trahitur invita, sed volens sponsa, cum trahi petat, et currere post sponsum desideret: tanta siquidem est sponsi trahentis et potentia et suavitas, ut qui trahuntur, non tantum voluntate, sed etiam voluptate trahantur, ut mire probat Augustinus tum auctoritate cujusdam poetæ dicentis: Trahit sua quemque voluptas; tum deducto ab experientiis argumento: si namque puer ostensis nucibus sponte trahitur, si ovis ostenso viridi ramo suaviter tracta currit, numquid suavius et efficacius ostensa veritate Deus animam libere, imo et sponte sequentem (*non*) trahet? Propterea de ipso Domino dicitur quod attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Trahi ergo desiderat sponsa ab sponso, quia sequi non posset. Unde ait Bernardus: Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit? Quæ comprehendere nititur eum, qui salit in montibus, transilit colles? Non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exultat ut gigas ad currendam viam, non potest suis viribus, et propterea rogat se trahi. Cursus autem sponsæ, qui est divinæ tractionis effectus, ad ipsum sponsum terminari debet, ut ipso tandem apprehenso quiescat et delitiose fruatur.

1049. D. Thomas explicans illud Cantic. IV: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Sororem et sponsam suam vocat, quoniam ex ancilla sororem sibi constituit, et dote Spiritus sancti pignoratam sponsam sibi efficit. Est anima " hortus conclusus, „ quia spiritualium virtutum germina profert, et " fons signatus „ per fidem Christi. Cursus sponsæ ad hunc terminum dirigitur, ut sponsi sui quiescentis gaudeat societate; unde paulo post ait: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum; Cantic. I. D. Thomas: O sponse, quem diligit anima mea, idest quem tota mentis intentione diligo, indica mihi ubi pascas, idest ubi oves tuas pascere facias. Ipse enim pastor bonus, sicut ipse dicit in Evangelio. Indica mihi ubi pascas et ubi cubes, idest requiescas, et hoc in me-

ridie, idest in fervore persecutionis vel tentationis. Nam cubare sponso, requiescere est, sicut ipse dicit: Super quem requiescet spiritus meus, etc. Ne enim Sancti actu tentationis arescant, ipse in eorum cordibus cubat et requiescit, atque ab omni fervore tentationum et persecutionum protegit. Quare hoc? " Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. „ O sponse, indica mihi sanctos et electos tuos, in quorum montibus requiescis, ne forte offendam et incurram hæreticos, putans te me ibi posse invenire.

1050. Hinc in via habetur societas sponsi pascentis et cubantis in meridie, quando sponsus seipsum in pacifica tranquillitate manifestat animæ, quam adverterit in spiritu ambulantem, et curam carnis non perficientem in desiderio: præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Non ergo, ut ait Bernardus, Serm. XXXI in Cantica, sic affecta et sic dilecta contenta erit omnino vel illa quæ multis per ea quæ facta sunt, vel illa quæ paucis per visa et somnia facta est manifestatio sponsi: nisi et speciali prærogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat, habeatque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed afficientem: nec dubium quin eo jucundiorem, quo intus, non foris. Verbum nempe est non sonans, sed penetrans; non loquax, sed efficax; non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens. Facies est non formata, sed formans; non perstringens oculos corporis, sed faciem cordis lætificans: grato quippe amoris munere, non colore. Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat quam quod est. Sponsa igitur hoc videndi sponsum et cum eo pascente et cubante in meridie commorandi desiderio flagrans, nullius alterius consortio satiari potest; unde addidit: " Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum: „ quia nec creata visibilia, nec cœlestia beatorum commercia desolatam recreare possunt ejus animam: solus sponsi advenientis illapsus intimus desiderium complet, et mentem quietat.

1051. Quod si tibi non vacat ad me venire, quasi divinam tuam majestatem dedecens, indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ut possim ad te citius currere ac tecum sociari. O felix regio, ait Bernardus, Serm. XXXIII in Cantica, in qua pro libito oves ingrediuntur et egrediuntur, et non est qui exter-

reat! Quis mihi tribuat videre vos, meque pariter in montibus pasci una cum illis nonaginta novem, quæ illic relictæ leguntur, cum pastor earum dignanter ad unam descendit quæ erraverat? Secure proculdubio cubat prope, et qui longe recedere minime dubitavit, sciens quia in tuto eos reliquerat. O vere meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! O lumen meridianum, o vernalis temperies, o æstiva venustas, o autumnalis ubertas, o quies et feriatio! Hunc locum tantæ claritatis, et pacis, et plenitudinis indica mihi, ut te in lumine tuo et in decore tuo per mentis excessum merear contemplari pascentem uberius, quiescentem securius: nam et hic pascis, sed non in saturitate; nec cubare licet, sed stare et vigilare oportet propter timores nocturnos.

1052. D. Thomas explicans illud Psal. XLIV: Et concupiscet rex decorem tuum: Ibi loquitur de sponsa, quæ est anima sancta: si oblivisceris populum tuum et domum patris tui, ex hoc acquires decorem spiritualem. Psal. XXV: Domine, dilexi decorem domus tuæ. Et hic decor concupiscitur a sponso spirituali; propterea dicit: " Et concupiscet rex decorem tuum. „ " Concupiscet, „ idest delectabitur. Isa. LXII: Quia complacuit Dominus in te. Et hoc est desiderandum, quia iste rex est magnus in potestate, in natura, in honore. Primum habet quia rex, ideo est Dominus; Psal. XCIX: Scitote quoniam ipse est Dominus. Secundum, quia ipse est Deus; Psal. XCV: Quoniam Deus magnus Dominus. Tertium, quia adorabunt eum omnes populi totius mundi; Psal. LXXXV: Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine. Nimis pius et misericors ac suavis est cœlestis sponsus, ut suæ sponsæ desideria despiciat, mœstam ejus inclamantis vocem negligat, currentis et pulsantis diligentiam repellat, cum ipse dixerit: Petite, et accipietis; quærite, et invenietis, et pulsanti aperietur. Unde, Cantic. II, lætabunda gloriatur sponsa se a dilecto post tot clamores exauditam, et ad delicias societatis ejus post tot hyemis rigores ac tempestates vocatam. En, ait, dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni: Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis

advenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Audite D. Thomam in commentario hujus loci: " Surge, propera, amica mea „ per fidem et dilectionem; " columba mea „ per innocentiam et simplicitatem; " formosa mea „ per virtutum pulchritudinem. " Surge „ de strato tuo illo tibi dulcissimo, hoc est de quiete in qua mihi soli placere in psalmis, hymnis et orationibus desideras, et veni, festina: " Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit. „ Hyemis et imbris nomine asperitas infidelitatis exprimitur; hyems transiit sole justitiæ apparente. " Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: „ finita hyeme et imbre, flores in terra apparuerunt, decor videlicet virtutum et pudicitiæ. " Tempus putationis advenit, „ hoc est purgationis Sanctorum. " Vox turturis audita est in terra nostra; „ turtur enim, quæ est avis castissima, et quæ in excelsis semper et in arboribus morari solet et nidificare, Sanctos significat qui possunt dicere: Nostra conversatio in cœlis est; Philipp. III. Quod etiam gemitum pro cantu habet, Sanctorum ploratum significat. " Ficus protulit grossos suos, „ immaturæ ficus inhabiles ad edendum, quæ ad pulsum venti facile cadunt. " Vineæ florentes dederunt odorem suum, „ quia per flores virtutum, et odorem bonæ opinionis late de se spargunt.

1053. Sponsus quasi sic sponsam alloquitur, invitando: Surge, in altiora contende, currens propera, et ut columba in nidum convola per charitatis incrementa. O sponsa vere formosa, cui et virtutum decor et actuum expeditio venustatem conciliant! Gradere, et ad me veni; specie tua et pulchritudine tua prospere procede et regna. Et enumerans præteritos ipsius labores et angustias persecutionum et tentationum, quas in terra mortalium pertulit, delicias et fruitiones quas in terra viventium sponso conjuncta est habitura, lætanter denunciat. Jam laborum hyems transiit, imber dolorum et lacrymarum abiit et recessit, quando et frigus culpæ mentis germen suffocabat, et vehemens diabolicæ incursionis imber cordis fœcunditatem devastabat. Jam facies terræ flante austro Spiritus sancti, eamque calefaciente mutata est: unde flores apparuerunt in terra nostra, scilicet actus odorati et aspectu pulchri in anima tua consiti, et cœlestium splendores gratiarum.

ARTICULUS V.

De altissimo gradu orationis qua anima unitur Deo in matrimonio spirituali.

1054. De spirituali matrimonio loquitur D. Thomas ad Ephes. v, explicans illud: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Quod sic exponitur a D. Thoma: Sacramentum hoc magnum est, idest sacræ rei signum, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Sap. VI: Non abscondam a vobis sacramentum Dei. Notandum est hic quod quatuor sacramenta dicuntur magna, scilicet Baptismus ratione effectus, quia delet culpam et aperit januam paradisi; Confirmatio, ratione ministri, quia solum a Pontificibus, et non ab aliis confertur; Eucharistia, ratione continentiæ, quia totum Christum continet; item Matrimonium, ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Et ideo si mystice exponatur, debet sic exponi littera præcedens: " Propter hoc relinquet homo, „ scilicet Christus, " patrem et matrem. „ Relinqui, inquit, " patrem, „ in quantum est missus in mundum et incarnatus. Joan. XVI: Exivi a Patre, et veni in mundum, etc. Et " matrem, „ scilicet Synagogam; Jerem. XII: Reliqui domum meam et dimisi hæreditatem meam, etc. " Et adhærebit uxori suæ, „ scilicet Ecclesiæ. Matth. ult.: Ecce vobiscum sum omnibus diebus, etc. Consequenter, argumentatur secundum sensum litteralem, exponendo prædictum exemplum. Quædam enim sunt in sacra Scriptura veteris Testamenti, quæ tantum dicuntur de Christo, sicut illud Psal. XXI: Foderunt manus meas, etc.; et illud Isaiæ VII: Ecce virgo concipiet. Quædam vero de Christo et aliis exponi possunt: sed de Christo principaliter; de aliis vero in figura Christi, sicut prædictum exemplum. Et ideo primo exponendum est de Christo, et postea de aliis. Et ideo dicit: " Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam diligat; „ quasi dicat: De Christo dicitur principaliter, etsi non singulariter, quia exponendum et implendum est in aliis in figura Christi. — Ex qua doctrina D. Thomæ clare colligitur quod matrimonium

spirituale principaliter fuit significatum; et primo in illis verbis " Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia; „ minus principaliter in multis aliis locis qui reperiuntur in sacra Scriptura, et exponuntur a Sanctis de isto matrimonio spirituali.

1055. Præsupponendum est ex doctrina D. Thomæ quod in via non est perfectum matrimonium spirituale, sed tantum consummatur in patria, ubi anima Deo penitus indissolubili nexu conjungitur, cum tamen hic unio qualiscumque dissolvi possit; et etiam quia solum in patria communicantur perfecte animæ dotes, quæ sunt visio, dilectio et fruitio. Et in hoc sensu sunt intelligendi mystici doctores, quando loquuntur de matrimonio spirituali. Sicut in matrimonio corporali duo fiunt una caro, ita in matrimonio spirituali fiunt unus spiritus, ut dicit Apostolus, I. Cor. VI: Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Quod exponens D. Thomas: " Qui autem adhæret Domino, „ scilicet per fidem et charitatem, " est unus spiritus cum illo, „ quia scilicet unitur ei unitate spirituali, non corporali. Unde ad Rom. VIII dicitur: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus; et Joan. XVII: Ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus, scilicet per connexionem spiritus; et quia corpus deservit spiritui, consequens est ut etiam corpora nostra membra ejus sint qui per spiritum animat, non quidem carnali conjunctione, sed spirituali.

1056. Audite D. Thomam, Opusc. LXI, cap. 13, loquentem de isto matrimonio spirituali: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico inter Christum et Ecclesiam, inter Deum et animam. Tria sunt bona matrimonii: fides contra adulterium, inseparabilitas quæ dicit sacramentum contra divortium, proles contra sterilitatis opprobrium. Sed in hoc conjugio spirituali fides inviolabilior, inseparabilitas major, proles utilior. — Fides inviolabilior Dei ad animam. Osee II: Sponsabo te mihi in fide. Cantic. II: Dilectus meus mihi, et ego illi. Quinimo fidelior est sponso omni qui fidelis est etiam animæ fidem non servanti. Isaiæ LVII: Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterium; Jerem. III: Tu fornicata cum amatoribus multis, tamen revertere ad me. — Inseparabilitas major. Illi enim duo unum carnaliter effecti inseparabiles dicuntur qui dum vivunt, nequeunt separari: sed et necessario separantur, quia necessario

moriuntur; Rom. VII: Si dormierit vir ejus, soluta est a lege viri. Verum inter te, o anima, et Deum, matrimonium quod in baptismo initiatum, in bona vita ratum, in patria fuerit consummatum, post illius unius primum consortium impossibile est esse divortium: verumtamen et modo dic cum Apostolo, Rom. VIII: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia? Cæterum quod subjungitur, rapto et unito congruit: Certus sum quod neque mors, neque vita, neque instantia etc. poterunt nos separare a charitate quæ est in Christo Jesu. — Item proles utilior et multiplicior, bonorum scilicet operum. Fœcundat enim sponsus sponsam, Deus animam per gratiam, progrediturque proles ab ambobus unitis, non ab uno tantum, sed a natura ut a principio materiali et incompleto, a gratia vel a Deo, ut a complemento vel formali, et ideo principali. Joan. X: Sine me nihil potestis facere; I. Corinth. XV: Abundantius omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum. Hæc utilis proles quæ matrem non perimit, sed ei vitam æternam acquirit. In matrimonio carnali, dicit S. Thomas, II. Cor. XI, lect. 1, cavet sponsus ne conjux corrumpatur carnaliter: ita Apostolus in hoc matrimonio spirituali timet ne corrumpantur spiritualiter sensus cordis; I. Cor. XV: Corrumpunt bonos mores, etc.; vel sensus spirituales, de quibus, Sap. I: Sentite in Domino, etc.; I. Cor. XIV: Nolite pueri effici sensibus.

1057. D. Thomas, Opusc. LXI, explicat decem gradus divini amoris D. Bernardi, et in illis nobis proponit media quibus anima sancta pervenit ad matrimonium spirituale; quia per perfectissimam charitatem pervenit anima ad matrimonium spirituale; et cum illic explicat decem gradus charitatis, cum fundamento dicitur quod per illos pervenit anima ad matrimonium spirituale. Primus gradus est in quo charitas facit languere utiliter; Cantic. V: Nunciate dilecto quia amore langueo. Super hunc gradum anima pedem ponit affectus, cum primo amare Deum incipiens a peccato languescit: verum infirmitas hæc non est ad mortem, nisi forte ad mortem mortis, scilicet peccati mortalis. O infirmitas! Glossa: non periculosa. Libenter ergo cum Apostolo gloriabor in infirmitatibus meis. Nimirum utilis infirmitas hæc multipliciter: primo, quia animæ aufert gressum ad illicita; secundo, mutat situm ut jaceat prona per humilitatem quæ stabat erecta per elationem.

1058. Tertio, mutat gustum ut amarescat animæ peccatum, quod ante libuit; sapiat aliquantulum summum bonum, quod ante non sapuit. Item mutat pulsum in brachio operis, cujus causa est spiritualis mutatio cordis. Cantic. VIII: Pone me ut signaculum super brachium tuum. Igitur per brachium de corde datur judicium. Item, mutat vultum. Poeta: Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti. Hic utique mutatio dexteræ Excelsi, omnem naturæ creatæ virtutem excellens, et ad illum solum pertinens, qui pluviam voluntariam gratiæ segregabit hæreditati suæ ut infirmetur, et ipse perficiet eam, quoniam virtus in infirmitate perficitur.

1059. Secundus gradus est in quo facit quærere incessanter. Gregorius: Vis amoris intensionem multiplicat inquisitionis. Super hunc gradum pedem anima ponit, cum per infirmitatem prius mutata Deum quem quæsivit aliqualiter in lectulo ægritudinis convalescens ad bonum frequenti et diligenti discursu rationis inquirit, dicens: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi infirma infirmiter, surgam et circumibo civitatem, totam creaturæ universitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Psal. CXL: Quærite faciem ejus semper, semper quærite, sed non invenietis ubique. Augustinus: Quærite quod quæritis, sed ibi non invenietis ubi quæritis: beatam vitam quæritis in regione mortis; non est illic: quomodo enim beata, ubi nec vita? O anima mea, si sapienter, et cum hoc diligenter quæreres, hoc tribus signis ostenderes, primo quia lucem peteres, ne tenebris impedireris. Psal. LXVI: Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam suam. Secundo, scientes interrogares, ut ad inveniendum expedireris. Matth. II: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Cantic. III: Invenerunt me vigiles, num quem diligit anima mea vidistis? Tertio in nullo, quod a requisito aliud est, sisteres, sed sine mora transiens ad aliud oculos projiceres, donec tandem quæsitum invenires, ut illa quæ inclinavit se, et videns in monumento dilecti sui angelos, nec alloquitur ipsos, nec diu intuetur, sed respondens interrogantibus breviter ab ipsis se avertit. Et sequitur: Et conversa Maria, vidit Jesum stantem. Cantic. III: Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.

1060. Tertius gradus est in quo amor facit operari indesinenter. Gregorius: Nunquam est amor Dei otiosus. Operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est; nimirum probatio dilectionis exhibitio est operis. Beatus vir, inquit Propheta, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis; Psal. CXI. Si vult nimis qui timet, quantum volet in mandatis qui amat? Dilectio enim primogenita est filia gratiæ, et ideo prior et potior timore. Ego, inquit, mater pulchræ dilectionis, et deinde timoris. Timor ergo amorem sequitur, ut posterior dignitate priorem: et tamen qui timet, cupit nimis in mandatis opere implendis. Amor ergo amplius volet et amplius faciet. Nec primus quidem gradus sine opere est penitus, sed valde dissimilis huic. Super hunc enim gradum anima proprie pedem ponit tripliciter: cum operatur magna et reputat parva, operatur multa et reputat pauca, operatur diu et reputat breve, et videntur ei pauci dies præ amoris magnitudine. Bernardus: Labor meus vix est unius horæ; et si plus est, non sentio præ amore. Nec mirum si amor multa opera pauca reputat, cum in mandatis, etsi multa faciat, plura tamen cupiat, quoniam in mandatis ejus cupit nimis. Si punctus ad omnia haberet concupiscentiam ad quæ habet potentiam, non reputaret multas de se fluentes centum vel mille lineas, cum habeat potentiam ad infinitas: cæterum amor violentior est quam potentior. Nec mirum si non reputat amor opus magnum: non amanti enim aliquid magnum est, amanti nihil. Seneca: Cogitare præter animum principaliter nihil est mirabile, cui magno nihil est magnum: magnus autem est qui magnum amorem habet. Bernardus: Qui magnam habet charitatem magnus est, qui modicam modicus est, qui nullam nullus. Augustinus: Nihil majus est animo habente charitatem, præter eum qui dedit charitatem. Nec mirum si non reputat se amor diu servisse, etiam multo elapso tempore, cum hoc appetat semper et sine fine facere. Nam in comparatione ævi omne tempus est sicut ad lineam punctus. Ubi nunc sunt qui in hoc tertio gradu pedem ponunt, qui non in hoc tertio gradu deficiant? Pauca tamen est charitas quæ opera sua numerat ut multa, parva quæ ponderat ut magna vel difficilia; brevis amor qui mensurat ut longa. Sed vos qui tertium gradum calcatis, cum omnia bene feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. Desidiam quippe,

ut dicit Gregorius, facit in opere bono minor amor Dei, fraudem minus amor sui: sed etsi non sit desidia in operando, caveatur superbia in reputando.

1061. Quartus gradus est in quo amor facit sustinere infatigabiliter. Augustinus: Omnia gravia et immania facilia et prope nulla facit amor. Glossa super illud Joan. XXI: Ducit te quo tu non vis: Quantacumque sit molestia mortis, vincit eam vis amoris. Mors, secundum Aristotelem, ultimum est et maximum inter terribilia et sustinenda. Igitur si vincit amor mortem, et infatigabiliter sustinet, quanto magis ea quæ circa mortem! Verum hic gradus elevatus valde et prædictis satis altior, et ideo ascensor rarior. Nam et ille præcipuus amor (*scil. Petri*) quia omnia reliquerat bene respondens, claviger deputatus fuerat; in montem ascenderat, in hoc gradu stare se credidit: Paratus sum, inquit, tecum in carcerem et in mortem ire: sed eadem nocte patuit quod nondum in eo pedem posuerat; probatio quidem dilectionis exhibitio est operis: sed validior probatio sustinentia tribulationis. In hoc gradu existentes Dominus specialiter semper meminit. Jerem. II: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto; meminit, inquam, et visitat hic amicum. Psal. XC: Cum ipso sum in tribulatione: utique gradus ille utilis est et necessarius, quia, secundum Aristotelem, difficile facili magis eligendum. Magis enim amamus cum habemus quod non est facile sumere.

1062. Quintus gradus est in quo facit appetere impatienter. Hieronymus: Hoc habet impatiens amor, ut quod desiderat, semper invenire se credat. Amor impatiens non accipit ex difficultate remedium, neque ex impassibilitate solatium. Amor impatiens quod amat non potest (*non*) videre. Nimirum ubi amor, ibi oculus: sicut in naturalibus appetitus vehementiam causat inanitio et prægustatio. Stomachus enim sentiens se exinanitum, appetit; quod si esca vel videri, vel odorari contingat, appetitus crescit. Aristoteles: Videbit quis aliquos, quando famescunt, lætari odore ciborum; quod si cibus appetibilis fuerit aliqualiter prægustatus, irritatur appetitus amplius. Sic anima exinanita a bono sensibili et mutabili, et prægustans aliqualiter bonum immutabile, pedem cum impetu elevans de quarto gradu, quintum cogitur etiam impatienter appetere, secundum

illud Eccli. XXIV: Qui edunt me adhuc esurient; imo hic non tantum esurit, sed et bolismum patitur summi boni; hiat et inhiat, concupiscit et deficit. Psal. LXXXIII: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Accipe Rachelem impatientis desiderii exemplar. Da mihi, inquit, liberos: alioquin moriar, præ impatientia flentes vidi, morientes vidisse me non memini. Quid (*charius*) vita carnis, quid molestius morte? Nonne ergo impatienter desiderat qui minatur etiam vitam abjicere, si desiderium non obtinet, malens non esse quam sine eo quod appetit esse, et se quam illo carere? Sed vide, anima mea: mori vult illa, nisi detur quod, quando datum fuerit, morietur: mortua est enim in partu Benjamin. Cum quanta ergo impatientia et vehementia tibi est appetendum, quo dato non morieris, sed vives in æternum? Dicat ergo laudabiliter in hoc gradu impatiens anima: Summum bonum, melius es tu mihi quam decem filii. Da ergo te mihi: alioquin moriar!

1063. In sexto gradu facit currere velociter. Bernardus: Qui amat ardentius, currit velocius et apprehendit citius. Nam qui in quinto gradu famem patiuntur ut canes, restat ut sextum ascendant et circumeant civitatem, totum scilicet universum: nec tantum circumeant, sed circumcurrant, ut in creaturis moram non faciant, sed post Creatorem discurrant. Ad hunc gradum pertinet illud Psal. XLI: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Velox est cervus, piger asinus, desiderat ergo ut asinus ille, de quo in Prov. XXII: Desideria occidunt pigrum; desiderat ut cervus ille qui dicit: Cucurri in siti. Sed quomodo cucurristi? Respondet: Sine iniquitate cucurri, direxi. Directus autem est cursus a summo deorsum, vel ab imo sursum. Exultavit enim quidem ad currendam viam: a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. Igitur si desideraveris ut cervus ad fontes aquarum, si in hoc desiderio quasi in siti cucurreris et direxeris a summo usque deorsum, quinque in genere invenies differentias substantiarum, quasi quinque fontes aquarum, scilicet corpus quintum, quod quinta essentia a Philosophis dicitur, sub qua elementum ignis, sub quo aer, sub quo aqua, sub qua terra. Primus fons limpidissimus, ultimus turbidissimus. Hos si transieris velociter, et cursum currens direxeris ab imo sursum, invenies alia quinque genera substantiarum, veluti

quinque fontes aquarum: primo mixtum, secundo vegetabile, tertio sensibile, quarto rationale, quinto substantiam separatam, scil. intelligentiam, vel Angelum. Primus turbidissimus, ultimus limpidissimus. Si in hoc gradu fueris, nusquam cum mora bibes, sed subito gustu quodammodo probans et experiens quia summum bonum non sunt, et ideo siti tuæ non sufficiunt, transibis et dices: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.

1064. Septimus gradus est in quo amor facit audere vehementer. De hoc nota: tres potentiæ partes rationalis animæ, scilicet rationalis, irascibilis et concupiscibilis, sunt quasi tres sorores unius substantiæ, quasi ejusdem matris filiæ: quarum prior rationalis apprehensiva et cognitiva est, et ideo præcedere habet; aliæ duæ non tantum sorores, sed et gemellæ sunt, quia ambæ motivæ: et ideo diligentius se adjuvant quam Maria et Martha, quarum una motiva et activa, altera quiescens et contemplativa: potior tamen et dignior concupiscibilis. Hæ tres sorores tres habitus perfectivos ducunt, quasi tres maritos: nam rationalis scientiæ, concupiscibilis amori, irascibilis ausui nubit. Igitur concupiscibilis mota sororem movet, et audacia ex amicitia exultat: utrique autem rationalis apprehensiva cum sua cognatione deservit. Facta ergo apprehensione, irascibilis aut disconfortatur, aut confortatur. Si apprehensum est disconfortativum, irascibilis statim in principio timens fugit. Augustinus: Timor animi fuga est. In medio si continuatur et augetur disconfortatio, timor crescit et pusillanimitas fit; quæ si intendatur, tandem in termino desperatio sequitur. Si autem apprehensum sit confortativum, irascibilis in principio sperat, in progressu audet, in termino summe confortata certa et secura fit. Igitur anima Deum apprehendens, si apprehendat sub conditionibus disconfortativis, timet. Exemplum habes Exod. III: Moyses perrexit ad videndum rubum, etc. Et respondit Dominus: Ne appropies huc. Sic Dominus animæ loquitur ne appropiet, cum influet in apprehensivam, secum et secundum conditionem irascibilis, disconfortativam majestatem scilicet, vel aliam: et ideo anima sistit quasi procedere non audens. Et ait Dominus: Solve calceamentum de pedibus tuis, quasi diceret animæ: Affectus tuus, nisi nudetur ab habitu brutali, pelle pecuali, disconvenit huic itineri. Et addit: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; quasi diceret: Ego sum

cujus una essentia Deus, et Deus, et Deus, cujus tres personæ: quod innuit copula quæ diversitatem exigit. Aliter enim sufficeret dicere: Ego sum Deus Abraham, et Isaac, et Jacob. Hæc igitur loquitur Deus cogitationi apprehendenti ipsum esse unum et trinum, et sequitur stupor timoris irascibilis motivæ. Unde abscondit Moyses faciem, nec audebat respicere contra Dominum: hoc per se patet expertis. Quandoque etiam timor vel stupor intenditur, ut in anima contemplante ex pusillanimitate amentia sequitur, ut figuratur in Esther. Viso enim Rege in throno majestatis, Regina corruit, et pene exanimita est. Et III. Reg. x: Regina Saba videns et stupens sapientiam et gloriam Salomonis, non habebat ultra spiritum.

1065. Verum quando amor claudit oculum rationalis apprehendentem Deum ut disconfortantem, et Deus imprimit in apprehensivam secundum conditiones confortantes, post apprehensionem irascibilis confortata movetur progressione, et primo erigens se sperat. I. Cor. XIII: Charitas omnia sperat. Crescit confortatio, et fit audens. Poeta: Audacem faciebat amor. Vide de hoc in amore libidinoso honoris, rerum, vel voluptatis, Esther 2. Accipit homo gladium, et facit furta, etc., et bonum vidit, etc., et amabili suæ affert. Tandem quando summe confortatur securatur. I. Joan. IV: Perfecta charitas foris mittit timorem. Rom. VIII: Certus sum quod neque mors, neque vita, etc., poterit nos separare a charitate quæ est in Christo. In hac vita, sperare multorum, audere paucorum, securitas paucissimorum, immo nullorum, nisi excellentissime privilegiatorum. Exemplum hujus evidens in Genes. XLV: Non se poterat ultra cohibere Joseph etc. multis coram stantibus, usque illuc: Post quæ ausi sunt loqui ad illum. Historiam oculus legat, affectus exponat. Sic enim omnino Deus facit animæ in hoc septimo gradu positæ: stupet anima Christo imprimente in cognitivam se Filium Dei esse. Ego sum Joseph filius accrescens: filius naturalis, et ideo Patri æqualis, non potens crescere: sed in tua apprehensione crescens et accrescens, seu excrescens; inde stupor, qui est species timoris, sistens animam et ligans, unde nec poterant respondere fratres Joseph, etc. timore perterriti. Variatur impressio invariato imprimente; mutatur apprehensio immutato apprehendente: apprehenditur Joseph secundum conditiones confortativas, verba, amplexus, oscula et fletus.

Verba triplicia, quia primo advocat, ad quos ille clementer: Accedite, inquit; hoc dissimile illi: Ne appropies huc. Secundo, consanguinitatem memorat: Ego sum frater vester; hoc dissimile illi: Ego sum Deus patris tui. Tertio, culpam excusat: Non vestro consilio, sed Dei voluntate, etc.; hoc dissimile illi: Nec durum vobis videatur quod vendidistis, etc.

1066. Exod. III: Solve calceamentum de pedibus tuis. Ibi quasi inculpatur affectus interior pecualis: hic excusatur etiam actus exterior bestialis. Non contentus est amor movere linguam ad benigne loquendum, movet et brachia ad amplexandum, et oculos ad flendum, vel potius cerebrum liquefacit et resolvit ad lacrymandum. Unde: Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin, flevit: recidisset, inquit, quasi non accessisset ad collum, sed cecidisset; nec tantum cecidisset, sed iterum atque iterum cadens recidisset. Movet et labia ad osculandum, unde osculatus est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. Et sequitur: Post quæ ausi sunt loqui ad eum, cum illic dicatur quod non audebat Moyses vel respicere contra Deum. Omnia tempus habent: tempus timendi et tempus audendi. Post quæ, inquit, ausi sunt loqui ad eum: post quæ; non: ante quæ. Cum ergo has impressiones a Christo interius senseris, audeas! Loquere quod vis. Senseris, inquam, tripliciter, ut illi: scilicet auditu, visu et tactu. Cum audieris primo: Accedite ad me, scilicet dissimulantem quod est lux inaccessibilis, sistens Moyses ne appropies huc, ad rubum scilicet, ubi lux est flammæ sine combustione, sed clementer se tibi capabilem præbentem, et te ad se mulcebritate sua clementer allicientem. Cum audieris secundo: Ego sum frater vester, quasi tacentem relationem superpositionis secundum quam est Deus patris tui, sicut dicit Moysi, et insonantem auribus cordis tui relationem quasi æquiparantiæ, secundum quam est similis tibi homo, hominis filius, et ideo frater tuus. Cum audieris tertio: Nec durum vobis videatur quod vendidistis me, quasi non solum non redarguentem affectum superficialiter brutalem sicut in Moyse: Solve calceamentum de pedibus tuis: sed conscientiæ tuæ remittentem et annihilantem actum quemlibet totaliter bestialem, sicut audivit Magdalena post lacrymas: Mulier, remittuntur tibi peccata tua. Beati certe quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata! — Item cum videris

visu spirituali qui non fallitur in objecto, non præsumptuose et phantastice imaginando, sed humiliter et certissime intelligendo oculos Jesu erga te distillare.

1067. Cum videris secundo brachia Jesu laxari ad amplexandum, quasi oblita percussionis quam merueris peccatis gravioribus, oblitaque et castigationis quæ debetur minoribus. Postremo cum senseris tactu, qui cognoscit de proximo et in conjunctione maxima, labia illa Jesu distillantia myrrham primam: vel non myrrham, sed mellis stillam primam; polluta olim animæ tuæ labia non abominari, sed mirabiliter ipsis imprimi, ineffabiliter osculari, quasi oblita invectionis: Exploratores estis; oblita comminationis: Per salutem Pharaonis non exibitis. Deinde et quasi oblita jussionis, non judicem vel dominum, vel magnum prætendere metuendum, sed sponsum amantem tenerrime et teneriter redamandum. Post quæ, inquit, ausi sunt loqui ad eum. Sic audet illa quæ loquitur: Osculetur me osculo oris sui. Bernardus: O sancta anima, reverentiam habe, quia ipse est Dominus Deus tuus, fortasse non osculandus, sed adorandus, fateor; quia honor regis judicium diligit: sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subjicitur. Scito tamen quod ad præcipitium disponeris, si hunc septimum præsumpseris antequam sex priores transieris.

1068. Octavus gradus est in quo facit astringere indissolubiliter. Omnia quidem præcedentia fieri possunt in distantia: verum hic primum est conjunctio amantis cum amato. Qui enim astringit tenet, qui tenet tangit, qui tangit non distat. Languens distat; similiter et quærens: nec enim langueret et quæreret, nisi distaret: sed et currens distat, et ideo currit ne distet; et sic de aliis. Stringens autem non adhuc distat, sed astat, vel magis instat. In præcedentibus ergo gradibus anima amat et amatur, quærit et quæritur, vocat et vocatur. In hoc autem gradu quodam miro et indissimili modo rapit et rapitur, tenet et tenetur, stringit et stringitur, et una uni per amoris copulam sociatur. Dionysius: Amor est copula amantis cum amato. — Trina quidem copula tribus professoribus traditur, scilicet conjunctionalis a grammatico, verbalis a dialectico, carnalis a jurista, vel ethico, qui judicare habet de matrimonio. Prima copulat dictionem dictioni, quandoque congrue, quandoque in-

congrue. Secunda prædicatum subjecto, quandoque vere, quandoque false. Tertia sexum sexui, fœminam viro, quandoque bene, quandoque male. Nec talis copula hæc, sed omnem artem et facultatem transcendens, copulat animam Deo, creaturam Creatori, finitum infinito, semper congrue, semper vere, semper bene: hoc igitur est astringere.

1069. Sed nota: aliud est pedem ponere in gradu, aliud statuere. Ponens enim nonnunquam retrahit et deponit: statuens autem figit; propter quod Dan. IX: Daniel vir desideriorum, etc. Et sta in gradu tuo. Quasi dicat: Non tantum calca super gradum, sed sta, et firmare super te ipsum. In hoc gradu quidam sunt hospites et transitorii, quidam vero incolæ et mansionarii. Ut hospites, ad hunc gradum eunt et redeunt qui astringunt et postea dimittunt; mansionarii autem sunt qui insolubiliter astringunt, ut illa: Inveni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ; non offendat te donec, etc. Non enim ponit post, sed negat ante: nam non ideo vult introducere non dimissum ut dimittat introductum: quin imo quando hac cautela foris inventum introduxerit, plenius tenebit, fortius astringet, et minus dimittet. — Primi autem, scil. hospites, sunt in triplici differentia, quia tribus modis dimittitur Christus. Primo enim dimittitur non volens a volente, cum brachia quæ strinxerat charitas, distinguit carnalitas, vel remissa tepiditas: sic dimittere est amittere. Augustinus: Te nemo amittit, nisi qui dimittit. Sic autem dimissus, et quasi coactus recedere, cogitur nimirum dimissorem dimittere. Psal. LXXX: Audi, populus meus, et contestabor te, Israel, si audieris me, non, etc. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti in præterito. Dilata os tuum, et implebo quidquid appetis in futuro. Et non audivit populus meus vocem meam, et dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Secundo, dimittitur volens non a volente, cum brachia stringentis affectus corporis corruptibilis infirmitas laxat, necessitas relaxat. Gen. XXXII: Dixit Angelus ad Jacob: Dimitte me: jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris me. Hoc dimittere est contemplationem ex carnis necessitate remittere: sic tamen dimissus dimittenti benedictionem præstat, et nomen mutat; quod totum tibi plenius exponet et planius modica experientia quam longa verborum sententia.

Tertio, dimittitur volens a volente, cum prævidetur utilitas, et sequitur quasi tracta voluntas: hoc tale dimittere est contemplationem ex utili causa intermittere, ut vel opposita juxta se posita majora et minora clarius videantur, ut ferventius appetat, jucundius recipiatur, firmius stringatur cujus carentia qualis sit agnoscitur.

1070. Vide hoc evidenter in Tob. v: Heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, baculum senectutis nostræ, qui sustentat impotentiam nostram? Lumen oculorum nostrorum, quod illuminat ignorantiam; solatium vitæ nostræ, quod solatur tristitiam? Et hoc in præsenti. Spem posteritatis nostræ, spem in futuro, et breviter omnia in te uno habentes, non te debuimus dimittere a nobis. Sic dimissus, sic cum fletu desideratus, cum desiderio expectatus radians refert antidotum cœcitatis, remedium paupertatis. Qui legit intelligat. Omnia autem in uno habemus, de quo Rom. VIII: Proprio Filio suo non pepercit, quomodo autem non cum illo omnia nobis donavit? Hunc igitur dimittere non debuimus: quod si dimittimus, sic dimittamus; sic rediturum expectamus, et tunc sic recipiemus.

1071. Nonus gradus charitatis est in quo facit ardere suaviter. Non omnis qui calet ardet; nec omnis qui ardet bene ardet: et bene ardet qui suaviter ardet. Nota ergo originem ardoris, et differentiam in esse naturali, et secundum hoc procede in esse morali. Origo ardoris est calor: non omne ardens est calidum, sed non e converso. Calor autem est qualitas corporis inter primas elementares qualitates nobilissima, naturaliter sursum movens, homogenea congregans, heterogenea disgregans; quæ secundum se directe, sed non immediate frigiditati opponitur, quæ deorsum movet, homogenea disgregat, heterogenea congregat. Est enim calor in corpore quandoque naturalis et innatus, quandoque accidentalis vel adventitius; et ille quandoque conveniens, quandoque disconveniens. Secundum hæc calor spiritus est amor, et hic duplex: alius innatus, alius additus; et iste duplex: alius conveniens, et hic est charitas; alius disconveniens, et ideo spiritum distemperans, et iste cupiditas. Plane ergo hæc qualitas spiritus, scil. amor (*est*) inter primas spiritus qualitates prima et nobilissima. I. Cor. XIII: Major horum est charitas, primo sursum movet ut calor. Augustinus: Unaquæque res suo pondere ad locum suum tendit.

Pondus ignis, et olei, et universaliter calidorum, secundum se sursum; lapidis et gravium omnium deorsum: quod autem est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus.

1072. Et in hoc motu, quod amor naturalis inchoat, charitas consummat, quæ non permittit spiritum quiescere extra Deum, sicut calor ignem circa horizonta extra naturalem et locum proprium. Augustinus: Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. — Item heterogenea iste calor disgregat. Heterogenea valde spiritus et corporalia (*sunt*) corruptibile et incorruptibilia, perpetuum et temporalia: dissociat ergo hæc calidum charitatis. Sed homogenea congregat conjungens spiritum a corporibus segregatum cum spiritu incorporeo. I. Cor. VI: Qui adhæret Deo, unus spiritus est; conjungens incorruptibile incorruptibili a corruptibilibus segregatum, scilicet animam intellectivam incorruptibili primo bono; itemque perpetuum a temporalibus segregatum perpetuo et æterno. Augustinus: Junge te æterno, et æternus eris.

1073. Nota ergo. Sicut in naturalibus, ita et in moralibus tria sunt, scilicet frigus, tepor, et calor; et tepidum est medium inter extrema quæ opponuntur ut contraria. Per tepidum est transitus a frigido ad calidum: et sic tepidum laudabile aliquando et bonum, quia via est et dispositio ad generationem caloris, sed non sufficiens, quia frigus in ipso non moritur, sed remittitur. Augustinus: Non moritur frigus nisi in calore. Frigus igitur est status culpæ prorsus amoris expers. Tepor status gratiæ gratis datæ; calor, gratiæ gratum facientis, ubi primo frigus expulsum a contrario perimitur et moritur. Est et per tepidum reditus a calido ad frigidum, et sic vituperabile. Apoc. III: Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. — Item in calido tres sunt diversitates, scilicet calens, fervens et ardens. Calor initium, fervor incrementum, ardor complementum. Differunt ergo ut majus et minus. Nam fervor est calor valde intensus: ardor est fervor summe intensus. Calor ergo in positivo, fervor in comparativo, ardor in superlativo. Calent incipientes, Psal. XXXVIII: Concaluit cor meum intra me; fervent proficientes, Rom. XII: Spiritu ferventes, Domino servientes: ardent perfecti, Ps. XXXVIII: In meditatione mea exardescit ignis. In ardore jam, et tunc primo ignis forma, et forma et natura est. Unde in I. Metaph.: Ignis est in fine caliditatis.

1074. Sunt autem tres species ignis, secundum Aristotelem, scilicet carbo in materia terrea, flamma in materia aerea, lux in materia propria. Tres ergo sunt ardoris differentiæ secundum tres status, scilicet pœnitentium, activorum et contemplativorum. Status pœnitentium habet ardorem carbonis, ubi est ignis in materia terrea. Is. LXIV: Si abluerit Dominus sordes filiæ Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris. Verum in hoc statu, scilicet pœnitentiæ, inveniuntur nonnulli tepentes, pauci vero calentes, pauciores ferventes, paucissimi ardentes. Accipe tamen exemplum ardoris a Magdalena, de qua Gregorius: Intendit plene Maria peccati rubiginem, quæ ardet valde per amoris ignem. Gregorius: Disce quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubescit. Item, status progredientium in itinere bonæ actionis habet ardorem flammæ quæ magis sursum tendit, et de carbone quidem nascens, patre suo nobilior est in materia, clarior in forma. Verum in hoc statu invenies non omnes ardentes, sed quosdam tepidos, alios calidos, paucos fervidos, rarissimos ardentes; de quibus Lucæ XXIV: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum nobis loqueretur in via, et aperiret Scripturas? Vide ibi et disce quales itinerantes, et ex quibus causis ardent. Vide in his duo, scilicet motum et actum.

1075. In motu considera quatuor concurrentia: quot ibant? duo simul. Quales? Ex discipulis. Quando? Ipsa die. Quo? In Emmaus. In numero concors societas. Propheta Amos, III: Numquid ambulaverunt duo pariter, nisi conveniat eis? Utile melius est duos simul esse quam unum. Unus enim quomodo calefiet? Et si non calefiet qui unus et singularis est, quomodo ardebit in professione humilis docilitas? Ex discipulis, inquit, non ex magistris. In tempore lumen discretionis. Ibant enim in die, non in nocte. Qui enim ambulat in tenebris, nescit quo vadat. In termino desiderium perfectionis. Ibant in Emmaus, quod interpretatur desiderium consilii. Illic eunt qui non contenti implere mandata, desiderio moventur etiam ad implenda consilia. — Item actus eorum triplex describitur, scilicet quid cogitarent corde, quid dicerent ore, quid facerent opere. Cogitabant autem Passionem Christi, et ideo tristes, non sæculariter gaudentes. Unde: Ambulantes, et estis tristes? Conferebant in verbo, non de vanis aliquibus, sed de his omnibus quæ acciderant, scilicet de Pas-

sione Christi. Quo contra, Joan. IX: Ipsi de mundo sunt, et ideo de mundo loquuntur. Exhibebant in facto hospitium peregrino, ut pateret ipsorum tristitiam non fuisse accidiam, quæ tædium boni inducit. Nimirum talibus viatoribus Jesus appropinquat, simul vadit, increpat nonnunquam, Scripturas aperit, et sic ardorem causat: nec tamen agnoscitur, donec panis frangatur.

1076. Tertius est status quiescentium in pace contemplationis. Hic habet ardorem lucis: sed tamen et inter contemplativos invenies calentes, ferventes, perpaucos autem ardentes. Tales illi in Jerusalem sedentes, et ignem divinum excipientes. De quibus Gregorius: Dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt. Primi ergo ardent multum utiliter, sed et multum pœnaliter. Secundi magis utiliter, et minus pœnaliter. Tertii maxime utiliter, et minime pœnaliter, et ideo suaviter. Hi, scilicet suaviter ardentes, in hoc nono gradu sunt Seraphim in proximo cognationis gradu attinentes, de quibus dicit Dionysius: Seraphim est calidum, fervidum et superfervidum: hæc est visio magna, ardor sine pœna, suavis non gravis, ita ut Moyses miraretur quod rubus arderet et non comburetur.

1077. In decimo gradu facit similari totaliter. Sed nota: tres sunt similitudinis differentiæ. Prima fundatur super proportionem: sic nigrum in comparatione ad congregare proportionabiliter, simile est albo comparato ad disgregare. Proportionalem ergo similitudinem disparata, etiam opposita, habere possunt. — Secunda fundatur super communem qualitatem: sic album albo similatur. Aristoteles: Similitudo est eadem rerum differentium qualitas. — Tertia fundatur super receptionem: sic cera similatur sigillo, speculum rei oppositæ cujus speciem recipit, aqua rei objectæ, oculus rei visæ. Secunda similitudo expressior quam prima, tertia quam secunda.

1078. Similitudine proportionis similatur anima Deo per naturam: et hoc multipliciter, quod patet sic. Divina enim essentia potest considerari dupliciter: ut comparata ad personas, et ut comparata ad creaturas; comparata ad personas, quarum est et in quibus est. Repræsentat anima in suprema sui portione tripliciter, scilicet Trinitatem personarum in unitate essentiæ, Trinitatem potentiarum in una mente, item originem et ordinem: originem et ordinem, quia sicut Pater origo Filii, et ambo simul

Spiritus sancti, similiter memoria origo intelligentiæ, utraque voluntatis. Item æqualitatem æqualitate et circumincessione, ut totum probat Augustinus. Item ad creaturas comparatur dupliciter: ut causans et conservans. Ut causans tripliciter: efficienter, et sic ab uno Deo omnia, et quodammodo similiter secundum tenuem proportionem ab uno homine omnis homo; formaliter, et sic idea omnium in Deo spiritualium et corporalium: similiter intellectus aptus est omnibus similari ideas recipiendo, quas habet Deus non receptas; item ut conservans: sic Deus in universo totus, et in qualibet ejus parte totus: similiter anima in corpore.

1079. Sed nota: similitudo recipit magis et minus. Est enim duorum similitudo parva convenientia proportionalis in aliquibus paucis vel modicis, magna in multis, major in pluribus, maxima in plurimis. Item similitudine qualitatis similatur anima Deo, partim per naturam, partim per gratiam. Sed prænotandum illud Augustini: Credamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, etc. Est ergo bonitate bonus, cujus bonitas non est qualitas accidentalis, sed veritas substantialis. Anima autem est bonitate, qualitate et accidente: tamen propter actum consimilem bonitatis hujus et illius improprie et analogice, et exiliter valde, bono Deo bona anima similis dicitur. Est enim Deus bonus, simplex, insensibilis, immortalis: fecit hominem ad suam imaginem, secundum animam hominem simplicem, insensibilem, immortalem. Accedunt gratuita naturalibus, accrescit imagini similitudo. Deo sapienti, justo et benigno similis fit anima sapiens, justa et benigna. Hæc similitudo habet exordium in natura, incrementum in gratia, complementum in gloria, quando beati eritis, et ex hoc bene similes. Sed ex hoc secunda similitudinis species in qualitatibus, naturæ, et gratiæ, et gloriæ recipit majus et minus.

1080. In tertia similitudine, quæ plenissima est, anima Deo similatur, non jam imitatione, sed receptione. Hoc inchoat cognitio, consummat dilectio. Sed utrumque recipit et minus, et incipit in via, completur in patria; utrobique magis et minus. De cognitione, II. Cor. III: Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur; I. Joan. III: Cum apparuerit, similes ei erimus; sed tunc erimus cum in speculum animæ, quasi propriam speciem projiciet, et in intel-

lectum secundum essentiam cadet. De amore Hugo: Scio, anima mea, quia quidquid diligis, vi amoris (*in*) ejus similitudinem transformaris. — Fit autem hujusmodi assimilatio quandoque ex sola oppositione, ut patet in speculo et specie; quandoque ex impressione, ut patet in cera et sigillo. Prima assimilatio potest fieri inter distantia, secunda solum inter conjuncta; primam gignit intellectus cognoscentis, secundam affectus amantis. Augustinus: Anima eo imago Dei est, quo ejus capax et particeps esse potest: capax cognoscendo, particeps amando. — Gradus ergo decimus in quo amor facit assimilari totaliter, ultra Seraphim est, qui tam similantur excellenter, utpote quibus in summo convenit angeli definitio, quam ponit Dionysius: Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum, clarissimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum: totam, si conveniens est dicere, suscipiens in se pulchritudinem omniformis deiformitatis, munde resplendere faciens in se bonitatem silentii. Fecit ergo summus artifex in ostensionem pleniorem artis suæ speculum unum clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantæ puritatis, ut purius intelligi non possit, nisi Deus esset: personam scilicet gloriosissimæ Virginis. Sed rursum ex isto mirabiliter produxit aliud nobilius, quod ineffabiliter in unitatem divinæ personæ assumptum, ut conjuncta summe, immediatissime faciei divinæ ipsam plenissima et totali similitudine repræsentat. Nec jam dicatur homo divinus, ut a Deo sigillatus: sed Homo-Deus, una persona, gemina natura. Et hoc quod est assimilari totaliter, dicitur de Christo.

Adde Append., nn. 429-430.

ARTICULUS VI.

De eadem unione in matrimonium spirituale.

1081. De matrimonio spirituali disputat D. Thomas in IV, dist. 49, q. 4, art. 1, in quo dicit aliqua de matrimonio spirituali, in quo dantur dona sicut in matrimonio corporali, quia matrimonium spirituale est delectabilius quam corporale: ergo ei dotes sunt maxime assignandæ. Dos datur quando puella introducitur in domum sponsi, secundum antiquam traditionem, ut præsentialiter sponsum habeat; et ideo dona quæ sanctis in

hac vita conferuntur, non dicuntur dona: sed illa quæ conferuntur eis quando transferuntur in gloriam, in qua sponso præsentialiter perfruuntur. Et dos est perfectus ornatus animæ et corporis, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans. Deus autem qui cuique animæ sui copiam facit, secundum quod digna est, et secundum quod eam aut minus dispositam, aut magis præparatam reperit, absque dubio eam ducit in matrimonium, quam acquisita puritas ac vitæ sanctitas talibus nuptiis dignam efficit. Inquiramus ergo quæ sint necessaria ut anima sit sponsa Dei. Quæ igitur in anima desiderari possunt (si secundum ruditatem nostram loquamur), eadem quæ in aliqua virgine exigerentur, ut a potentissimo rege terreno in uxorem duceretur.

1082. Hæc vero quæ sunt? Primo, ut illa virgo sit nobilis, et illustris, et regis alicujus filia, aut ex stirpe regia progenita. Deinde, ut sit pulchra, quæ ingenita venustate oculos regis capiat, et illum ad sui amorem alliciat. Rursus, ut procedat splendide ornata, cujus indumenta et gemmæ mundum muliebrem ancillarum longe superent, et tum pretio, tum decore post se relinquant. Præterea, ut una illam cura sollicitet: regem amare, regi obsequi, regem blanditiis delinire. Ad hæc, ut sit fidelis ei, et nulli homini in corde suo ingressum tribuat, nullumque alium nisi sponsi sui amorem admittat. Insuper, ut sit fœcunda, quæ filios hæredes regni concipere et parere possit, et nutrire, atque ingenue educare sciat. Demum, ut sit prudens et fortis; cui libenter omnes deferant, quæ noverit domum regiam gubernare, imo et rege se absentante, et in regionem longinquam abeunte, universam rempublicam regere. O felix virgo, meritis imperatrix et regina! O supremi regis consortio dignissima!

1083. Primo, ut illa virgo sit nobilis, et illustris, et regis alicujus filia, aut ex stirpe regia progenita. Dicit D. Thomas, I. Contra Gentes, cap. 28, quod omnis nobilitas uniuscumque rei est sibi secundum suum esse: nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset. Sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate: nam res secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis majorem vel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior, vel minus nobilis. Virgo quæ est ducenda in matrimonium summi Regis ex sua natura partici-

pata a suo sponso habet nobilitatem, quia una materia ex sua natura dicitur alia nobilior, sicut materia cœli materia horum inferiorum: sed magis est loquendum in isto loco de nobilitate spirituali, quæ dicit benignitatem in affectione, charitatem in operatione, et auctoritatem in dominatione. — Et regis alicujus filia, aut ex stirpe regia progenita. D. Thomas explicans illud Psal. XLIV: Filiæ regum in honore tuo: Filiæ regum, animæ fideles: hæ sunt filiæ regum in honore Christi sui sponsi; et sunt quæ dedicaverunt se Christo, et mortuæ sunt pro Christo qui est Rex regum.

1084. Deinde ut sit pulchra, quæ ingenita venustate oculos regis capiat. D. Thomas explicans illud Psal. XLIV: Et concupiscet rex decorem tuum: Loquitur de decore spirituali, quem acquirit anima relinquendo domum patris sui. Et hic decor est pulchritudo justitiæ. Jerem. XXXI: Benedicat te Dominus, pulchritudo justitiæ. — Et decor sponsæ est in interiori conscientia, non in exteriori fama. II. Cor. I: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et in interiori justitia. D. Thomas exponens illud Isaiæ LIII: Non est species ei neque decor, dicit: Species proprie respicit pulchritudinem quantum ad commensurationem membrorum, sed decor, quantum ad convenientiam coloris et aliorum circumadjacentium. Et sic dicit: " Concupiscet rex decorem tuum. „ Promittit ipsi sponsæ gratiositatem regis. Hic decor concupiscitur a sponso spirituali: " Concupiscet „ idest delectabitur in eo. Isaiæ LXII: Quia complacuit Dominus in te. Et hoc est desiderandum, quia iste rex est magnus in potestate, in natura, in honore. Primum habet quia rex, ideo est Dominus; Psal. XCIX: Scitote quoniam ipse est Dominus. Secundum, quia ipse est Deus; Ps. XCV: Quoniam Deus magnus Dominus. Tertium, quia adorabunt eum, scilicet remoti et omnes populi totius mundi; Ps. LXXXV: Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine.

1085. Ut procedat splendide ornata. D. Thomas exponens illud Psal. XLIV: In vestitu deaurato, circumdata varietate, dicit: Hieronymus non habet: " circumdata varietate, „ nec Hebræi sed Hieronymus habet " in diademate deaurato; „ in Hebræo " in massa auri; „ et secundum nostram litteram est duplex vestimentum. Unum est doctrina duorum Testamentorum; Prov. ult.: Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Et

iste vestitus non est aurum solum, sed deauratus, quia est refulgens divina sapientia, qua hæc doctrina est plena. Tamen est " circumdata varietate „ quantum ad profundiorem modum Sapientiæ. Alius vestitus est operatio virtuosa; Psal. CXXXI: Sacerdotes ejus induam salutari. Per aurum significatur charitas; Gen. II: Aurum terræ illius optimum. Est enim charitas fulgida et rubea; et ideo dicitur deauratus, quia informatus charitate. I. Cor. ult.: Omnia opera nostra in charitate fiant. Vel " circumamicta varietate, „ idest diversis virtutum operibus. Ex quo intelligitur illud quod dicit D. Thomas in IV, dist. 14, q. 1, art. 1, q. 4, ad 2, quod virtutes infusæ tripliciter se habent ad Deum. Primo quidem ut ad objectum et finem, sicut virtutes theologicæ; secundo, ut ad finem tantum, sed finem proximum, ut latria et pœnitentia, proximæ virtutibus theologicis; tertio, ut ad finem remotum, ut temperantia.

1086. Præterea ut una illam cura sollicitet: regem amare, regi obsequi, regem blanditiis delinire. Amandus est Christus super omnia, propter tria, scilicet quia pulcherrimus, affabilis et mansuetus. Quia pulcherrimus; Esther II: Incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa videbatur, et ideo amabilis. Eccli. XL: Gratiam et speciem desiderat oculus. Quia affabilis in convictu vel verbo. Prov. XXII: Propter gratiam labiorum habebit amicum regem. Quia mansuetus in gustu, vel actu. Eccli. III: In mansuetudine tua opera perfice, et super hominum gloriam diligeris. —Ei obsequi, quia, ut dicit D. Thomas in IV, dist. 33, q. 1, art. 4, quæst. 1, ad 4, ancilla est Domini quoad obsequium. — Blanditiis delinire. Quia, ut dicit D. Thomas, Opusc. II, Alexander vicit Amazonas Scitas astutiis et blanditiis potius quam fortitudine, quia regnum earum tunc erat potentissimum. Sic virgo quæ debet duci in matrimonium spirituale, sola una cura debet illam sollicitare: regem suum, nimirum Christum, amare, ipsi obsequi, et blanditiis delinire.

1087. Ut sit fidelis ei, et nulli homini in corde suo ingressum præbeat. D. Thomas, Opusc. LXIII, cap. 2: Tunc anima est fidelis suo sponso Deo et Christo, quando ipsum amat ex toto corde, idest intellectu sine errore; ex tota anima, idest memoria sine oblivione; ex tota mente, idest voluntate sine contradictione. Tunc enim anima nunquam errabit in amore Dei, ut Deo aliquam creaturam æquet vel præponat. Quid est enim Deum

diligere ex toto corde, dicit Chrysostomus, nisi ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis inclinatum sit quam Dei, nec delecteris in specie amplius quam in Deo, et non in aliis, sed præ his omnibus Deum ames? Si autem in aliquo alio occupatus fuerit amor cordis tui, jam non ex toto corde Deum amas. Pro quanta enim parte fuerit cor tuum ad aliquam rem, pro tanta parte minus est ad Deum. Quid est Deum diligere tota anima? Certissimum habere animum in veritate, et firmum esse in fide. Quid est Deum diligere tota mente? Ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, sapientia, cognitio, memoria. Qui ergo aliquid horum occupat circa temporalia, jam non ex tota mente diligit Deum.

1088. Ut sit fœcunda, ut filios hæredes regni concipere et parere possit. Anima sancta et fidelis multos filios generat; nam sicut de se dicebat Paulus, I. Cor. IV: In Christo Jesu ego vos genui per prædicationem; ita anima sancta et fidelis multos filios generat. Et, sicut dicit D. Thomas in expositione illorum verborum Psal. XLIV: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, Apostoli sunt filii Ecclesiæ primitivæ, nati per doctrinam Christi sponsi ejus; ita per animam fidelem generantur multi filii in Ecclesia: quin etiam omnes actus procedentes in ipsa a charitate vocantur filii ejus. Anima quæ ducitur in matrimonium spirituale a Christo, multos filios generat formatos gratia et charitate.

1089. Sit prudens et fortis. — Sit prudens. Et partes integrales prudentiæ, secundum D. Thomam, 2 2, q. 48, sunt octo: nam illæ dicuntur partes integrales alicujus virtutis, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius; et istæ sunt memoria, ratio, intellectus, docilitas, eustochia, idest solertia, providentia, circumspectio et cautio. His omnibus debet esse adornata, eo ipso quod debet esse prudens. — Et D. Thomas, 2 2, q. 47, art. 13, assignat tres species prudentiæ; et dicit: Tertia autem prudentia est vera et perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte conciliatur, judicat et præcipit. Et hæc sola dicitur prudentia simpliciter. Et de ista dicit Solutione ad 2, quod non potest esse sine virtutibus moralibus. Ista prudentia adornatur anima prudens.

1090. Et fortis. D. Thomas exponens illud Psal. XVII: Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et re-

fugium meum, et liberator meus, dicit sic: Fortitudo habet firmare animum ne quis recedat a bono propter difficultates imminentes. – Quomodo autem sit ejus fortitudo, ostendit. Homo indiget fortitudine ad duo. Primo in bonis ut stabiliatur in eis, et ideo dicit: " Dominus firmamentum, „ idest firmum fundamentum; II. Reg. XXII: Dominus petra mea; Matth. VII: Omnis qui audit verba mea, et facit ea, similis est viro ædificanti dómum suam supra petram. Item in malis, et hoc ad duo. Uno modo antequam adveniat ut fugiat. Unde dicit: " Refugium meum; „ Prov. XIV: Turris fortissima nomen Domini; Psal. CIII: Petra refugium herinaciis. Alio modo, postquam evenerit ut liberet. Unde dicit: " Et liberator meus. „ O felix virgo, meritis imperatrix et regina, et supremi Regis consortio digna! O felix virgo conjuncta cum Deo in majori unione! Nam sicut in matrimonio corporali duo contrahentes fiunt una caro: sic in hac unione spirituali Deus et anima fiunt quodammodo unum, quia, ut ait Apostolus, qui adhæret Deo speciali hoc modo unionis, unus spiritus cum eo efficitur.

1091. Sancta mater Theresia ex his quæ passa est constituit diversas differentias inter sponsalitium et matrimonium spirituale. Prima, quod in unione, præsertim extatica, deperduntur aut ligantur potentiæ; unde anima remanet cœca, muta et pene sensu privata: propterea nescit discernere qualis sit hæc gratia qua fruitur. Sed in hoc sublimi gradu unionis Deus ejus aperit oculos, ut aliqualiter intelligat gratiam tunc ipsi communicatam. — Secunda, quia omnes gratiæ et favores, quos sua divina majestas animæ communicat mediis sensibus recipiuntur: sed hæc unio matrimonii spiritualis fit in intimo animæ centro, in quo apparet Dominus in visione intellectuali. — Tertia, quod in hac unione matrimonii spiritualis, præter gaudium excessivum ibi perceptum, remanet anima velut in Deum transformata; sed in unione sponsalitii spiritualis hoc non accidit, non enim continuam Dei præsentiam in ea sentit anima: Deus namque in hoc statu abscondit se sæpius ab anima. Et in hoc supremo gradu unionis non reperiuntur ariditates, nec turbationes internæ, quæ in aliis gradibus solent reperiri: sed hic manet anima in pacifica quiete semper tranquilla.

1092. Tandem in hoc gradu tolluntur ab anima, saltem ordinarie, raptus, qui prius frequenter accidebant quantum ad

effectus exteriores, qui sunt suspensio sensuum, et carentia caloris naturalis; nec sentit evolare spiritum sicut antea, quantumcumque motiva devotionis occurrant: sed potius intra se ipsam in intimum centrum se colligit ad sponsum, ut eo cum silentio fruatur. In hac unione matrimonii spiritualis est clarissima et verissima Dei cognitio, multo certe nobilior quam per alias doctrinas universales; et ingenium fit maxime perspicax, et sensus et corpus mirifice perficiuntur, celebratur castissima spiritus creati cum increato conjunctio, et appellatur unio. Quia vero unio solum videtur significare contactum, mysticumque duorum spirituum amplexum, sequitur inhæsio mutua, qua spiritus alter alterum sibi apprimit et adstringit, seque illi velut agglutinat: quæ amoris affectio a D. Thoma mutua inhæsio nuncupatur, et haustus quidam et quasi potus alterius spiritus.

1093. In sublimi statu spiritualis matrimonii sponsus Christus Dominus mira cœlestium arcanorum et suorum secretorum mysteria sponsæ animæ denunciat: mutuus namque sic tenere se diligentium amor secretum non patitur: cum enim sponsus totum se sponsæ dedicet, cordis sui erga ipsum accensi sinus omnes aperit, et ima pandit penetralia: non solum in patria quando penitus indissolubile matrimonii vinculum in perpetuam manebit æternitatem; sed etiam hic, quando jam sponsa perfecte virtutum ornamentis decorata, sui sponsi societate ac familiaritate frui meruerit. Multa leguntur de hoc puncto in vitis sanctorum; ibi possunt videri. — In isto matrimonio spirituali datur arrha. Et D. Thomas super illa verba Pauli ad Ephes. 1, lect. 5, dicit quod Spiritus sanctus dicitur pignus; sed magis proprie arrha, secundum Glossam, quia pignus est aliud a re pro qua datur, et redditur postquam ille qui pignus recipit, rem sibi debitam recipit; arrha autem non est aliud a re pro qua datur, nec redditur: quia datur de ipso pretio, quod non est auferendum, sed complendum. Deus autem dedit nobis charitatem tamquam pignus, per Spiritum sanctum, qui est spiritus veritatis et dilectionis. Et ideo hujusmodi non est aliud quam quædam particularis et imperfecta participatio divinæ charitatis et dilectionis: quæ quidem non est auferenda, sed perficienda: ideo magis proprie dicitur arrha quam pignus. Tamen potest nihilominus et pignus dici. Nam per Spiritum

sanctum Deus nobis diversa dona largitur, quorum quædam manent in Patria, ut charitas, quæ nunquam excidit, I. Cor. XI; quædam vero propter sui imperfectionem non manent, sicut fides et spes, quæ evacuabuntur, ut ibidem dicitur. Sic ergo Spiritus sanctus dicitur arrha per respectum ad ea quæ manent: pignus vero per respectum ad ea quæ evacuabuntur. Arrha quæ datur in matrimonio spirituali est Spiritus sanctus.

ARTICULUS VII.

Utrum in statu perfectissimo matrimonii spiritualis unio per intellectum et per affectum continua et minime interrupta regulariter contemplativis concedatur.

1094. Nullo modo datur vel data est talis unio in via. Est D. Thomæ, 1 2, qu. 3, art. 2, ad 4, ubi hæc habet verba: Quod in angelis, sicut et in beatis, est beatitudo quæ est ultima perfectio, secundum aliquam operationem, qua conjungitur bono increato; et hæc operatio est in eis unica et sempiterna. In hominibus autem secundum statum vitæ præsentis est ultima perfectio, secundum operationem qua homo conjungitur Deo: sed hæc operatio non potest esse continua, et per consequens nec unica est, quia operatio intercissione multiplicatur, et propter hoc in statu præsentis vitæ beatitudo ab homine haberi non potest. Unde Philosophus, I. Ethic., ponens beatitudinem hominis in hac vita, dicit eam imperfectam, et post multa concludens: Beatos autem dicimus, ut homines. Sed promittitur nobis a Deo beatitudo perfecta, quando erimus sicut angeli in cœlo, Matth. XXII. Quantum ergo ad illam beatitudinem perfectam cessat objectio; quia una, et continua, et sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo conjungitur; sed in præsenti vita quantum deficimus ab unitate et continuitate talis operationis, tantum deficimus a beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis, et quanto operatio potest esse magis continua et una, tanto plus habet de ratione beatitudinis: et ideo in activa vita quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quam in vita contemplativa quæ versatur circa unum, idest circa veri-

tatis contemplationem; et si aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari: et quia etiam ipsam cessationem, puta somni (causa) vel occupationis alterius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse. Hæc ille.

1095. Ex qua doctrina D. Thomæ colligitur quod in tantum viatores deficiunt ab unitate et continuitate operationis contemplativæ, in quantum deficiunt a perfectione beatitudinis; sed quamvis summa sit contemplatio in hac vita, deficiunt a perfectione beatitudinis: ergo et ab unitate et continuatione ejusdem; quia ubi operatio intercissione multiplicatur, non potest esse una et continua, at contemplatio sæpissime interciditur, ut docet D. Thomas, ex operationibus vitæ activæ et operationibus naturalibus somni: ergo non potest esse continua; tum etiam quia in statu viæ non sunt vires inferiores ita subditæ rationi, ut actus rationis nullo modo propter eas impediatur: ergo quocumque impedimento apposito, quo rationis usus impediatur, contemplationis actus non poterit dici continuus.

1096. D. Thomas, Q. 24 De verit., a. 9, in corp., sic dicit: Quamvis autem alicui viatori concedi possit ut ratio nullatenus erret circa finem boni, et circa utilia in particulari, per dona sapientiæ et consilii, tamen non posse intercipi judicium rationis excedit statum viæ propter duo. Primo et principaliter quia rationem esse semper in actu rectæ contemplationis in statu viæ, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundo, quia in statu viæ non contingit vires inferiores ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenus propter eas impediatur, nisi in Domino Jesu Christo, qui simul viator et comprehensor fuit; sed tamen per gratiam viæ ita potest homo bono adstringi, quod nonnisi valde difficile peccare possit, per hoc quod ex virtutibus infusis inferiores vires refrænantur, et voluntas in Deum fortius inclinatur, et ratio perficitur in contemplatione veritatis divinæ, cujus continuatio ex fervore amoris proveniens, homines retrahit a peccato: sed totum quod deficit ad confirmationem completur per custodiam divinæ providentiæ in illis qui confirmari dicuntur: ut scilicet quandocumque occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum. Hæc ille.

1097. Ex qua doctrina colligitur, et ex his quæ docet Sanctus, art. 8 ejusdem quæstionis, quod quando vires sensitivæ sunt intensæ, intercipitur actus rationis, ut non limpide et firmiter feratur in bonum quod a voluntate proponitur: similiter et si feratur voluntas in bonum in communi, potest in hoc vel illo bono intelligibili aberrare; quodcumque autem horum interveniat, id satis est ad intercipiendum actum rationis. Et ex eodem Sancto, propterea in beatis non intercipitur beatitudo, quia, dicit Sanctus, Videntes divinam essentiam cognoscunt omnia quæ eidem unire possunt, vel ab eo disjungere: etiam in particulari cognoscunt Deum non solum prout est in se, sed etiam ut est ratio aliorum; unde nedum in universali, sed in particulari immutabiliter appetunt bonum increatum beatorum mentes; et ex hac cognitione in tantum mens eorum roborabitur, quod in inferioribus viribus nullus motus insurgere poterit, nisi secundum regulas rationis; et (*sic*) totaliter sunt cum Deo ligati, ut ab ipso ad aliud objectum divertere non possint.

1098. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 8 ad 2, dicit quod nulla actio potest diu durare in suo summo: summum autem contemplationis est, ut attingat ad uniformitatem divinæ contemplationis. Ubi Cajetanus dicit quod tria ex verbis D. Thomæ edocemur de tali contemplatione in hac vita: quod possibilis, quod divina, quod transitoria. Quia proprium beatorum est ut per unicam et sempiternam operationem conjungantur bono increato: ergo id non est extendendum ad viatores, quantumcumque perfectissimos, ut minime interrupta unione, per unicam et continuam contemplationem Deo inhæreant. Quia, ut docet D. Thomas, p. p., q. 10, art. 3, in tantum beati participant rationem æternitatis, quæ immutabilitatem consequitur, et successione caret, in quantum in eorum intellectionibus successio excluditur, et transmutabilitas in eorum operatione removetur: unica ergo atque perenni operatione Deo jungitur. Quia, ut docet D. Augustinus, XV. De Trinitate, non sunt volubiles in eis cogitationes. Et D. Thomas: Videntes Deum dicuntur habere vitam æternam; hæc est vita æterna, ut cognoscant te, Joan. XVII. Volubilitas cogitationum arguit transmutabilitatem, successionem, et per consequens intercissionem.

1099. Eamdem doctrinam tenent sancti Patres. S. Gregorius, XXXI. Moral., cap. 12 in eum locum: " Numquid suscitabis

eum quasi locustam, „ (*ait*): Ut in hac vita positi diu in contemplatione manere non possint, etc. et ad semetipsos naturæ corruptibilis pondere revertantur. Et lib. V, cap. 23, exponens illud: " Et cum spiritus me præsente transiret, „ habet: Non ergo stat, sed transit spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio et inhiantibus aperit, et mox infirmantibus accendit. Et in eodem capite: Cum mens in contemplatione suspenditur cum carnis angustia per speculationis vim de libertate aliquid intimæ securitatis rimatur, stare diu super semetipsam non potest, quia etsi hanc spiritus ad summa vehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suæ pondere deorsum premit. D. Bernardus, serm. 75, in Cantica: Erant, ait, tunc temporis compressi carnales affectus; et ex eorum compressione admirabar, subdit, potentiam virtutis ejus, etc. Et mox: Post illius dilecti discessum, ebullienti ollæ, si ignem subtrahas, similis maneo; et post ejus discessum necesse erat animam meam tristari, donec iterum reverteretur. Idem sanctus in Scala Claustrali: In hac vita docet fieri silentium in anima justi, hora, ait, dimidia, vel quasi dimidia.

1100. Eamdem doctrinam tenent mystici auctores. Taulerius, sermone 2, De Circumcisione Domini, cum latissime de hac unione disseruisset, quam spiritualem nativitatem appellat, sic habet: Ea vero contemplatio passioque, cum spiritui humano, in hac præsertim vita mortali, ita sit intolerabilis, ut eam continue nequeat tolerare, inde est quod Deus nonnunquam cognitioni visionis internæ se subtrahit et abscondit, et hoc est quod dicit: Modicum jam et non videbitis me. B. Henricus Suson in append. cap. 20: Istam doctrinam exemplificat de oculo, qui dum cernit obliviscitur sui, et in ipso actu videndi unum fit cum objecto, et tamen in seipso permanet id quod est: ita, dicit, accidit animæ contemplanti; unitur cum objecto, ut nequeat discernere inter suum et divinum spiritum. Non ergo mirum est si anima ebria in contemplatione, nesciat discernere si sit jugiter continua, cum inter suum et divinum spiritum discernere nequeat. Harpius, lib. II Theologiæ mysticæ, p. 2, cap. 54, loquens de ea unione, ait quod per fruitivum amorem possidet unionem cum Deo, et per amorem practicum sentit separationem: et hæc est vita beata, quam nunc prælibare poterimus.

1101. Et est unica ratio efficax, quia quantumvis justi et contemplativi perfecti sint, eis dicere competit: Dimitte nobis debita nostra. Ex concil. Milevit. VI, c. VII et VIII. Et de multis exemplificat sanctis, ex eorum dictis, Joanne, Jacobo, Daniele; et contrarium Pelagianorum hæresis est, quæ ibidem anathematizatur, adductis aliis locis S. Scripturæ. Et in Prov. XXIV dicitur: Septies cadit justus: saltem ex subreptione et negligentia, etsi non tam perfecta deliberatione, quia, ut recte docent aliqui magistri scholastici, licet non cadat ab habituali charitate, excidit ab actuali dilectione, et ex remissione fervoris charitatis, vigilantiæ rationis; per distractionem rationis multæ sunt rimulæ introeundi peccata in animam, ut quamvis justus Deo sit charus, si hujusmodi culpas non expiet, in spiritu judicii et ardoris pœnas purgatorias subire necesse est. Hinc Harpius, lib. III, p. 3, cap. 21, loquens de hujusmodi unitis habitualiter, ait quod licet intuitus ille pacificus, quamdiu ablatus non fuerit, non obfuscatus maneat, tamen (subdit) propter passiones et sensualitatis deordinationes oculus ejus obnubilationem aliquando patitur: plus vel minus, sæpius vel rarius, secundum mensuram mortificationis et sensualitatis. Ubi, etsi lumen unionis permaneat habitualiter in anima vel intellectu unitorum, aliqualem obnubilationem pati potest ex distractione, subreptione et hujusmodi.

1102. Dum anima per contemplationem est in introversione, hoc est in seipsa collecta et a creaturis evocata, spiritum figit in Deum, pro illa mora potest unica et continua dici unio: cum vero extrovertitur vel naturæ pondere, vel ob somnum, vel alias occupationes, etc., interciditur illa unio, et non potest absolute vocari continua, sed solum quamdiu practice ad creaturas non egreditur. Primum dictum est Ricardi in lib. Benjamin minor., cap. 85, ubi non de quacumque contemplatione loquens, sed de ea quæ habet raptum, docet Benjamin morari tota die in thalamo jugiter requiescens, ut nec ad horam exire valeat, ut in extasim (subdit) raptus, sponsi magnitudine attonitus, in ejus admiratione suspenditur: unde illud completur Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Et si ad alios gradus contemplationis extendatur dictum Ricardi, ad diuturnitatem refertur, quamdiu durat divina visitatio, animam elevans, vel ad se trahens: et sic similia dicta ejus sunt intelligenda;

et etiam multa quæ reperiuntur in B. Alberto Magno. Secundum dictum est Linconiensis super Dionys. De cœlesti hier., quem adducit etiam Brachar. II, p. Comp., cap. 24. Dicit de hujusmodi animabus: Fervere dicuntur ea quæ impresso calore sursum super se feruntur, et proprio pondere in se redeunt: et hujusmodi super se elationes, et in se mutui relapsus, fervores dicuntur. Cum ergo sancti viri æstuantes in Deum se attollunt, et postea proprio pondere pressi, in se ipsos dilabuntur, et ab actuali illa super se elevatione recidunt, fervere etiam dicuntur, quasi illo temporis momento caloris divini vi extra se jactentur, et super se extollantur. Discernimus autem multum inter tempus et tempus: cum enim ignis calefacit, alius est effectus quem operatur, ab illo qui recedente igne in natura suæ formæ relinquitur in eo quod calefit: et propterea alia temporis ratio est abscessus ignis, et alius permanentiæ; et non est eadem continuitas motus, et in sui summo: et aliter anima se habet cum controversa est, quam quando extrovertitur.

1103. Juxta formam loquendi D. Thomæ, 1 2, q. 3, art. 2 ad 4, quia anima etiam ipsam cessationem somni, vel occupationis alicujus naturalis, ordinat ad contemplationes, etiamsi actu non contempletur, quia habet in promptu unde potest operari, ex hoc videtur ei esse operatio continua, sed revera nullo modo est continua, sed intercissa. Quia multa continuari videntur et non sunt vere continua, sed quasi continuata; sic continuatæ existimantur partes unius arboris, quarum una sicca est, altera viridis; cum pila in parietem percussa in manum projicientis revertitur, unus motus existimatur, et tamen fuit quies in puncto reflexionis. Sic non mirum, si animæ unitæ Deo per contemplationem licet habeant frequentes et repetitos actus in variis gradibus contemplationis, et unum saltem principalem, quasi continua videtur eorum unio: nam multi illi actus quia in unum tandem postremo tendunt centrum, unicus videntur. Et in summo gradu contemplationis, quando unico jam actu Deum contemplatur, unus ab eis reputatur et perpetuus, quod ita non est, nam continuari nullo modo dicitur, quod revera unicum non est et continuum: non est vero anima contemplativa in uno semper et perenni motu contemplationis actus, ut probatur egregio loco S. Gregorii in Moralibus, lib. V,

cap. 23. Cum mens, ait, in contemplatione suspenditur, cum carnis angustias per speculationis vim de libertate aliquid intimæ securitatis rimatur, stare diu super semetipsam non potest, quia et si hanc spiritus ad summa vehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suæ pondere deorsum premit.

1104. In perfectissimis viris ex extraordinariis auxiliis potest anima in contemplatione in una simplici intuitione et amoris suspensione, per aliquod tempus, ad plures diei vel noctis horas durare. Dictum est certum, quia ita legitur in Vitis Sanctorum. — Multæ sunt auctoritates doctorum mysticorum, quæ videntur affirmare dari contemplationem continuam et perpetuam. Sed cum eadem sit mysticorum et doctorum scholasticorum doctrina (nisi quod mystica patitur divina, scholastica intelligit tantum), non omnes doctores mystici sunt taxandi, sed tantum hi ad limam revocandi, qui obscurius vel improprie loquuntur: propterea jungenda etiam est librorum mysticorum lectio cum scholastica, ne si passim lectores, maxime ineruditi, sub specie devotionis sine duce et præceptore, ut sæpe contingit, eos libros legant, in duriusculis verbis materiam hauriant erroris. Accidit istis spiritibus indisciplinatis quod his qui sine Scholasticorum præsidio Patrum lectionem aggrediuntur: in quibus, ut dicit D. Thomas, Opusc. v Contra errores Græcorum, cap. 1, multa inveniuntur quæ cum tanta cautela non dicantur quanta a modernis servatur, non sunt contemnenda vel abjicienda: sed nec ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Idem dicendum est de lectione Mysticorum, et ubi deprehendimus non posse pati expositionem et dogmatibus scholasticis contraire, etiam expurganda.

ARTICULUS VIII.

An saltem hæc unio de facto sit concessa aliquibus privilegiatis.

1105. Summus gradus contemplationis, qui est videre Deum per essentiam, non competit homini in hac vita. Ita D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 5, probat in argumento Sed contra auctoritate D. Gregorii super Ezech.: Quamdiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso

incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. In Corpore idem probat dicendo quod, sicut Augustinus dicit super Gen. ad litteram, nemo videns Deum, vivit ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive alienatus a carnalibus sensibus, in illam non subvehitur visionem. Dicit tamen D. Thomas in eodem articulo quod per raptum qualem habuit D. Paulus, potest communicari supremus gradus contemplationis, qui est videre divinam essentiam. Et forte id habuit Adam quando immisit Deus soporem vel extasim in Adam, ut docet D. Thomas, p. p., q. 94, art. 1; et a fortiori ex excellentia beatissimæ Virginis Mariæ tribuendus est eidem iste gradus contemplationis. In istis privilegiatis non fuit hæc suprema contemplatio in sui summo diuturna; non enim Adam, neque Paulus, neque beatissima Virgo fuerunt in perpetua extasi: sed hæc contemplatio fuit præcisa et interrupta.

1106. Isti privilegiati circa alios gradus contemplationis altiori cognitione cognoscebant Deum quam nos cognoscimus. Ita D. Thomas, parte prima, quæst. 94, art. 1 et 2: Sciendum est altissimæ visionis ac perfectissimæ contemplationis Dei tres esse gradus, alterum obscurum, alterum omnino clarum, tertium medium. Primus potest comparari crepusculo, quando lux dubia est, nec satis dignoscitur an nox abeat, et dies accedat. Secundus comparatur auroræ, quando lux manifesta est ac initium diei, sed lux modica et majoris perfectionis indiga. Tertius comparatur meridiei, quando lux est clarissima, et omnino perfecta. — Ps. LXXIII: Tuus est dies et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem. Tuus, inquam, est dies gratiæ, qua animas illuminas. Quæ in statu peccati erant aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Tua est nox, seu noctis finis, in quo te tamquam in umbra revelas. Tu fabricatus es auroram, in qua clarius tuam immensam perfectionem illustras, et solem quo te perfectissime manifestas. Gradus visionis intellectualis, seu contemplationis, obscurus est, quo Deus videtur in caligine. Gradus omnino clarus, quo Deus non per aliquam speciem creatam, sed per se ipsum unitum intellectui videtur clare et intuitive prout est in se. Gradus medius est in quo nunc sumus, cum Deus revelat se non in ca-

ligine, neque in sua claritate, sed alio modo ineffabili: quem aliqua saltem ratione intendimus explicare.

1107. Cant. II: En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit. Dilectus ad animam loquitur, quia ea post multam abnegationem, post indefessum virtutum studium, post multa desideria et suspiria ad osculum oris vocatur. Nominat autem animam amicam propter gratiæ sanctitatem, columbam propter rectissimæ intentionis simplicitatem, formosam propter sanctorum affectuum ornatum. Jubet ut surgat, idest ut supra omnia creata ac similitudines creaturarum, et supra se ipsam ascendat, et universa visibilia et invisibilia derelinquat. Jam est tempus surgendi, quoniam ad modum hyemis et imbrium apparitiones omnes et extases, et raptus, et caligines abscesserunt, et venit veris cujusdam clara serenitas et secura tranquillitas, in qua æterna majestas modo ineffabili videatur. Atque imprimis dantur animæ oculi quibus Deum videat, idest lumen supernaturale et divinum, quod ad tantam ac tam mirabilem visionem sufficiat. Hoc non est lumen fidei, nec lumen sapientiæ tantum, quod ad sic videndum parum est. Non est etiam lumen gloriæ, quod patriæ cœlesti servatum est. Sed existimo quod est illud lumen quod (*ut ait*) D. Thomas, 2 2, q. 175, a. 2, Prophetis datum est, vel aliud simile quod fidem et sapientiam roboret atque perficiat. Datur etiam illi species quædam Deum perfectissime repræsentans, quæ non per sensus ingreditur, neque sensibus accipitur, neque ab aliis formis præhabitis componitur, sed recenter intellectui infunditur. His autem duobus ornatus intellectus, et altissimo auxilio communitus, videt Deum, non negando vel removendo ab eo aliquid, ut si dicamus: Deus non est limitatus, neque finitus; non affirmando vel attribuendo ei aliquid, ut cum dicimus: Deus est bonus et sapiens; sed sincerissime, et tranquillissime, et serenissime divinam magnitudinem intuendo.

1108. Dictus summus gradus contemplationis non excludebat actiones animæ vegetabilis, ut alimento uti, et per actionem caloris aliquid de humido corporis deperdi. Id fatetur sanctus Thomas, p. p., q. 97, art. 4, dum eos admittit in Adam, et ob id cibo indigebat, art. 4, comedendo de ligno vitæ, ut omnem defectum deperditionis repararet; ex consequenti consecutus

esset somnus, qui fit propter evaporationem et fumositatem resolutas; et hominibus sobriis ex D. Thoma, p. p., q. 84, a. 8 ad 2, apparent phantasmata ordinata, non perturbata, etc. — Dixi: animæ vegetabilis; nam quantum ad inferiores vires sensitivas, eædem in statu innocentiæ Adam et puritatis B. Virginis sic erant ordinatæ, ut contra rationem non possent insurgere. Et secundum hunc sensum dixit S. Thomas actus rationis nullo modo per vires inferiores impeditos fuisse in Christo Domino, qui fuit viator et comprehensor. Certe non fuit impedita superior portio Christi Domini, quin jugiter divina contemplaretur etiam si vere Christus dormierit, et secundum inferiorem portionem ligaretur phantasia: ergo omnis alius a Christo, quia non comprehensor simul et viator, non impedire potest vires inferiores dictas carendo somno; ex somno autem ob ligationem phantasiæ usus rationis intercipitur.

1109. Idem etiam constat ex discursibus, compositione et divisione, quibus, sine admixtione erroris intellectus, Adam et B. Virgo dividebant, componebant, syllogizabant: in aliis actibus dispositivis ad simplicem et ultimatum actum contemplationis, simplicem, inquam, intuitum veritatis, se exercebant cogitando: et hi non sunt unus simplex et continuatus actus, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 3, in corp., et ad 1. Unde et in Evangelio scribitur: Maria autem conservabat hæc omnia conferens in corde suo, idest, ex Beda in Cathech., quæ scilicet facienda legerat cum his quæ facta cognovit; vel ex Græco ibidem, cuncta congerebat in mente, et ad invicem comparans unam in omnibus mater sapientiæ cernebat concordiam: comparatio autem et collatio, sicut et repræsentatio, hominum naturæ et discursui accommodatæ sunt, et plures, et non simplex, motus rationis ibi interveniunt. Ex quibus concluditur non fuisse in Adam nec in beata Virgine, exceptis raptibus et extasibus, in cæteris gradibus contemplationis unionem minime interruptam, cum somno, et discursibus, et collationibus intercidi potuerint.

1110. Summus gradus unionis affectivæ non potest esse jugis in hac vita. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 24, art. 8. Ex parte vero diligentis, tunc est charitas perfecta quando diligit tantum quantum potest. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo sic quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum.

Et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo ut homo studium suum depuret ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem.

ARTICULUS IX.

An animæ perfectorum contemplativorum vel unitorum sint exemptæ ab imaginibus vel etiam a passionibus perturbantibus intellectum in cognitione, vel voluntatem in amore

1111. Apathia est nomen græcum quod latine idem est quod impassibilitas, seu insensibilitas, quam apathiam seu impassibilitatem animæ perfectorum habebant, quia non sentiebant passiones humanas, quæ fuit hæresis Pelagianorum. D. Thomas, 1 2, q. 24, art. 2, quærit utrum omnis passio animæ sit mala moraliter, et respondet in Corpore dicendo quod circa hanc quæstionem diversa fuit sententia Stoicorum et Peripateticorum. Nam Stoici dixerunt omnes passiones esse malas: Peripatetici vero dixerunt passiones moderatas esse bonas. Quæ quidem differentia, licet magna videatur secundum vocem, tamen secundum rem vel nulla est, vel parva, si quis utrorumque intentiones consideret: Stoici enim non discernebant inter sensum et intellectum, et per consequens nec inter intellectivum, appetitivum et sensitivum: unde nec discernebant passiones animæ a motibus voluntatis secundum hoc quod passiones animæ sunt in appetitu sensitivo: simplices autem motus voluntatis sunt in intellectivo; sed omnem rationabilem motum appetitivæ partis vocabant voluntatem: passiones autem dicebant motum progredientem extra limites rationis. Peripatetici vero omnes motus appetitus sensitivi passiones vocant: unde eas bonas æstimant cum sunt a ratione moderatæ, malas autem cum sunt præter moderationem rationis.

1112. Animæ perfectorum contemplativorum non sunt exem-

ptæ a passionibus turbantibus intellectum in cognitione, et voluntatem in amore. Quia passiones animæ idem sunt quod affectus, sive affectiones, quæ pertinent ad partem appetitivam et de se et ex sua natura non sunt malæ, nisi quatenus a voluntate imperantur vel non prohibentur, cum sunt contra vel præter rationem, ut dicetur ex D. Thoma, 1 2, qu. 24, art. 1 et 2; ergo non sunt incompatibiles cum animabus justorum. Tum etiam quia sunt materia exercendæ virtutis, unde dolor et tristitia ad pœnitentiam ordinantur, dicente Apostolo, II. Cor. c. VII: Quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur. D. Thomas: Sciendum est quod tristitia et gaudium, et communiter omnis affectio ex amore causatur. Tristatur enim quis quia caret eo quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex amore causata. Est autem duplex amor. Unus quo diligitur Deus, et ex hoc causatur tristitia quæ est secundum Deum. Alius amor, quo amatur sæculum, et ex hoc causatur tristitia sæculi. Amor quo diligimus Deum facit nos libenter servire Deo, sollicite quærere honorem Dei, et vacare Deo dulciter. Et quia peccando impedimur a servitio Dei, et ideo ei non vacamus, nec ejus honorem quærimus, ideo amor Dei causat tristitiam de peccato: et hæc est tristitia secundum Deum: quæ quidem tristitia non fuit nobis ad malum, nec detrimentum, sed potius ad fructum et meritum. Tum etiam quia evidenter sequeretur justis non posse competere Orationem Dominicam recitare, ubi dicitur: Et dimitte nobis debita nostra; saltem autem justi peccant non reprimendo passionum motus secundo-primos.

1113. Justis, maxime contemplativis, removentur passiones ut perturbativæ sunt actuum rationis, ut in plurimum. Ita D. Thomas, II Sent., dist. 15, q. 2, a. 2, quæst. 1 ad 2: Perturbari dicitur aliquid quasi ex toto turbari; et hoc est quando turbatio inferioris partis ad rationem superiorem pervenit, ut ejus ordo turbetur: turbatur autem ordo rationis quando a prima regula deficit cui subjicietur; unde 3 p., qu. 15, art. 6, ad 2, solvens Divus Thomas auctoritatem adductam ex Proverb. c. XII: Non contristabit justum quidquid ei acciderit, intelligit eam, quatenus ex nullo accidente ejus ratio perturbatur: et in sapientem passiones non cadunt, ut sunt perturbativæ rationis. Dixi, ut plurimum, nam ut peccant venialiter (septies

cadit justus, et resurgit) sic possunt lethaliter peccare, cum contra Dei legem anima subditur passionibus, ut patet de David, etc. Et quando hujusmodi justi sentiunt passionum motus, vel primo-primos, vel secundo-primos, qui mentem turbant, etsi non perturbent, habent quid plorent, videntes se non carere passionibus, dicendo cum Apostolo: Video aliam legem in membris meis, etc., et ob quotidianos istos conflictus sensus contra rationem, dicunt pariter: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Exceptus est Adam ab his passionibus in statu innocentiæ, non secundum se, sed ut perturbativis, etc. Et licet S. Chrysostomus, Hom. XIII ad Rom., dixerit in Adam non fuisse passiones, sed (*per*) peccatum introductas, videtur, ait Senensis in Biblioth. lib. VI, cap. 242, non de naturalibus affectibus, sed de affectuum turbatione loqui; id innuunt verba Chrysostomi: Non fuisse affectuum turbam; quod turbationem indicat.

1114. Excipitur a turbatione et perturbatione passionum Christus Dominus: nam quantum ad perturbationem nullo pacto ulla passio ad judicium rationis pervenit, ut ejus ordo turbaretur; nec turbare potuerunt, quia non poterant insurgere motus prævenientes usum rationis: unde merito propassiones potius quam passiones a Doctoribus vocantur; et non ab aliquo turbatus vel contristatus, sed sicut scriptum est: Turbavit semetipsum, trahens passionem ad operandum, (*potius*) quam quod a passione traheretur, juxta doctrinam Gregorii, V. Moral., quam adducit D. Thomas, 3 p., q. 15, art. 9 ad 1. — Idem contingit eximiæ D. N. beatissimæ Virgini ob ejus insignem puritatem: et particulare privilegium non est dandum (*aliis*), etsi insigniter contemplativis. Etsi in plurimum a perturbativis, et secundum tempus, juxta Dei dispositionem a culpis et perturbativis passionibus eximantur, non eximuntur tamen toto hujus peregrinationis discursu a turbativis, et sunt in perpetuo vitiorum cum virtutibus conflictu.

1115. Ponitur probatio primo ex sanctis Patribus. S. Gregorius in cap. XXXIV Job, lib. 24, cap. 12: Ibi deficiet omnis caro: simul enim omnis caro deficit, quando jam nullis motibus servit; servire autem est cum passionibus cedimus, quas justi frenant. D. Bernardus, Serm. LII in Cantic., idem docet, eumque citans ait Brachar. 2 p., cap. 6: Operatur dulcissima Dei

dignatio, ut sanctam animam etiam quamplurimis vitæ activæ laboribus jure officii implicatam aliquando a sensibus ita suspendat, ita amplectatur, ita in sinu foveat, ut non permittat illam terrenis molestiis, aut ullis phantasmatum negotiis perturbari. Et mox: Quid tunc formidabitur luxuria, ubi nec visa sentiuntur? Excedente quippe anima a vitæ sensibus necesse est ut nulla sensus tentatio sentiatur: intellige perturbativa rationis. Et lib. De interna domo cap. 3, quem citat etiam Brachar. cap. 33: Beata anima, quæ in pace Christi et in Dei amore solidata est atque firmata: hæc enim, licet exterius bella patiatur, pax tamen interna nunquam perturbatur, ad sensum expositum. Richardus de S. Victore in Cant. cap. XXXIII: Quid enim mentis illius tranquillitatem turbare valeat, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, quam nullus timoris aculeus exagitat? Et infra: Sicut enim per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis, sic per hunc de quo loquimur interioris hominis somnum, exsuperantur omnes sensus mentis: simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, memoriam, intelligentiam, ut constat quando idem Apostolus scribit, quia exsuperat omnem sensum.

1116. Doctores mystici idem dictum probant. B. Henricus Suson, dialogo De verit., art. 5, solvens eam quæstionem, an ad tantam hi contemplativi perfectionem pervenerint, ut ad se ipsos non respiciant, neque in prosperis neque in adversis, respondet esse id impossibile in hac vita, quia ait: Multiplex necessitudo non sinit hominem ad eum gradum evehi, nisi per quamdam participationem, ut sunt singulariter electi et exercitati, qui tam deiformi sunt animo, ut virtutes in eis juxta quamdam similitudinem stabiles persistant: stabiles autem sunt quando a passionibus non perturbantur. B. Albertus Magnus, lib. De adhærendo Deo, cap. 15, de impassibilitate loquens, ad sensum explicatum, imperturbativa scilicet judicii rationis, dicit quod impassibilitas est a vitiis et passionibus libertas, cordis munditia, et virtutum ornatus. Multa ejusmodi sunt in Thaulerio et aliis; et novissime Brachar., 2 p., cap. 11, hæc habet, quæ omnia supra dicta explicant. Nec prosperis, ait, de talibus unitis, nec adversis vitiose moventur, sed stabili pace fruuntur: ideo in eis nulla turbulenta affectio diu durare potest; unde clare ex dictis habetur animas ejusmodi non carere af-

fectionibus simpliciter, sed ut perturbativis et excedentibus regulam rationis.

1117. Ex unione affectiva, nempe charitatis, oritur pax, quæ est effectus illius, licet non sit perfecta in hac vita. Est doctrina D. Thomæ, 2 2, qu. 29, art. 1, ad 2, ubi ait quod pax consistit in unione appetitus cum ratione, seu quod motus omnes appetitivi in uno homine conquiescant, sibique consentiant, ut nec a se, nec a Deo, nec a proximo dissentiat. Hæc autem pax, ait Angelicus, art. 2, ad 4, perfecta est in patria, ubi omnes appetitus quietantur in uno, qui est finis rationalis creaturæ. In hac vero vita est imperfecta, quia etsi principalis animæ motus quiescat in Deo, sunt tamen aliqua repugnantia intra et extra quæ perturbant hanc pacem. Et propterea egregie intulit D. Thomas in III, dist. 24, qu. 1, art. 4, pacificationem poni in septima beatitudine, quantum attinet ad statum viæ, per quam perturbantia pacem, quæ est ordinationis prædictæ terminus, quietare conatur, et in se ipso, et quantum ad alios qui quocumque modo ei obediunt. Et suum magistrum imitatus est Cajetanus in Jentaculis, in septima beatitudine, dicens: In primo gradu sunt qui in se ipsis habent pacem, hoc est tranquillitatem ordinis, ita ut lex carnis non repugnet legi mentis, sed ita spiritus imperet, ut totus homo inhæreat cum tranquillitate Deo. Eamdem phrasim habet S. Augustinus De sermone Domini in monte, ubi sic ait, quod id convenit pacificis, in quibus nullus est motus rebellis, sed obtemperans rationi: sermo autem est de motibus mortiferis, non de primo-primis, etc., ut declarat seipsum II lib. retract., cap. 10.

1118. Iidem effectus tribuuntur virtutibus, quæ dicuntur esse purgati animi. Pro quo sciendum est ex D. Thoma, 1 2, q. 61. art. ult., quod virtutes cardinales versantur circa res humanas, ut temperantia circa concupiscentias, justitia circa venditiones et emptiones, etc., ex responsione ad primum; tamen prout sunt virtutes transcendentes, et in divinam similitudinem transeunt, aliis titulis appellantur: nempe purgatoriæ, politicæ, purgati animi et exemplares. Politicæ, purgatoriæ, exemplares sunt ad divinam similitudinem tendentium. Quædam vero, ait Sanctus, sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quantum scilicet par est in hac vita, ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat,

fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando: quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Vide ex doctrina D. Thomæ aliquos perfectissimos in hac vita ex his virtutibus, ut transcendentes sunt et participantes divinam similitudinem, hos actus elicere, scilicet passiones ignorando, arctissimum fœdus cum Deo ineundo, et his novis actibus magis et magis in divinam assimilationem animam efferendo et elevando; ut in genere causæ materialis præcedant istam majorem perfectionem, et unionem, et fœdus cum Deo: subsequantur vero tamquam effectus charitatem, quæ prima est omnium radixque virtutum.

1119. Non propterea ex his donis a contemplativis et unitis secundum explicationem supra dictam, fomes ab illis tollitur, et motus primo-primi, vel secundo-primi, quod ex fomite notantur: sola beatissima Virgo excipitur. Quia omnes alii sancti spoliati gratuitis et vulnerati in naturalibus sunt, et eis convenit dicere: Video aliam legem in membris meis; et talis fomes relictus est nobis ad agonem: quæ pugna et rebellio non fuit in Virgine, ex doctrina Ecclesiæ. Nec ab illo exemptus fuit sanctus Joannes Baptista, qui, ex communi theologorum doctrina, a peccato veniali non fuit immunis. Et licet Origenes, Hom. IX in Levit., dicat, nec levem motum fuisse in lumbis Joannis, eamque partem pene emortuam fuisse, intelligendum est de carentia motus sensualis voluntarii. Nec Apostoli post acceptum Spiritum sanctum hanc prærogativam habuerunt, ut venialibus carerent. Unde Augustinus, II Retract., cap. 19, retractavit id quod olim dixerat, pacem plenissimam in hac vita compleri posse, sicut factum est in Apostolis: sic accipiendum est, ut docet idem, non ut in Apostolis hic viventibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse; sed hactenus hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis concedimus esse completa, ea mensura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio.

1120. Quantumvis justi et perfecti, ut non carent fomite, ita nec carent rebellione carnis adversus spiritum, nec passionum motibus, etsi ex divino adjutorio interdum detur ut non perturbent et trahant animam ad consensum mortiferum. Beatorum felicissima est conditio fomite carere, et passionibus tur-

bativis et perturbativis. Adæ status fomitem et passionum motus adversus animam non compatiebatur. Christus Dominus non eas passiones assumpsit, quæ defectum noxium important; sed quales ad veritatem carnis ostendendam necessariæ erant, quæ potius propassiones vocantur a sanctis. Beatissima Virgo super omnes sanctos privilegiata rebelliones passionum militantium adversus animam nunquam sensit ex fomite procedentium. Omnes a Virgine ex veritate cum dilecto Apostolo dicunt: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. De quo lege Augustinum, lib. De natura et gratia.

ARTICULUS X.

An contemplativi unione contemplationis decorati possint carere peccatis venialibus.

1121. D. Thomas, 2 2, q. 81, art. 1 ad 5, dicit: Contemplativi dicuntur non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant, sicut quamvis possint dici religiosi omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes. Et contemplativi dicuntur qui donc contemplationis sunt decorati. Ingens donum profecto contemplatio est, quod solum convenit perfectis: quia si contemplatio est intuitio clara et quieta divinorum, voluntatem ad perfectum amorem inflammans, sequitur quod solis viris perfectis conveniat. Certe contemplatio perfectorum est, illorum scilicet vel qui jam perfecti sunt, vel qui a Deo vocantur et trahuntur ut perfecti sint. Isti sunt de quibus Sapiens dicit, Sap. v: Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum. Nam si tota hæc sententia ad vitam præsentem referatur, quis neget his optime convenire qui semper vivunt? Alii enim homines imperfecti, cum operibus interdum infructuosis intendant, partim moraliter moriuntur et partim vivunt. Hi autem qui vitam perfectam et in Deo suspensam habent, et omnia quæ agunt ad illum dirigunt, bene dicitur quod semper vivunt. " Apud Do-

minum est merces eorum, „ quia pro suis laboribus nihil ex mundo quærunt. “ Et cogitatio eorum apud Altissimum, „ quoniam ex illa simplicissima et purissima inspectione Dei ita divinis merguntur‘ ut diebus et noctibus aliud quam Deum cogitare non libeat. Tristantur quidem interdum et plorant, non sane quia res hujus sæculi minus prospere sibi succedant, sed quia cœlestia, quæ necdum ad copiam sibi dantur, ardenter desiderant. Dicitque quisque eorum non sine gemitu illud Job XVI: Ad Deum stillat oculus meus; ut sicut lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt et a maxilla ascendunt ad cœlum, ita et lacrymæ istorum a maxilla ad Deum ascendant, et aliquando copiosum imbrem donorum obtineant. Hic per mysterium impletur illud Davidis, Psal. LXIII: Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. Homo namque perfectionem possidens non permanet in corde vili et abjecto, cui passiones dominantur, nec ab illis se lædi et conculcari permittit. Nec enim manere vult in corde quod quasi in medio est, cum scilicet regitur per rationem, et ambulat super aspidem et basiliscum affectuum suorum commorantium in corde humili seu abjecto, et conculcat leonem et draconem. Sed accedit ad cor altum, in quo regnat intelligentia et simplex cœlestium rerum aspectus, et ibi exaltatur Deus, et altus in homine atque excelsus ostenditur. Ad istud cor accedes, o homo, si donum contemplationis cupis: ad cor purum, cor virtutibus decoratum, cor contemptu rerum visibilium refertum. De istis justis et perfectis decoratis dono contemplationis, qui dicuntur contemplativi, quæritur an possint carere peccatis venialibus.

1122. Nullus homo, nec vivit, nec vixit, etiam justus et Deo charissimus, in statu naturæ corruptæ, sine peccato veniali. Ad hanc sententiam videtur inclinare D. Thomas, qui, 2 2, q. 184, a. 2 ad 2 (*dixit*): Illi qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ. Et quantum ad hoc etiam habent aliquid imperfectum per comparationem ad perfectionem patriæ. Idem Sanctus, 3 p., qu. 79, art. 4 ad 2, explicans illud I. Joan. I: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, dicit sic, quod illud verbum non est intelligendum quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis

venialibus. Eamdem doctrinam tenet Sanctus in IV, dist. 12, q. 2, art. 2, quæst. 1 ad 1; et dist. 21, qu. 2, art. 1 ad 4. Et Quæst. 7 De malo, art. 2 ad 13, explicans illam auctoritatem Proverbior. XXIV: Septies cadit justus, et resurgit, explicat illam de casu qui fit per veniale. Et per peccatum veniale cadit non quidem a charitate ipsa, vel a perfecto gradu charitatis, sed ab aliquo charitatis actu. Idem Sanctus explicans Orationem Dominicam, Opusc. VI, et quintam petitionem: Dimitte nobis debita nostra, dicit: Nulli sancto concessum est quin ad minus veniale peccatum incurrerit. I. Joan. I: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; et hoc etiam probatur per petitionem istam. Constat enim quod omnibus sanctis et hominibus convenit dicere Pater noster, in quo dicitur: Dimitte nobis debita nostra; ergo omnes recognoscunt et confitentur se peccatores, vel debitores.

1123. Eamdem doctrinam meo videri tenent Concilia. In Concilio Tridentino, sess. VI, can. 23, dicitur quod si quis dixerit hominem semel justificatum posse in tota vita omnia peccata, etiam venialia, vitare, nisi speciali Dei privilegio, sicut de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. Item in Concilio Milevitano definitur sic, can. 61, *Placuit* quod ait Joannes apostolus: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit ut dicat, propter humilitatem non oportere dicere nos non habere peccatum, non quia sit veritas, anathema sit. Et probatur a Concilio: quia statim subdit Apostolus: Si autem confessi fuerimus peccata; ubi satis apparet hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus quia non habemus peccatum, humilitas in nobis non est; sed cum dicat: Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est, satis ostendit eum qui dicit se non habere peccatum, decipi, et non verum loqui. Et can. 7 definitur quod sancti pro semetipsis dicunt: Dimitte nobis debita nostra. Sanctus enim erat apostolus Jacobus quando dicebat: In multis offendimus omnes. Et Daniel, cap. IX, sanctus erat cum diceret: Cum orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei Domino Deo nostro. Quem locum Concilium Milevitanum adducit

in confirmationem hujus veritatis, et dicit quod Daniel tamquam propheta prævidit futuros esse aliquos qui male intelligerent quod ipse dixerat universaliter: Peccavimus, iniquitatem fecimus; ideo dicit postea: Cum confiterer peccata mea.

1124. Eamdem doctrinam tenent sancti Patres. Augustinus, De bono perseverantiæ, cap. II, expresse ait: Inter omnia dogmata quæ defendit Ecclesia contra Pelagium, unum esse: In quantacumque justitia, sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. D. Gregorius, XVIII. Moral., cap. 4, explicans illud Job: Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, inquit quod sunt quædam peccata quæ a justis vitari possunt, quædam vero quæ etiam a justis vitari non possunt. Et de primis dicit Job: Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea; de secundis vero dicit ipse: Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Et primo dixerat: Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? quod de venialibus intelligitur. Ambrosius, Cyprianus, Hieronymus ejusdem sunt sententiæ, et utuntur eisdem rationibus quibus utitur D. Thomas, 1 2, q. 109, art. 8. Et D. Bernardus, lib. De dispens. et præcepto, ponderavit hanc rationem, quia attenta natura, tentamentis, occasionibus, difficultatibus, evenire non potest quin justus venialiter peccet. Ab ista universali propositione excipitur B. Virgo Maria, ex speciali privilegio. Est de fide definita in Concilio Milevitano, cap. 6, 7 et 8; in Concilio Africano, cap. 81, 82 et 83; in Tridentino, sess. VI, can. 21 et 23.

1125. Et si perfecti maxime contemplationis dono prædíti, et unitivam, quantum par est, viam adepti, possint venialibus peccatis carere voluntarie et ex industria commissis, nunquam carere possunt peccatis illis venialibus ex subreptione. Primum dictum constat auctoritate doctorum mysticorum; Thauler., Sermone primo post octavam Nativitatis; Rusbroch, De ornatu spiritualium nuptiarum, c. 75; et S. Theresia, Mansione 7, c. 4, paulo post principium. Et satis est ad Scripturas salvandas dicere eos peccare venialiter ex subreptione. — Secundum dictum probatur ex his quæ dicta sunt ex Conciliis ex sanctis Patribus. Et Augustinus, lib. De ecclesiasticis dogmatibus, cap. 68: Veraciter omnes sancti pronunciant se esse peccatores, quia in veritate habent quod plangant, si non reprehensione

conscientiæ (loquitur de voluntariis), certe tamen mobilitate et mutabilitate prævaricatricis naturæ. Lege eumdem in Enchir., cap. 26. Et mirabile est quod S. Hieronymus scripsit, lib. III, Contra Pelagium: Quamvis sit hominis perfecta conversio, numquid sic possunt esse sine vitio, quomodo illi qui statim de Christi fonte procedunt? Et tamen de Baptismatis fonte illi surgentes, statim in prima Corporis communione dicunt: Dimitte nobis debita nostra: non humilitatis mendacio, ut tu interpretaris, sed pavore fragilitatis suam conscientiam formidantes, — alludendo ad mobilitatem naturæ et peccata ex subreptione.

1126. Et quamvis B. Henricus Suson, Dialogo De veritate, cap. 10, ubi ponit hanc quæstionem in terminis, an unitus peccare possit, respondet quod quatenus homo sibi relinquitur, haud dubie delinquere potest, ut est apud Joannem: Si dixerimus quia peccatum non habemus; at quatenus unitus est, se ipsum excedit, et jam non peccat, ut idem Joannes testatur dicens: Omnis qui a Deo est non peccat. Et cap. 12, quærens an unitus teneatur confiteri, respondet: Confessio quæ de amore fit, excellentior est quam de culpis. Ista doctrina sic intelligenda est quod in illa hora, quam brevem moram vocabat Bernardus, non ingreditur animam uniti contemplantis subreptio venialis, et in sensu composito peccare non datur; potest id tamen in sensu diviso: cum enim interrumpitur unio illa, habent etiam illi contemplativi quid plangant, et in confessione se purgent; nam ea quoque peccata, si non sint materia necessaria, possunt voluntarie assumi: etiam illa quæ voluntarie seu studio commissa non sunt: nam, ut dicebat egregie Augustinus in Psal. CXVIII: Si a criminibus longe simus, non tamen deest ubi desideriis peccati, vel facto, vel verbo, vel dicto, vel cogitatu obdormimus, quando adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta obrepunt; in multis enim, ait Joannes, offendimus omnes; et non est possibile ex D. Thoma, 1 2, q. 103, art. 8, ut homo cohibeat omnes motus sensualitatis: dum enim circa unum vigilat, negligens est circa alium, nec semper attentus est ut consulat leges æternas, per quas debet judicare de inferioribus.

ARTICULUS XI.

An anima contemplativi uniti in ipsa contemplatione discurrat.

1127. Cum jam dictum sit contemplationem in communi esse simplicem intuitum veritatis, et quod ipsa distinguitur a meditatione, quæ est per discursum, nullam difficultatem secum adfert titulus articuli, quia facile solvitur ex his quæ dicta sunt ad longum in tota quæstione de contemplatione; solum ponitur ut aliqua particularia de contemplatione intelligamus quæ hactenus dicta non sunt. D. Thomas explicans illud Cant. VII: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. Anima justi assimilatur palmæ, quia in omnibus quæ agit semper supremam in memoriam retinet remunerationem, et ascendit per contemplationem ad Deum, et apprehendit fructus contemplationis. Merito contemplatio comparatur palmæ: nam palma arbor est alta atque procera, stipitem quidem nudum habens, folia vero et fructus sursum ferens. Sic et contemplatio ad altissimam Dei cognitionem erigitur, et fructus plane cœlestes profert, licet aspicientibus initia ejus, quæ a cessatione, et taciturnitate, et abnegatione imbibit, nuda et sterilis videatur. Rami palmæ sursum tendunt, et contemplationis radii Deum ipsum ac divina respiciunt. Spiritualis hæc palma, dicit sanctus Thomas, loco citato, bellantibus, ac victoriam de vitiis et concupiscentiis suis reportantibus datur. In Deuteronomio, cap. XXV, scriptum est: Quem judices justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; etiam in spiritualibus rebus locum habet ut qui juste et sancte conversati fuerint, palmam istam contemplationis obtineant.

1128. Spiritualis vir debet dicere: Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus. Sic cogitavi, et apud me constitui, atque decrevi ut in palmam amœnissimam et pulcherrimam contemplationis ascenderem, et fructus ejus saluberrimos ac sapidissimos, quos statim profert, colligerem. Ascendam autem desideriis, postulationibus, gemitibus; nam desiderare et postulare hanc gratiam, flere et gemere præ amore hujus sponsæ

quodammodo ascendere est. Prudenter te geres, vir Dei, si hæc contemplationis desideria frequentes. Bona spiritualia excellentiora sunt temporalibus: bonorum autem spiritualium eminentiora sunt scientia et virtus; contemplatio vero perfecta a gratia et dono sapientiæ manans (de hac enim loquimur) utrumque bonum excedit: quin eminentissime comprehendit. Cognoscunt Deum theologi scholastici, fateor; cognoscunt et mystici, idest contemplatione perfecti, sed non facile dictu est quantum ista cognitio perfectione et claritate (quæ tamen fidem non tollit, sed perficit illam) excedat. Cognitio Dei scholastica ad intellectum præcipue pertinet: cognitio Dei mystica non tam cognoscere quam amare quærit, et ad astringendum Deum amoris affectibus se extendit. Illa acquiritur in schola intellectus vehementi studio, disputationibus, ratiocinationibus et argumentis: hæc in schola affectus et religionis, puritate vitæ, desideriis, suspiriis, postulationibus et exercitatione virtutum. Illa in acquirente ingenii claritatem et aliarum disciplinarum non mediocrem apparatum exigit: hæc animum simplicem et purgatum, licet scientiarum humanarum expertem, requirit. Illa si in hominibus fit virtutibus vacuis, verba Dei et eloquia Scripturarum sanctarum ore loquitur: hæc licet interdum loqui nesciat, sensum tamen verborum assequitur. Illa non semel hominibus superbis, et arrogantibus, et ambitiosis datur, sicut et divitiæ et alia naturalia bona: hæc humilibus, mortificatis, et puris mente conceditur. Illa servire potest vitiis et vanis hominum desideriis: hæc virtutum perfectarum adeptioni prodest, et nonnisi valde a longe et ad modicum tempus perverso fini servire valet.

1129. Contemplatio, per se accepta, non est omnis virtus: at infert omnem virtutem, non tantum in ordinario et mediocri gradu, sed in gradu sublimi atque perfecto. Contemplatio namque sanctorum, quæ charitatem habet partem sui, cor hominis ardere facit, et hoc beato ardore ad perfectissimos omnium virtutum actus propter Deum et proximum suscipiendos accendit. Quamobrem licet amor vel charitas in Deum una tantum virtus sit, tamen ad omnia mandata custodienda nos mittit. Et ideo legimus: Qui diligit me, mandata mea servabit: quoniam sicut ignis iste corporeus lumine et scintillis emicantibus aperitur, ita amoris ignis mandatorum custodia et actionibus

universarum virtutum ostenditur. Si ascenderis, o anima, in hanc contemplationis palmam, apprehendes fructus ejus; vel, ut Septuaginta verterunt, Apprehendes altitudines ejus. Quia nimirum fructus quos profert, non sunt quæcumque, sed sublimes virtutum actiones. Unde, si attente perspicias, videbis ad donum contemplationis admissos, non tantum humiles, sed humillimos; non utcumque pauperes, sed pauperrimos; non castos mediocriter, sed castissimos, et angelorum puritatem æmulantes.

1130. Hanc contemplationem Rachel pulcherrima præfiguravit, cui fuit filius nomine Joseph, qui interpretatur augmentum. Nam contemplatio in filio crescit, adeo ut quamvis nonnunquam genitrix moriatur, et contemplatio ad tempus dispositione Domini subtrahatur, filius tamen natus ex ea, scilicet virtutum promotio et perfectio, supersit. O quam suavis et honorabilis filius, de quo spiritualis Jacob pater ejus dicit: Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu; filiæ discurrent per murum. Patriarcha hic castissimus virtutis augmentum a contemplatione procedens egregie notat. Est filius bis accrescens, quia erga Deum et homines augmentum perfectionis sumit. Est decorus aspectu et adeo pulcher aspicientium oculis, ut animæ sanctæ tantam virtutem et mentis puritatem videre appetant.

1131. Ut respondeam titulo alia ratione, adducam definitiones contemplationis quæ adducuntur a diversis doctoribus, ex quibus respondebitur titulo articuli. Augustinus eam definit: Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio; lib. De spiritu et anima, cap. 32. Bernardus, lib. De scala claustrali: Contemplatio est mentis in Deum suspensa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Et alibi, II. De consideratione, cap. 2: Est verus certusque intuitus animæ de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia. Richardus de S. Victore: Est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula, cum admiratione suspensa. Vel est perspicax, et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Ex quibus definitionibus recte colligitur quod contemplativi uniti in sua contemplatione non discurrunt. Et sic aliqui dicunt quod contemplatio est requies laborum, complementum desideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis ora-

tionis, et ad assequendam mentis puritatem instrumentum efficacissimum. Hæc inter omnia exercitia mentalia est rectior, est clarior, est mundior et securior, est quietior, est jucundior, est permanentior, est sublimior, est rarior, est vitæ beatæ similior. Hæc est gladius, quo superflua nostra perfectius amputamus; et sepulchrum non horribile, sed desiderabile, in quo a perturbatione mentis abscondimur.

1132. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 7, dicit: Vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas. Et postea: Vita contemplativa, licet principaliter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, inquantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu: dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, et ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem. Hæc ille. Nato Juda, per quem intelligunt amorem summi boni, Rachel filios appetit: quin amore Dei incitatur, ut illum velit per contemplationem agnoscere, ubi est oculus, et libenter aspicimus quem multum diligimus. Et dum magis aspicimus, magis æstu amoris accendimur. Offertur igitur intellectui summum verum quod videat, et voluntati summum bonum quod diligat. Expanditur ante illam opipara mensa ciborum cœlestium, in qua pascatur, quorum suavitatem prægustans, omnes cibos Ægypti, idest delicias mundi, fastidit. Si charitate aut necessitate poscente, ab hac mensa discedat, illud solum ejus desiderium est ad mensam redire, et cibis pretiosissimis saginari.

ARTICULUS XII.

An anima, dum est in consummatione contemplationis, libere an necessario operetur, nempe intelligendo et volendo quod Deus vult.

1133. In contemplatione altissima, qualis est illa quæ fit per raptum, duo sunt consideranda: unum ex parte solius Dei infundentis species, lumen et alia; et aliud ex parte nostra. Si consideretur contemplatio altissima ex parte Dei, nempe ex receptione specierum luminis, elevationis, et hujusmodi, etiamsi

in potentia vitali vitaliter recipiantur, hoc est per apprehensionem vitalem et intellectualem, non se habet intellectus active, sed passive, et per consequens non est ille actus humanus et liber. Ita D. Thomas, 2 2, q. 175, art. 1. Quia raptus violentiam quamdam importat. Violentum autem dicitur cujus principium est extra, nil conferente eo quod vim patitur. Confert autem unumquodque ad id in quod tendit secundum propriam inclinationem, vel voluntariam vel naturalem. Et ideo oportet quod ille qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid quod est diversum ab eo in quod ejus inclinatio tendit. Quæ quidem diversitas attenditur dupliciter. Uno quidem modo quantum ad finem inclinationis: puta si lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc quod feratur deorsum, projiciatur sursum. Alio modo, quantum ad modum tendendi: puta si lapis velocius projiciatur deorsum quam sit motus ejus naturalis. Sic igitur anima hominis dicitur rapi in id quod est præter naturam. Uno modo quantum ad terminum raptus: puta quando rapitur ad pœnas, secundum illud Psal. XLIX: Nequando rapiat, et non sit qui eripiat. Alio modo quantum ad motum homini connaturalem, qui est ut per sensibilia intelligat veritatem. Et ideo quando abstrahitur a sensibilium apprehensione, dicitur rapi, etiamsi elevetur ad ea ad quæ naturaliter ordinatur. Dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, sicut accidit in somno. Hæc ille.

1134. Si loquamur de contemplatione altissima, non quantum ad apprehensionem et repræsentationem rerum quæ cogitantur, sed quantum ad judicium de veritate contemplata, sive theoriam, sive praxim respiciat, necessario dicendum est intervenire judicium rationis, quia contingit in tali revelatione multa, quæ solius auctoritati Dei revelantis innituntur, revelari, ut factum est cum revelata sunt mysteria gratiæ, et ad credendum proposita sunt sub lumine obscuro fidei; et in revelationibus privatis fidei actu assentiuntur revelatis qui eas accipiunt: at fidei actus liber est necessario supponens intellectum et voluntatem; ergo. — Tum etiam, vel intellectus operatur cum abstractione ab omnibus sensibus, etiam internis, in ea contemplatione, vel servato modo naturali per conversionem ad phantasmata. Si primo modo, cum talis cognitio non dependeat a sensibus, nec in fieri, nec in conservari, nullam illi inferre

possunt necessitatem, quominus homo, sive dormiens, sive vigilans, impediatur a perfecto usu rationis et libertatis, operando independenter ab illis: imo veluti ex imitatione cœlestium mentium, earumque participatione, perfectius operabitur quam fiat per naturalem usum rationis in homine vigilante. Si per conversionem ad phantasmata, non est difficultas: nam Adæ extasis illa fuit cum cooperatione phantasiæ circa futurum mysterium Incarnationis, repræsentatum per conjunctionem maris et fœminæ; et cum habuerit intelligentiam illius mysterii, quam per fidem cogitare opus erat, non fuit ille actus necessarius, sed liber. Unde præclare dixit Rupertus non clausisse illum somnum vigilias rationis, et sensum mentis liberum reliquisse.

1135. Confirmatur prædicta doctrina quia in somno prophetico, extasi, et similibus, mens solvitur, et est expeditior, et non impeditur actus animæ quoad perfectum rationis judicium (imo superior portio inferiores functiones sensuum impedit), maxime cum in actuali judicio ab illis non dependeat, et satis est sola cooperatio phantasiæ ex connaturali modo intelligendi hujus vitæ; tum etiam quia gratia non destruit naturam, sed perficit: natura autem hominis est ut libere operetur. Ergo in contemplatione altissima hujus vitæ non privatur anima humana intellectus et voluntatis operationibus. Accedit quod libertas radix est meriti: non est autem verisimile Deum velle privare hominem justum tanta perfectione, etiam elevatum ad altissimam contemplationem.

1136. Quamvis possit intellectus applicari ad operandum vehementer a causa extrinseca, nempe a Deo, non tamen ista applicatio tollit libertatem. Explicans D. Thomas illud Cant. 1: Trahe me, post te curremus, inquit sic: Quia meam infirmitatem cognosco, et video nihil me meis viribus boni posse agere, tua gratia trahe me ad tui imitationem. Unde sicut non est in potestate nostra fieri ut primo trahamur, sed tracti cooperemur (nulla enim bona opera facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo), nihilominus multa Deus in nobis sine nobis operatur (ut cum immittit sanctas inspirationes veluti subitas coruscationes, quæ sunt actus necessarii), et in exercitio applicat voluntatem ad hoc vel illud objectum; hoc autem non est inferre necessitatem intellectus, qui semper libere operatur

quantum ad specificationem et exercitium: non enim per illam applicationem et extrinsecam gratiam facit ut intellectus (ut fit in patria) objectum consideret tamquam summe amabile per illum actum eximiæ contemplationis; unde cum habeat etiam in raptu indifferentiam judicii, sequitur etiam in voluntate libertas, ut libera sit in amore perfecto et obedientiali, quo tandem fertur quocumque Deus animam ferri voluit.

1137. Intentio contemplationis attenditur ex parte causæ primo moventis et impellentis, seu suaviter operantis, ut nullo modo ei resistat anima, sed se trahi sinat; et licet sit coactio ex parte modi operandi per abstractionem illam a sensibus, qui est naturalis modus operandi, libera tamen sit quantum ad terminum, ut sit secundum naturam hominis operando per intellectum et voluntatem: non tamen dicitur naturalis illa operatio, quia ex parte principii non est illa elevatio ex natura hominis, sed ex virtute divina. Ita D. Thomas, qu. 13, De veritate, art. 1 ad 9; et 2 2, q. 175, a. 1 ad 3. — Et quamvis in raptu ligentur sensus, ut in somno ligantur sensus, et ideo in somno non potest esse meritum, tamen ligatio sensuum per somnum naturalem impedit usum rationis, et per consequens meritum tollit, non tamen quando somnium est propheticum; et sic est dispar ratio: quando enim homo dormit, non est imaginativa propter fumositates cerebri adeo expedita, ut deservire possit intellectioni. In somno prophetico, qui alias extaticus dicitur, in quo interdum prophetæ revelationes accipiunt, et somniant non solum quoad apprehensionem, sed etiam quoad judicium. Et, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 173, art. 2 ad 3, potius clarificatur phantasia et fortificatur imaginatio ex adjutorio divini luminis, vel species infundentis, vel species imaginatas ordinantis et elevantis.

1138. Ad illud quod dicunt doctores de Salomone, qui non meruit in acceptione divinæ sapientiæ in somnis, respondet D. Thomas in duplici loco, 1 2, q. 113, art. 3 ad 2, quod Salomon dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit: sed in somno declaratum est ei quod propter præcedens desiderium ei a Deo sapientia infunderetur. Unde ex ejus persona dicitur Sap. VII: Optavi, et datus est mihi sensus. Vel potest dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Numer. XII: Si quis fuerit inter vos pro-

pheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.— Et tamen sciendum est quod non est eadem ratio de dono sapientiæ et de dono gratiæ justificantis : nam donum gratiæ justificantis præcipue ordinat hominem ad bonum, quod est objectum voluntatis, et ideo ad ipsum movetur homo per motum voluntatis, qui est motus liberi arbitrii; sed sapientia perficit intellectum, qui præcedit voluntatem. Unde absque completo motu liberi arbitrii potest intellectus dono sapientiæ illuminari: sicut etiam videmus, quod in dormiendo aliqua hominibus revelantur, sicut dicitur Job XXXIII : Quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplinam. In Quæstionibus fere respondet eodem modo. Et respondet: Tertio modo potest dici quod intellectus cogitur ab intelligibili, voluntas autem non potest cogi ab appetibili: et ideo absque usu liberi arbitrii potest infundi sapientia, quæ est rectitudo intellectus : non autem justitia, quæ est rectitudo voluntatis.

ARTICULUS XIII.

An animæ ejusmodi contemplativorum unitorum ita uniantur Deo, ut sint exempti ab omnibus virtutum actibus exercendis, et obedientia mandatorum Dei et Ecclesiæ.

1139. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. III: Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas, dicit sic: Sciendum est autem quod occasione istorum verborum, et illorum, scilicet: Justo lex non est posita, aliqui erronee dixerunt quod viri spirituales non obligantur præceptis legis divinæ. Sed hoc est falsum: nam præcepta Dei sunt regula voluntatis humanæ. Nullus autem homo est, nec etiam angelus, cujus voluntatem non oporteat regulari et dirigi lege divina. Unde impossibile est aliquem hominem præceptis Dei non subdi. Hoc autem quod dicitur: Justo lex non est posita, exponitur: idest propter justos, qui interiori habitu moventur ad ea quæ lex Dei præcipit, lex non est posita; sed propter injustos : non quia etiam justi ad eam non teneantur. Et similiter: Ubi spiritus Domini,

ibi libertas, intelligitur quia liber est qui est causa sui: servus autem est causa domini; quicumque ergo agit ex seipso, libere agit: qui vero ex alio motus, non agit libere. Ille ergo qui vitat mala, non quia mala, sed propter mandatum Domini, non est liber: sed qui vitat mala quia mala, est liber. Hoc autem facit Spiritus sanctus, qui mentem interius perficit per bonum habitum, ut sic ex amore caveat, ac si præciperet lex divina: et ideo dicitur liber, non quia non subdatur legi divinæ, sed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum quod lex divina ordinat.

1140. Eamdem doctrinam habet D. Thomas, 1 2, qu. 108, art. 1 ad 2: Secundum Philosophum, in I. Metaph., liber est qui sui causa est. Ille ergo libere aliquid agit qui ex se ipso agit: quod autem homo agit ex habitu suæ naturæ convenienti, ex se ipso agit, quia habitus inclinat in modum naturæ; si vero habitus esset naturæ repugnans, homo non ageret secundum quod est ipse, sed secundum aliquam corruptionem sibi supervenientem. Quia igitur gratia Spiritus sancti est sicut interior habitus nobis infusus, inclinans nos ad recte operandum, facit nos libere operari ea quæ conveniunt gratiæ, et vitare ea quæ gratiæ repugnant. Sic igitur lex nova dicitur lex libertatis dupliciter: uno modo quia non arctat nos ad facienda vel vitanda aliqua, nisi quæ de se sunt vel necessaria, vel repugnantia saluti, quæ cadunt sub præcepto vel prohibitione legis; secundo, quia hujusmodi præcepta vel prohibitiones facit nos libere implere, inquantum ex interiori instinctu gratiæ ea implemus; et propter hæc duo lex nova dicitur lex perfectæ libertatis; Jacobi I. Hæc ille. Unde consequens est quod boni perfectius subduntur legi æternæ quam mali quantum ad cognitionem atque inclinationem.

1141. Aliqui hæretici dixerunt quod isti contemplativi uniti ad statum beatitudinis pervenerunt, et videre (*possent*) divinam essentiam: quod quidem est hæreticum, quia nullus viator in hac vita potest videre Deum per essentiam; quia, Exod. XXXIII, dicitur: Non videbit me homo, et vivet; ubi Glossa: Quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem videri non potest. I. Cor. XIII: Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. D. Thomas, p. p., qu. 12, art. 11: Mo-

dus cognoscendi sequitur modum naturæ cognoscentis: ergo modum essendi animæ nostræ, quo est in corpore, sequitur cognoscere formas in materia aut per eas: per has autem non potest videri Deus per essentiam; ergo. Videatur Augustinus, Epist. De videndo Deo; Hieronymus, in Matth. xi.

1142. Isti hæretici affirmabant quod isti contemplativi uniti Deo erant redacti ad statum innocentiæ: quod quidem hæreticum est, quia nulli viatori datum est ut ad Adæ innocentiam perveniret (nihil hæc de privilegiata persona). Nam in concilio Arausicano, cap. 5, et in concilio Tridentino, Sess. v, De peccato originali, ubi anathematizatur asserens sanctitatem et justitiam Adæ, quam perdidit, sibi soli, et non nobis eum perdidisse, et illud inobedientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animæ: in his autem pœnis continetur rebellio carnis contra spiritum, quæ dicitur fomes peccati, unde Paulus deplorat illam cum diceret: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et iterum: Ingemiscimus gravati, expectantes redemptionem corporis nostri, et ut liberetur creatura a servitute corruptionis, quando mortale hoc absorbebitur a vita, translati in libertatem filiorum Dei, ut sæpissime divinus inculcat Apostolus. Quare insolentissimæ insaniæ est in terra cœlestem vel terrestrem paradisum, ubi degebat Adam in statu innocentiæ collocare; unde perbelle Bernardus: Non nos ad hoc de paradiso voluptatis animadversio divina ejecit, ut hic alterum paradisum humana adinventio præpararet. Si enim quis in hac vita vel ad claram visionem, vel ad innocentiam Adæ pervenire posset, frustra clamaret Apostolus: Cupio dissolvi et esse cum Christo; et iterum: Infelix ego homo, quis liberabit me a corpore mortis hujus? Tanta autem fuit humana audacia, ut tabernacula quæ fixit Dominus in cœlesti et in terrestri paradiso figere vellent in valle lacrymarum.

1143. Isti hæretici affirmant quod isti contemplativi uniti ad nihilum rediguntur, quod quidem est hæreticum. Nam licet quando trahimur, rapimur, sublevamur et absorbemur, nos totos in Deo circumplexos sentimus, et nos unum esse cum Deo percipimus: imo cum contemplationi illi vacamus, si explorare contingat quid non sit hoc quod sentimus, ad inferiora rela-

bimur, et tunc inter Deum et nos discrimen et diversitatem intelligimus. Quod si redigeremur in nihilum, ut isti fabulantur, nihil horum perciperetur: nam creatum esse nostrum amitteremus, et omnia absurdissima et potius risu digna revinci (*oportet*). Accedit quod iidem vel similes, ut assererent se nihil esse, Deum nihil esse quoque autumabant, contra id quod scriptum est: Ego sum qui sum; et nihilominus in hoc nihilo se invenire omnia. Sed si hæreticus dicit se nihil esse, nihil procul dubio quærit, et nihil invenit; si nihil esse quoque dicit illud ens sempiternum, et omnium vitam, et conditorem, nec ex parte rei intellectæ quicquam reperire posset, cum circa nihilum creatura operari non possit. Rursus quidquid est, aut Deus est, aut creatura. Si Deus nihil est, creatura sola remanet, quæ ex nihilo facta est; non potest autem creatura esse ex ipsa; a Deo ergo facta est, et Deus nihil esse non potest: imo qui omnia fecit ex nihilo, et sine illo factum est nihil, hoc est peccatum, ut dicit Augustinus, et fallax otium et inobedientia quod nihilum ipsi fecerunt. Infelices revera homines qui nedum similes esse Deo, sed etiam Deum esse volunt, ipso Lucifero omnique familia ejus pejores, ad Tartara merito destinati.

1144. Affirmant etiam isti hæretici quod isti contemplativi uniti nihil active agunt, sed mere passive (Deo operante solum in ipsis tamquam organis, omniaque sua opera efficient): quod est hæreticum, quia omnes creaturæ per Dei virtutem proprias ac peculiares in natura, in gratia et in gloria operationes habent; et secundum suam naturam Deus dedit proprias inclinationes, ut quædam agantur et non agant; quædam, ut a Deo agantur, et cum Deo aliquid agant: non ergo Deus in ipsis creaturis intellectualibus ita operatur et agit ut sint inanimata instrumenta, quibus pro suo arbitrio utatur et agat, et ipsi plane otiosi sint, et, quod pejus est, etiam ea opera in ipsis agat quæ etiam virtuti consentanea non sunt.

1145. Affirmabant etiam quod isti contemplativi uniti nihil merebant. Contrarium definitum est in concilio Tridentino, Sess. VI, can. 26. Et Sap. V dicitur: Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum; Jerem. XXXI: Erit merces operi tuo; Psal. LXII: Reddes unicuique secundum opera sua; II. Tim. IV: Reposita est mihi corona justitiæ, quam

reddet mihi in illa die justus judex, etc. Hæc materia diffuse tractatur 1 2, q. 114, art. 1. Et probatur fundamentali ratione, quia licet inter hominem et Deum non sit illa æqualitas quæ est simpliciter justitia, est tamen quidam justitiæ modus, veluti jus paternum et dominativum, secundum quod filius meretur a patre, et servus a domino, supposita ordinatione divina.

1146. Affirmant ultimo quod isti contemplativi uniti sunt in speciali otio et quiete: sed confutatur quia etsi viribus naturalibus per contemplationem intellectus possit aliqualem quietem obtinere, expediendo se a multis quæ quietem illam impedire possunt, ut multi fecerunt philosophi abjiciendo divitias, ut de Crate Thebano commemorat Hieronymus in Epist.; tamen ut se expediat a cunctis imaginationibus et actionibus quæ perturbant divinum amorem, non potest fieri sine Dei gratia. — Præterea cum divinam gratiam quis adeptus est, non sistit in otio, sed ad gratiæ augmentum per exercitia interiora et externa tendit, quia amor Dei otiosus non est, ut dicit Gregorius. — Item talis quies vel otium animam torpentem facit tam quoad intellectum quam quoad affectum, et in ignorantiam, et cæcitatem, et teporem adducit, ut nec contempletur, nec agat, ut sui, proximi, et Dei oblivione quoque capiatur.

1147. Insuper ex directo contrariatur divinæ quieti circa operationem in creaturis: est enim omnibus mobilibus mobilior Sapientia, et a sanctis cum affectu et desiderio semper inquiritur, et in ipsa negotiatur voluntas et intellectus, et obtenta et possessa nihilominus exquiritur, sicut scriptum est: Qui edunt me, adhuc esurient, etc. Quin, quod desidiosum hoc otium (quo penitus ipsi vacant ex natura vel consuetudine ad illud proclives) non est via ad Deum possidendum, imo et Judæi, et hæretici, et pessimi athei, qui stimulum conscientiæ a se abegerunt, quietam in otio se putant agere vitam: unde omnes qui putant ingredi viam beatitudinis absque studio et actibus virtutum, in viam pergunt perditionis, et in spiritualem ruunt superbiam, putando omnem amorosam ad Deum conversionem sibi esse impedimento, et in sua ficta quiete confidunt, omnino contraria veræ quieti, quæ in Deo est: et hoc est omnis erroris initium. Sic Lucifer cum vana sua complacentia putabat in sua naturali quiete Deum possidere ut esset beatus: sed excæcatus

imperturbabili quiete potitus non est, sed in tenebras et æternam corruit inquietudinem.

1148. Epicurea assertio est, ne interrumpatur illud fictum otium, carni et sanguini indulgendum, cum sensualis appetitus instigat. Probatur: nam felicitas etiam humana in contemplatione, veluti in quodam otio consistit: at hæc interrumpitur per vehementes passiones, præcipue per carnalem commixtionem: non ergo aptum remedium epicureorum est eo remedio uti, ne otium illud obrumpatur. – Item perfectio summa ex divo Thoma, III. Contra Gentes, cap. 27, non est quod se conjungat rebus se inferioribus, sed altiori se: at delectationes venereæ, quas expetunt otiosi isti, conjungunt hominem inferioribus se, nempe sensibilibus; cum ergo contemplatio, prout est in hac vita, sita sit in conjunctione cum altiori se, non est deserendum objectum altius propter carnales delectationes.

ARTICULUS XIV.

An otium sanctum contemplationis perturbetur ex vacatione vitæ activæ, insistendo saluti proximorum, et ex recitatione orationum vocalium.

1149. Huic articulo respondet D. Thomas, 2 2, q. 182, a. 3: Vita activa potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad ipsum studium et exercitium exteriorum actionum; et sic manifestum est quod vita activa impedit contemplativam, in quantum impossibile est quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, et divinæ contemplationi vacet. Alio modo potest considerari vita activa quantum ad hoc quod interiores animæ passiones componit et ordinat. Et quantum ad hoc vita activa adjuvat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum. Unde Gregorius dicit in VI. Moral., cap. 27: Cum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, ut sollicite sciant si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata a proximis æquanimiter portant, si oblatis temporalibus bonis nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis, non nimio mœrore sauciantur. Ac deinde perpendant

si cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt. Ex hoc ergo exercitium vitæ activæ confert ad contemplativam, quod quietat interiores passiones, ex quibus phantasmata proveniunt, per quæ contemplatio impeditur.

1150. Idem Sanctus, 2 2, qu. 182, art. 1 ad 3, dicit quod ad opera vitæ activæ interdum aliquis a contemplatione avocatur propter aliquam necessitatem præsentis vitæ: non tamen hoc modo quod cogatur aliquis totaliter contemplationem deserere. Unde Augustinus dicit, XIX. De Civit. Dei: Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum, scilicet vitæ activæ, suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. Et sic patet quod cum aliquis a contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum subtractionis, sed per modum additionis. Et in III, dist. 35, q. 1, art. 3, quæst. 3, dicit quod vita activa est dispositio ad contemplativam. Unde Isidorus in lib. De summo bono: Qui prius in vita activa proficit, bene ad contemplationem conscendit. Et ideo quamdiu homo non pervenit ad perfectionem in vita activa, non potest in eo esse contemplativa vita, nisi secundum quamdam inchoationem imperfecte; tunc enim difficultatem homo patitur in actibus virtutum moralium, et oportet quod tota sollicitudine ad ipsos intendat, unde retrahitur a studio contemplationis. Sed quando jam vita activa perfecta est, tunc operationes virtutum moralium in promptu habet ut eis non impeditus libere contemplationi vacet: tamen secundum quod homo est magis vel minus perfectus in vita activa, circa plura vel pauciora occupari potest activæ vitæ simul cum contemplativa. Ergo vita activa multoties non impedit otium sanctum contemplationis, imo disponit ad illud.

1151. Dubitatur an contemplativus possit ad tantam perfectionem conscendere, ut ipsum neque tempus, neque multitudo, neque materia præpediant. Cui dubitationi respondetur negative, quia, ut dicit D. Thomas, 2 2, qu. 181, art. 4 ad 2, ma-

gnum decebat esse discrimen inter nos et angelos ascendentes per contemplationem, descendentes ad administrationem, quod pertinet ad actionem: hi namque non sic a divina visione foris exeunt, ut dicit Gregorius, II. Mor., (*ut*) internæ contemplationis gaudiis priventur, et ideo in eis non distinguitur vita activa a contemplativa, sicut in nobis, qui per opera activæ impedimur a contemplatione. Et in responsione ad 3 dicit diuturnitatem contemplativæ in statu præsenti excedi a diuturnitate vitæ activæ ex defectu nostro, qui ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis. Unde Gregorius ibidem ait quod ipsa sua infirmitate ab immensitate repulsus animus in se ipso dilabitur.

1152. Cum multa dicta sint in toto isto libro, quæ pertinent ad vitam activam, non tamen sub nomine vitæ activæ, ideo decrevi in isto articulo declarare quid sit vita activa, et quæ sint quæ pertinent ad vitam activam; et etiam assignare in quibus excedit vita activa contemplativam, et in quibus accedit contemplativa activam. — Vita activa est illud vitæ spiritualis institutum, quo homo studiosis actionibus ex professo vacat, ut se ad contemplationem veritatis et amoris perfectionem disponat. Hæc enim vita actionem respicit, illam scilicet quam philosophi praxim appellant; cum enim actio prava ad eam non pertineat, quippe quæ cum vita spirituali nihil commercii habet, manifestum est quia studiosis tantum actionibus vacat ex virtute profectis. Has autem ex instituto suscipit, ut homo se ad contemplationem præparet. Scriptum est enim in Psal. XXIII: Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto ejus? Cui interrogationi ipsa Veritas summa respondet: Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

1153. Audite D. Thomam in expositione horum verborum: " Quis ascendet in montem Domini. „ Mons significat ibi altitudinem divinæ justitiæ, sive majestatis. Psal. XXXV: Justitia tua sicut montes Dei. Mons ergo est altitudo divinæ majestatis, vel sublimitas Christi; qui mons dicitur; Isaiæ II: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur, etc. Quis ergo ascendet tantum, quod

deveniat ad Christum et Deum? Sancti viri qui disponunt ascensiones in corde suo, ascendent. — " Aut quis stabit in loco sancto ejus. „ Quis poterit stare ibi, ubi ipse est qui est locus sanctus, locus gloriæ? Jerem. XVII: Locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel. Exod. III: Locus in quo stas, terra sancta est; quasi dicat: Quis stabilietur ibi? — " Innocens manibus. „ In merito est unum, quod pertinet ad innocentiam operis. Job XXII: Salvabitur innocens. Salvabitur autem munditia manuum suarum. Psal. XXV: Ego in innocentia mea ingressus sum. Aliud pertinet ad puritatem cordis: et quantum ad hoc ponit quod conservetur cor purum a concupiscentiis interioribus; unde dicit: " Et mundo corde. „ Matth. V: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. — Item ab omni cupiditate rerum temporalium. " Qui non accepit in vano animam suam, „ idest qui non effudit eam super res vanas; vel qui non vane gloriatur de virtutibus; vel qui non permittit sensualitatem suam pervenire usque ad consensum peccati. Hieronymus habet: " Qui non extollunt in vanum, „ quia ex munditia cordis aliqui superbiunt. Psal. CXXX: Domine, non est exaltatum cor meum. — Item pertinet ad veritatem oris; unde sequitur: " Nec juravit in dolo proximo suo; „ Zach. VIII: Juramentum mendax non diligatis. — " Hic accipiet benedictionem a Domino, „ idest bona a Deo. Prov. X: Benedictio Domini super caput justi. I. Petri III: In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. — Item, in liberatione a malis. Unde dicit: " Et misericordiam a Deo salutari suo, „ quia liberat a miseria. Quæ omnia munera sunt vitæ activæ.

1154. Est etiam vita activa illa viri spiritualis occupatio, quæ peccata deflet, affectus moderatur, bella tentationum dissolvit, proximos in rebus corporalibus et spiritualibus juvat, omniumque virtutum moralium functiones exercet. Ad quam Dominus per Isaiam, c. XXXIII, justos permovet dicens: Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? se ipsum, ut notat Hieronymus, ignem et ardorem appellans: ignem quidem hypocritas devorantem, ardorem impios et peccatores urentem: sed justos et in veritate ambulantes benigne foventem, et mirabiliter illuminantem. Huic autem dubitationi ille qui summa veritas est, ita respondet, ut eum secum habitaturum astruat, qui

vitæ activæ præstat actiones; qui ambulat in justitiis, inquit et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum.

1155. Per eumdem prophetam, cap. LVIII, eisdem activæ vitæ operibus gratiam, fortitudinem ac felicitatem perpetuam promittit. Dissolve, ait, colligationes impietatis, hoc est multitudinem peccatorum te colligantium, solve fasciculos vitiorum deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, et omne onus quo imbecilles opprimebas, disrumpe. Frange esurienti panem tuum doctrinæ, qua abundas, et egenos vagosque, quia nemo eos ad Christum vocavit, induc verbo prædicationis in domum Ecclesiæ, quam Dominus sua benignitate facit tuam. Cum videris nudum virtutibus, operi eum, et carnem tuam, idest proximos tuos, ne despexeris. Nam si in his te exercueris operibus, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, gratia scilicet divina tibi concessa, quæ tenebras peccatorum dispellat; et sanitas tua citius orietur: ut qui minus potens eras ad implenda divina mandata, jam facillime Dei tui in omnibus exequaris voluntatem. Et anteibit faciem tuam justitia tua, ut tamquam justus et Deo acceptus, non vanis, sed veris laudibus efferaris. Tandemque gloria Domini colliget te, illa sane gloria, quam paratam habet timentibus se.

1156. D. Thomas, 2 2, q. 181, art. 1, dicit quod omnes actus virtutum moralium pertinent ad vitam activam. Probatur a D. Thoma in corpore articuli. Manifestum est autem quod in virtutibus moralibus non principaliter quæritur contemplatio veritatis, sed ordinantur ad operandum. Unde Philosophus, dicit in II. Ethic., quod ad virtutem quidem scire parum aut nihil prodest. Unde manifestum est quod virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam. Unde et Philosophus, in X. Ethic., virtutes morales ordinat ad felicitatem activam. — Magna vita, cui tam ingens præmium decernitur. Magna profecto, sine qua neque esset apud homines correctio morum, neque passionum cohibitio, neque disciplina virtutum; neque prudentia actiones dirigeret, nec justitia contineret, nec fortitudo partem irascibilem stabiliret, nec temperantia concupiscibilem ordinaret. Sine illa non esset in Ecclesia doctrina, non esset peccatorum punitio, nec bonorum operum præmium,

non sacramentorum administratio. Deessent misericordiæ opera, neque aliquis cibaret famelicum, potaret sitibundum, vestiret nudum, aut visitaret infirmum. Tandem hominum procuratio, et communitatum gubernatio, totiusque reipublicæ administratio deficeret. Quia hæc omnia præstamus ministerio hujus vitæ, quæ vocatur activa.

1157. D. Thomas, 2 2, q. 181, art. 3, dicit quod docere est actus vitæ activæ quando homo interius concipit aliquam veritatem, ut per eam in exteriori actione dirigatur. Et in eodem articulo dicit Sanctus: Aliud vero objectum doctrinæ est ex parte sermonis audibilis. Et sic objectum doctrinæ est ipse audiens. Et quantum ad hoc objectum omnis doctrinæ pertinet ad vitam activam, ad quam pertinent exteriores actiones. Et sic merito hæc vita potest appellari bonarum actionum effectrix: quare ejus scopus erit bonas actiones præstare, quæ Deo placent, et præmium æternum, post hujus vitæ mortalis cursum, accipient. Studiosas autem actiones non præstat, qui bonus non est, dicente Domino: Non potest arbor mala bonos fructus facere. Hæc igitur vita, ut bona opera reddere possit, suum sectatorem debet bonum et studiosum efficere. At non est studiosus qui vitiorum labe corrumpitur. Non est studiosus (*qui*) quæ non amanda sunt, amat; quæ non odienda sunt, odit.

1158. D. Thomas, 2 2, qu. 182, art. 4, quærit utrum vita activa sit prior quam contemplativa, et respondet in corpore articuli quod vita activa est prior quoad nos, quia scilicet est prior via generationis, quia disponit ad contemplationem. Dispositio enim via generationis præcedit formam, quæ simpliciter et secundum suam naturam est prior. Et, solutione ad 1, dicit: Sine contemplativa vita intrare possunt ad cœlestem patriam qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bene operari quæ possunt. Ex quo etiam patet quod vita activa præcedit contemplativam, sicut id quod est commune omnium præcedit in via generationis id quod est proprium perfectorum. Et, solutione ad 2, dicit quod a vita activa proceditur ad vitam contemplativam secundum ordinem generationis. Hæc ille. — Martha, quæ typus vitæ activæ est, Dominum hospitio suscipit; Maria vero, quæ vitam contemplativam signat, ad pedes Domini, jam in propriam domum admissi provoluta quiescit. Unde optime

Bernardus, serm. 3, De Assumpt., in princ.: Sed prior natu Martha videtur, et salutis initium sibi magis actio quam contemplatio noscitur vindicare. Laudat Christus Mariam, sed a Martha suscipitur. Amat Rachelem Jacob, sed Lia supponitur ignoranti. Ex quo liquet primo loco vitam activam in tractationem esse vocandam, quæ in cœlum properantibus hospita primo se offert, atque hilari vultu et serena facie eos in domum suam excipit.

1159. D. Thomas, 2 2, qu. 182, art. 2, quærit utrum vita activa sit majoris meriti quam contemplativa. Et respondet quod absolute vita contemplativa est majoris meriti quam activa, quia radix merendi est charitas: cum autem charitas consistat in dilectione Dei et proximi, et diligere Deum secundum se est magis meritorium quam diligere proximum, ideo illud quod directius pertinet ad dilectionem Dei, magis est meritorium ex suo genere, quam id quod directe pertinet ad dilectionem proximi propter Deum. Vita autem contemplativa directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei. Vita autem activa directe ordinatur ad dilectionem proximi, quia satagit circa frequens ministerium, ut dicitur Lucæ x. Et ideo ex suo genere contemplativa vita est majoris meriti quam activa. Dicit tamen D. Thomas in eodem articulo: Potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur quam alius in operibus vitæ contemplativæ: puta si propter abundantiam divini amoris, ut ejus voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinæ contemplationis ad tempus separari, sicut Apostolus dicebat ad Rom. IX: Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Quod exponens Chrysostomus in lib. De compunctione, dicit: Ita totam mentem ejus demerserat amor Christi, ut etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabile erat, (*hoc est*) esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret.

1160. D. Thomas in III, dist. 31, q. 2, art. 3, quæst. 3, dicit quod per Joannem signatur vita contemplativa, quæ familiariorem habet Deum, quamvis activa sit fructuosior et laboriosior, quæ significatur in Petro. Et idem Sanctus, 3 p., q. 20, art. 4 ad 3: Dubitatio de Petro et Joanne multipliciter solvitur. Augustinus namque refert hoc ad mysterium, dicens quod vita activa, quæ significatur per Petrum, plus diligit Deum quam

vita contemplativa, quæ significatur per Joannem, quia magis sentit præsentis vitæ angustias, et æstuantius ab eis liberari desiderat, et ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia magis eam conservat. Non enim finitur simul cum vita corporis, sicut vita activa. Hæc ille. — Quod vita activa sit fructuosior et laboriosior, significatur in illis verbis Job XXXI: Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Et rursus: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et XXXII: Oculus fui cæco, et pes claudo: pater eram pauperum. D. Thomas: " Ab infantia crevit mecum miseratio; „ quanto enim magis crescebat in annis, tanto magis in misericordiæ operibus exercebatur. Secundo, quia naturalem inclinationem habebat ad misericordiam, sicut diversi homines ad diversas virtutes quasdam naturales inclinationes habere solent, unde subdit: " Et de utero matris meæ egressa est mecum, „ quia scilicet ex primis generantibus sic dispositus fui, ut essem ad miserendum promptus. " Foris non mansit peregrinus „ quin scilicet in domo mea reciperetur. " Ostium meum viatori patuit „ ut scilicet ei non esset difficilis ingressus.

1161. D. Thomas in III, dist. 35, q. 1, art. 4, quæst. 1: Duplex est ratio boni. Aliquid enim dicitur bonum quod propter se ipsum est desiderandum, et sic vita contemplativa simpliciter melior est quam activa, inquantum magis assimilatur illi vitæ, ad quam per activam et contemplativam nitimur pervenire: unde et contemplativa est finis activæ, et fini ultimo vicinior. Aliquid vero dicitur bonum quasi propter aliud eligendum, et in hac via vita activa præeminet contemplativæ. Vita enim contemplativa non ordinatur ad aliquid aliud in se ipso, in quo est, quia vita æterna non est nisi quædam consummatio contemplativæ vitæ, quæ per vitam contemplativam in præsenti quodammodo prælibatur; unde non restat quod ordinetur ad aliud, nisi secundum quod bonum unius hominis ordinatur ad bonum multorum, ad quod propinquius se habet vita activa quam contemplativa. Unde activa quantum ad hanc partem, quæ saluti proximorum studet, est utilior quam contemplativa: sed contemplativa est dignior, quia dignitas significat bonitatem alicujus propter se ipsum, utilitas vero propter aliud; sed vita activa quæ non ad alium, sed ad seipsum tan-

tum ordinatur, neque dignior, neque utilior est quam contemplativa: immo comparatur ad contemplationem sicut utile ad id, ad quod est utile. Hæc ille.

1162. D. Thomas, 2 2, q. 188, art. 6, dicit quod opus vitæ activæ est duplex. Unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina et prædicatio. Unde et Gregorius dicit in quinta homilia super Ezechielem quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. CXLIV: Memoriam suavitatis tuæ eructabunt. Et hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim majus est illuminare quam lucere solum, ita majus est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari. Eamdem doctrinam tenet 3 p., q. 40, art. 1 ad 2: Vita contemplativa simpliciter est melior quam activa. Sed vita activa secundum quam aliquis prædicando et docendo contemplata aliis tradit, est perfectior quam vita quæ solum contemplatur, quia talis vita præsupponit abundantiam contemplationis. Et ideo Christus talem vitam elegit. – Aliud autem opus est activæ vitæ, quod totaliter consistit in occupatione exteriori. Sicut eleemosynas dare, hospites recipere, et alia hujusmodi quæ sunt minora operibus contemplativis, nisi forte in casu necessitatis. Hæc ille.

1163. Ista activa vita complectitur opera misericordiæ corporalia: qualia sunt pascere esurientes, potare sitientes, operire nudos, captivos redimere, ægrotos invisere, peregrinos hospitio recipere et defunctorum corpora tradere sepulturæ. Ideo autem corporalia vocantur quia ad corporalem fratrum necessitatem sublevandam exercentur. Horum operum Tobias præbuit exemplum. Nam quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Quorum laborum merces in hac vita fuit, quod ejus orationes exaudirentur. Quando orabas enim cum lacrymis (dixit ei angelus Raphael) et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Magnum profecto præmium in hac vita operibus misericordiæ decretum, nostras orationes a Domino exaudiri, et quod postulaverimus impetrari! Ista opera S. Augustinus vitæ activæ tribuit, in hunc modum scribens: Attendamus occupationes nostras circa multa. Necessarium est mi-

nisterium corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur. Misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia invenisti esurientem. Tolle famem: cui frangis panem? Tolle peregrinationem: cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem: cui præparas vestem? Non sit ægritudo: quem visitas? Non sit captivitas: quem redimis? Non sit rixa: quem concordes? Non sit mors: quem sepelis?

1164. Quamvis multa sint dicta ex D. Thoma de vita activa, tamen Sanctus 2 2, q. 182, art. 1, resolvit quod vita contemplativa simpliciter melior est quam activa, et hoc probat in corpore articuli novem rationibus. — Quarum prima est, quia vita contemplativa convenit homini secundum illud quod est optimum in ipso, scilicet secundum intellectum, et respectu propriorum objectorum, scilicet intelligibilium: vita autem activa occupatur circa exteriora. Unde Rachel, per quam significatur vita contemplativa, interpretatur visum principium: vita autem activa significatur per Liam, quæ erat lippis oculis, ut Gregorius dicit, VI. Moral. — Secunda, quia vita contemplativa potest esse magis continua, licet non quantum ad summum contemplationis gradum. Unde et Maria, per quam significatur vita contemplativa, describitur secus pedes Domini assidue sedens. — Tertia, quia major est delectatio vitæ contemplativæ quam activæ. Unde Augustinus dicit in lib. De verbis Domini, quod Martha turbabatur, Maria epulabatur. — Quarta, quia in vita contemplativa est homo magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget. Unde dicitur Lucæ x: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.— Quinta, quia vita contemplativa magis propter se diligitur: vita autem activa ad aliud ordinatur. Unde in Psal. xxvi dicitur: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini.

1165. Mirabiliter loquitur et ad rem in expositione hujus versiculi: " Unam petii a Domino, „ idest unam rem, vel unam petitionem. III. Regum II: Unam petitionem parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam. — " Hanc requiram. „ Matth. VII: Quærite, et invenietis. — " Ut inhabitem in domo Domini. „ Domus Domini spiritualis est duplex: scilicet Ecclesia militans; I. Timoth. III: Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et fun-

damentum veritatis. Alia est Ecclesia triumphans. II. Corinth. v: Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cœlis. De utraque potest intelligi. — " Omnibus diebus vitæ meæ, „ idest usque in finem. — " Ut videam voluptatem Domini. „ Alia littera habet: " Ut contempler habitationem. „ Hieronymus habet: " Ut est merces, „ secundum Augustinum. Joan. XVII: Hæc est vita æterna, ut cognoscant, etc. — Tria sunt in illa visione desideranda, quæ naturaliter homo desiderat videre. Primo, pulchra. Summa pulchritudo est in ipso Deo, quia pulchritudo in formositate consistit, Deus autem est ipsa forma informans omnia, ideo dicit secundum unam litteram: " Ut videam delectationem Domini. „ Sapientiæ XIII: Si specie delectati duos putaverunt, sciant quanto his Dominator eorum speciosior est. Secundo, delectabilia, et fugere tristitiam, et ideo secunda littera habet: " Ut contempler delectationem Domini, „ idest bonitatem Dei, in qua est summa delectatio. Psal. XXV: Delectationes in dextera tua usque in finem. Tertio, dispositio rerum. Unde multum est delectabile scire scientiam omnium rerum quæ in mundo sunt, et ideo videre dispositionem divinæ providentiæ est maxime delectabile, et ideo dicit: " Ut videam voluptatem Domini, „ rationem a Deo volitam et dispositam. Hæc autem habemus in vita ista imperfecte et per fidem, in futura autem domo habemus perfecte, ubi sunt sancti contemplantes Deum facie ad faciem. " Ut visitem templum ejus, „ idest frequenter videam templum, idest humanitatem Christi.

1166. Sexta, quia vita contemplativa consistit in quadam vacatione et quiete, secundum illud Psal. XLV: Vacate et videte quoniam ego sum Deus. Eleganter exponit D. Thomas hunc versum. Hic finis est pacis. Finis pacis temporalis, secundum Philosophum, est contemplatio veritatis. Unde pax est utilis finis vitæ activæ: et pax ordinatur ad contemplationem. Et secundum Augustinum, Christus procuravit pacem Romani imperii, ut Apostoli discurrerent per totum mundum. Et ideo dicit ex quo est tanta pax: " Vacate et videte: „ unde patet quod Deus dat pacem, ut non vacent malis operibus, sed contemplationi veritatis. I. Cor VII: Vacetis orationi. Eccli. XXXIX. Et in prophetis vacabit. — Septima, quia vita contemplativa est

secundum divina: vita autem activa secundum humana. Unde Augustinus dicit in libro De verbis Domini: In principio erat Verbum: ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est: ecce cui Martha ministrabat. — Octava, quia vita contemplativa est secundum id quod est magis proprium hominum, scilicet secundum intellectum: in operationibus autem vitæ activæ communicant etiam inferiores vires, quæ sunt nobis et brutis communes; unde in Psal. xxxv, postquam dictum est: Homines et jumenta salvabis, Domine, subditur id quod est hominibus speciale: In lumine tuo videbimus lumen. — Nonam rationem addit Dominus, Luc. x, cum dicit: Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Quod exponens August., libro De verbis Domini, dicit: Non tu malam, sed ista meliorem: Audi unde meliorem: Quia non auferetur ab ea. A te autem auferetur aliquando onus necessitatis: æterna est dulcedo veritatis. Secundum quid tamen, et in casu, est magis eligenda vita activa propter necessitatem præsentis vitæ.

Adde Append., n. 431.

ARTICULUS XV.

De oratione recollectionis.

1167. Recollectio nihil aliud est quam secessus, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, et ab exterioribus elongatur. Duo sunt hujus recollectionis modi: primus quidem activus, secundus autem passivus. — Primus industria nostra, sed cum auxiliis divinæ gratiæ solet adquiri; secundus ex pura liberalitate Dei supernaturaliter communicatur. De primo loquitur D. Thomas, 2 2, q. 83, art. 12: Oratio singularis, seu particularis, non est necesse quod sit vocalis; adjungitur tamen vox ad excitandam devotionem qua mens orantis elevatur in Deum: quia per exteriora signa, sive vocum, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem. Unde Augustinus dicit ad Probam quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Et ideo in singulari oratione tantum est vocibus et hujusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandam interius mentem. Si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est a talibus

cessandum. Quod præcipue contingit in his quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata, et recollecta industria nostra cum auxiliis divinæ gratiæ.

1168. Ad istum modum orationis sufficit considerare Deum intra nos ipsos, et quod ad alloquendum Deum non opus est cœlum ascendere, vel alta voce clamare: certum est enim quod ubicumque voluerit anima Deum alloqui, quantumcumque submisse loquatur, certe audietur; et si bene loquatur, infallibiliter exaudietur: non indiget alis ut ad eum inquirendum volet, sed sufficit quod manens in solitudine et recollecta consideret eum intra se. Et iste modus vocatur recollectionis, quia suas omnes potentias colligit anima, et se ipsam intrat, ibique magister divinus illam instruit, et orationem quietis concedit. Ibi anima in se collecta potest Passionem considerare, Filium sibi repræsentatum æterno Patri offerre: nec opus est quod ad Calvariæ montem, vel ad hortum olivarum, vel ad columnam sua discurrat imaginatione. Qui hoc modo se in cœlo animæ suæ poterit includere, ubi Creator ipsius moratur, et assuescet nec respicere, nec stare, ubi sensus externi distrahebantur, credat quod per viam rectam et bonam incedit, et quod sine dubio brevi ad Fontem aquæ vivæ perveniet. — Non est oratio supernaturalis modus iste recollectionis, quamvis haberi non possit absque speciali auxilio Dei, sed cum illo potest a nobis adquiri: cum hic non sit silentium potentiarum, sed tantummodo collectio ipsarum in seipsis. Potest diversis adquiri mediis: sed opus est ut ab omni re exteriori nos liberemus, ut interius Deo adhæreamus; et si necessaria instet occupatio, saltem per momentum identidem nos colligere debemus in intimo cordis, recordati quod ibi societatem habemus valde utilem. Ad hanc etiam recollectionem plurimum conducit assuescere intellectum quietare, ut attendat his quæ dicit, illi cum quo loquitur: ad hoc enim necesse est sensus externos intra se colligere, ibique eos occupare. Tandem opus est credere quod ad loquendum cum Deo, non debemus vocem elevare vel diu clamare, cum Deus ipse præsens habeatur, qui suam præsentiam pluribus signis manifestabit: sufficit igitur quod intelligamus nos cum illo esse. Multum doleamus quod Deum intra nos existentem sæpissime solum reliquerimus, et in posterum sæpius in die nos ad eum interius colligamus.

1169. De secundo modo recollectionis loquitur D. Thomas in I., dist. 41, art. 2 ad 3: Vocatio semper est temporalis ad gratiam, cui respondet electio temporalis et æterna: hæc autem vocatio est vel interior per infusionem gratiæ, vel exterior per vocem prædicatoris. Interior autem vocatio et temporalis electio ad gratiam semper sunt simul, sed differunt secundum rationem, quod electio inquantum dicit segregationem respicit terminum a quo, vocatio autem terminum ad quem. Solet ergo Dominus animam contemplatricem exterioribus vacantem, aut vocaliter orantem, vel aliquid utile considerantem in momento vocare per sanctam inspirationem, et intellectum, et affectum, et cogitationem, ipsa quasi nihil faciente ad interiora colligere, et ante illam mensam lucis et amoris quibus abunde reficiatur apponere. Tunc ipsa non gravate, sed lubenter: immo quasi tracta ab alio (et revera tracta est) exteriora deserit, et quasi naturaliter ipsos corporis oculos claudit, et visum, et auditum, et reliquos sensus ad interiora convertit. Est jam per virtutum exercitationem, et assiduam cum Deo communicationem quasi cœlum Dei, in quo ipse gratanter habitat. Est domus regia illius supremi Domini, in qua ipse jucundissime commoratur. Quare ut dominus, et ut paterfamilias, sæpe ancillas bene morigeratas vocat, quæ ad jussum ejus repente omnia quæ habebant in manibus deserunt, et se coram illo ad interiora recipiunt.

1170. Hic ingressus animæ ad intimum cordis sui opus Dei est, et vocationis ejus per gratiam inspirationis. In cujus signum manifeste Dominus sibi istud opus attribuit. Osee 2: Ecce ego, inquit, lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. " Lactat, „ idest instinctibus et vocibus internis allicit; " Ducit in solitudinem, „ cum omnes vires ejus ad interiora colligit; " Loquitur ad cor, „ cum blande et amanter de opportunis ad puritatis augmentum erudit. Et Proverbiorum IX: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent, ad arcem et ad mœnia civitatis. O anima, te ipsam agnosce! Si per istos gradus ad perfectionem charitatis ascendis, domus Dei es. Columnæ septem tuæ, virtutes septem tuæ sunt: tres theologicæ, quatuor morales. Victimæ sunt multiplices affectus tui, quos

Sapientia divina immolat, quia præcipua eorum causa existit. Vinum mistum et temperatum consolatio cœlestis est, quæ pura et inebrians alteri tempori reservatur. Mensa est sancta conversatio tua, ad quam accumbens abunde reficeris. His ita dispositis ac præparatis misit Dominus inspirationes suas tamquam ancillas, ut docet D. Thomas, quæ vires omnes tuas, et affectiones tuas vocent ad arcem cordis tui.

1171. De hac recollectione loquitur D. Thomas explicans illud Joan. x: Oves vocem ejus audiunt. Dicit Sanctus: Ex similitudine naturalis pastoris attenditur, quia sicut ovis ex consueta imaginatione recognoscit vocem pastoris, sic fideles vocem Christi. Psal. xciv: Hodie si vocem ejus audieritis. Quia sciunt vocem ejus et delectantur in ea. Cantic. ii: Sonet vox tua in auribus meis. Christus pastor est animæ, et ut bonus pastor sibilo inspirationis suæ omnes potentias in unum colligit, et ad suam præsentiam adducit. — D. Thomas explicans illud Job iv: Et vocem quasi auræ lenis audivi, dicit sic: Intelligitur de inspiratione qua ad interiora recolligit. Et adducit illud Eliæ, III. Regum cap. xix, quod post commotionem tenuis auræ sibilus ubi Dominus auditus est. Quando hoc modo quis sentit intra se collectum, si Dominum præsentem, inspicientem, et auscultantem percipiat, cum suavi potentiarum silentio, et interna mentis quiete ipsi adhæreat, et amoroso potius intuitu quam formato discursu cum eo colloquatur: imo si vellet intellectualem discursum formare, suam quietem et intimam Dei communicationem turbaret. Debet igitur anima intra se et ad Deum collecta se totam ipsi Domino dirigendam relinquere, nec de quovis alio curare: quælibet namque ejus operatio, vel particularis advertentia sacrum hoc otium impedire potest, et imaginationem ad operationes distractivas excitare: quando enim suspendit Dominus intellectum a sua naturali operatione, in alio solet occupare, superiorem ei communicans lucem, et tunc brevi tempore plus discit quam longo disceret industria sua.

1172. De ista recollectione loquitur D. Thomas, explicans illud Psal. xliv: Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam. Dicit Sanctus: " Audi, filia, „ verbum Christi; Jacobi i: Sit omnis homo velox ad audiendum; Lucæ xi: Beati qui audiunt verbum Dei. " Et vide: „ per fidem hic, sed in futuro videbis per

speciem; I. Corinth. XIII: Videmus nunc per speculum, etc. " Inclina aurem tuam, „ scilicet per humilitatem ut obedias. Eccle. VI: Si inclinaveris aurem tuam, accipies doctrinam. Aliter explicatur: Audit, cum attendit ad verba Domini; videt, cum ea percipit atque intelligit; inclinat aurem, cum se morigeram et obedientem præbet. Facit Deus animam hortum suum, in quo semina, non solum florum, idest sanctorum desideriorum, jacit: verum et fructuum, idest perfectissimarum actionum, spargit. Cantic. IV: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus. Divus Thomas: Hortus est, quia spiritualium virtutum germina profert, quæ in sequentibus aromatum vocabulis designantur; conclusus, quia domini sui adjutorio munita est. Conclusus, non solum affectionibus rerum terrenarum clausus, verum et cogitationibus inutilibus obseratus. Conclusus recollectione omnium potentiarum.

1173. De ista recollectione seu de hoc sacro silentio loquitur D. Thomas explicans illud Isa. XXXII: Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. Quoniam Dominus qui justitia animæ est, eam sua præsentia pacificat, et hoc sacro silentio, quo ipse perfectissime laudatur. Jeremiæ Threnor. III: Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. D. Thomas: Patienter sine murmure; Isaiæ XXX: In silentio et spe erit fortitudo vestra. Silet autem anima, cum luce et amore crescente desideriorum patefactio, et opportunorum postulatio cessat, et ad quamdam suspensionem intelligentiæ transfertur, et ad ardentissimum amorem locutiones illas internas impedientem elevatur. Tunc intellectus præ admiratione ejus veritatis, aut pulchritudinis quam videt, tacet, nec discursibus, aut ratiocinationibus procedere vel loqui libet. Tunc imaginatio a Domino ligata, et veluti attonita effecta, mutire non audet, nec per varia divagari præsumit. Tunc intellectus quasi ferrum a magnete tractum, illi summo bono inspiciendo inhæret. Tunc imaginatio velut canis, cui ex mensa aliquæ reliquiæ datæ sunt, aliquid aliud, quo pascatur, non quærit. Tunc denique intellectus a verbis abstinet, quia quid proferat nescit; et imaginatio ab illo uno suavissimo ferculo, quod sibi communicatum est, ut alia evolvat non recedit. Breviter, omnia in homine tacent, sensus non perstrepunt, desideria quiescunt, et intellectum atque affectum in sua tranquillitate relinquunt.

1174. Advertendum tamen est in hoc silentio animæ contemplativæ divinam laudem non deesse: quinimmo per hoc silentium Deum ab ea quodam genere laudationis perfectiori laudari. Nam suprema laus est ad admirationem inspectæ magnitudinis verba supprimere, et tacendo se ad depromendas laudes imparem confiteri. Si hoc mistum admirationi silentium non esset laus, non dixisset Leo Papa de Verbi incarnatione loquens: Gaudeamus igitur quod ad eloquendum tantæ misericordiæ sacramentum impares sumus; et cum salutis nostræ altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse quod vincimur. Nec dixisset David: Te decet hymnus; vel ut Hebræi habent: Tibi silet laus in Sion, ut tibi reddatur votum in Jerusalem. Nam revera anima illa, quæ templum Domini, et quasi acervus beneficiorum ejus est, tunc eum perfectissime laudat, cum laudes ejus admirando et tacendo prædicat; et tunc votum reddit, cum se totam igne amoris absumit, et verum holocaustum efficit. In hoc ergo silentio Deus summe laudabilis intelligitur, quem ideo mens non laudat, quia magnitudo ejus, qui laudandus esset, limitatis laudibus promendis obsistit. Ideo non petit, quia ab amabilissima providentia nobis benignissime consulente, et vota nostra præveniente, nihil tunc petendum occurrit. Ideo non loquitur, quia illum Dominum se per rimulas ostendentem magis silentio quam verborum conceptione veneratur.

1175. De ista recollectione seu de hoc sacro silentio loquitur D. Thomas, q. XIII, De veritate, art. 2 ad 9, his verbis: Quandoque enim intelligitur abstractio ab exterioribus quantum ad intentionem tantum, ut scilicet cum quis exterioribus sensibus et rebus utitur, sed tota sua intentio divinis inspiciendis et diligendis vacat. Et sic in excessu mentis est quilibet divinorum contemplator et amator. Ex quo sequitur quod causa silentii est magnitudo lucis quæ communicatur in hac contemplatione, magnitudo amoris, ac fervor devotionis. Oritur primo silentium ex magnitudine lucis: quoniam mens plus solito illuminata ad tantum bonum quod aspicit, præ admiratione tacet, et obstupescit. Nam et in humanis etiam rei novitas quam admiramur, loqui prohibet: quid mirum, si quod Deus de se revelat verborum etiam interiorum et cogitationum conceptionem intercipit. Richardus exponens illud Psal. XXVIII: Dominus

diluvium inhabitare facit, satis hoc indicat, dum lucem sapientiæ hujus diluvio comparat. Hæc igitur sapientiæ aqua in tanta quandoque copia erumpit, in tanta se dilatat abundantia, ut non solum valles impleat, campos operiat, sed et omnes montes et colles longe transcendat.

1176. Causa silentii aliquando est magnitudo amoris, qui cum moderatus est, in verba dulcia et amatoria prorumpit; dum vero nimius est, non verbis adhuc cogitatis, sed semetipso contentus est, et ardore suo satisfactus. Durante hoc silentio novit anima quid debeat facere: scilicet tacere, et illam insolitam lucem excipiens videre et diligere. At luce vesperascente ad dulcia colloquia redibit, desideriis suis Dominum interpellabit, et secundum quod impulsa fuerit, instinctu Domini sibi et aliis utilia postulabit. Nam si quis fugiente luce conaretur se in illo silentio continere, certum est quod in vanum laboraret. Sicut enim non est in potestate hominis quod aurora adveniat, et illucescat, ita non subest ei quod adveniente vespera, lux non abscedat; et quemadmodum vanum est ante lucem surgere, ita et post abeuntem lucem ad eam tenendam properare.

1177. Signum et simul effectus hujus recollectionis est quod anima sic intra se collecta, et Deo adhærens, res omnes mundanas et caducas ut tales æstimat, et despiciendo velut stercora arbitratur, quantumcumque prius æstimaret: imo sic eas abhorret, ut nec videre vellet. Solet qui est in hoc statu clausis orare oculis; internam animi fortitudinem experitur, quamvis corpus ipsum debilitetur; et quamvis non statim in principio hæc omnia percipiantur, cum in hac recollectione sit magis et minus, brevi tamen percipiuntur, si talis recollectio sæpius a Domino concedatur animæ. Nec tamen inde ullus superbiæ vel æstimationis propriæ sensus exurgit: imo majoris humilitatis occasio nascitur, dum anima tot tantaque conspicit in se ipsa Dei beneficia, et aliunde se in multis aliis defectuosam videt, et ingratissimam erga tam benignum ac misericordem Dominum arbitratur: hoc enim proprium habet lex divina in hoc sublimi statu communicata, quod ita mirabilem animæ profectum manifestat, ut simul ostendat esse donum Dei vilissimæ et ingratissimæ communicatum creaturæ. Propterea solent sancti Patres communiter dicere quod dona Dei viris perfectis (quales in hoc statu supernaturalis omnino recolle-

ctionis inveniuntur) collata humilitatem, non superbiam inspirant: quamvis alias sæpius et in hoc statu etiam contingere possit ex innata defectibilitate animæ, quod ex hujusmodi gratiis sumat occasionem superbiæ. Unde caute ac humiliter procedendum est, et adhuc in statu timendum.

ARTICULUS XVI.

De oratione quietis.

1178. Quies, prout ad præsens attinet institutum, nihil aliud est quam jucunditas quædam voluntatis nihil quærentis, nisi sic in Deo perseverare. Videt se anima juxta Deum, videt se ab eo amatam, et in magno pretio habitam, et non aliter quam filiam charissimam, singulari ejus providentia protectam atque circumdatam: et in hoc voluntas amore quiescit, tamquam in complemento sui desiderii, quod jam consecuta est. Alii dicunt (quod idem sub diversis verbis) quod ex interiori recollectione nascitur aliquando in anima quies et pax interna multum deliciosa, tamque suavis, ut sibi nihil ultra desiderandum appareat, quia Dominus eam prope se collocat, secum unit, et tantam concedit potentiarum quietem, ut prægustandum aliqualiter ei concedat cujus sit saporis bonum illud, quod electis suis in regno cœlorum communicat. Unde dici potest quod hæc oratio sit quædam amoris divini scintilla, quam Deus accendit in anima: vult enim quod anima divinum suum amorem cum suavitate experiatur.

1179. Iste gradus orationis ordinarie non communicatur nisi his qui mentalis orationis exercitium diu tenuerunt: aliquando tamen statim a principio conceditur. Dominus enim sua concedit dona cui vult, quando vult, quomodo vult. Iste gradus orationis est effectus doni sapientiæ, ut dicit D. Dionysius, c. 4, De divinis nominibus: Unitivum divini et unius amoris in divina sapientia ordinatum est ad sursum actionem. Et in eodem loco D. Thomas hoc etiam habet, 2 2, q. 5, art. 1 ad 2, quamvis in eadem 2. 2, q. 45, art. 5, inclinet quod est effectus sapientiæ prout est gratia gratis data. Dicit Sanctus: Quidam autem altiori gradu percipiunt sapientiæ donum. Et quantum ad con-

templationem divinorum, inquantum scilicet altiora quædam mysteria et cognoscunt, et aliis manifestare possunt; et etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas divinas, inquantum possunt secundum eas non solum se ipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus sanctus distribuit prout vult, secundum illud I. Corinth. XII: Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, etc.

1180. De ista oratione quietis loquitur D. Thomas explicans illud Cant. II: En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Dicit Sanctus: Surge de strato tuo illo tibi dulcissimo, hoc est de quiete qua mihi soli placere desideras. De illo tempore contemplationis: aliquo enim tempore debent sancti contemplationi insistere, et mentem suam cœlesti quiete oblectari. Hæc ille. Hæc est illa Terra Promissa, quæ ore Domini vocatur requies, ad quam anima perfecta suspirat. Eam cupiebat Augustinus quando sic clamabat ad Dominum: Quiescat in te, Deus meus, cor meum: cor meum enim est mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, veni et ingredere super fluctus cordis mei, ut tranquilla et serena fiant omnia mea, quatenus te unicum bonum meum amplectar sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Jure autem anima hanc quietem suspirat, in qua multa delectatione repletur, qua ad perfectionem abnegationis, et ad perferendos hujus vitæ labores roboratur. Neque incongrue ei applicatur illud Job XXXVI: Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. Requies enim mensæ, ut Gregorius ait, est refectio satietatis internæ. Quæ pinguedine plena dicitur, quia in æternæ voluptatis delectatione præparatur. Hæc tanta est ut libenter animus in ea jugiter immoraretur, nec vellet ab ea separari si posset.

1181. De ista quiete loquitur D. Thomas explicans illud Cant. II: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Dicit Sanctus: Tu, inquam, dilecta mea, quæ in lecto contemplationis dulcissime requiescis, veni et ostende faciem tuam mihi, et a secreto quietis egredere ad publicam actionem, et pulchritudinem bonorum operum tuorum aliis ad exemplum de-

monstra. Hæc ille. — Cum res quælibet sit in quiete dum perfectionem suam adepta est, illique conjuncta, et spiritus noster unitur et conjungitur summo perfectibili per amorem perfectum, ut exinde quietetur, satietur, stabiliatur necesse est. Sic materia in forma habita, sic lapis in centro positus, sic res quælibet in adepto fine suo quietatur. Anima quippe rationalis, dum conjungitur et unitur Deo, copulatur suo summo bono. Est enim Deus summum bonum ejus, est centrum ejus, finis, totaque ejus perfectio. Quid ergo aliud ipsa requireret? Aut ad quid aliud ulterius inhiaret? Hic anima quod fide antea noverat quasi per experientiam intelligit, se nimirum a Deo videri, se tenerrime diligi, se audiri; se prope illum esse, qui promptissimus est ei benefacere, et postulata concedere. Ideo gaudet et quiescit, sicut puer cui post lacrymas et gemitus datum est ut in gremio matris sedeat, et lac ex ejus uberibus sugat. Interim sentit se ad laudandum, et ad postulandum pro se, et pro aliis incitari. Ad postulandum, inquam, non tam verbis intellectu conceptis, quam desideriis voluntate, cui hoc convivium jucunditatis et deliciarum instruitur, protelatis.

1182. De ista quiete loquitur D. Thomas exponens illud Cant. II: Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Dicit Sanctus: Quia in ejus protectione confido, et ab eo inter adversa gubernari spero. Umbra enim Christi protectio divinitatis est, qua electos tuetur et defendit. " Fructus dulcis gutturi meo, „ idest divinitatis contemplatio qua me satiari confido. Cognitio præsentiæ Dei in isto gradu orationis animam protegentis, talis est ut si cum claritate aliorum conferatur, non sit lux, sed umbra dicenda. Cum hoc tamen in illa quiescit, quia in illa et ex illa protectionem et dulcedinem percipit. Fructus in hac umbra gustatur dulcissimus, qualem antea anima nunquam gustaverat, ideo in umbra libenter pausat, et aliquid aliud quærere aut desiderare detrectat. D. Laurentius Justinianus ait: Inveniuntur quoque aliqui in terra, quamvis in numero pauci, qui corde sagitta divini amoris transfixi suaviter, concremantur delectabiliter, jugiter super se feruntur in Deum, laudis obsequium frequenter exsolvunt Domino jubilatione permixtum. Cantant et gemunt, clamant et laudant; quiescendo tacent, et vociferando discurrunt; tenent et quærunt, atque amoris brachiis sponsum amplexando

liquescunt. Est namque quiescentium oratio humilis, compunctione lacrymosa, gratiarum actione referta, exultatione jucunda, amoris flamma succensa, et in divinis laudibus delectabiliter occupata. Hoc convivium ad voluntatem pertinet. Quoniam interdum voluntate quieta et blanda manente, intellectus distrahitur, qui suaviter trahendus est.

1183. Simul cum hac quiete summa satisfactio et gaudium animæ, maximaque corpori accidit delectatio: nam anima tam læta ex hoc solo remanet, quod se prope Fontem aquæ vivæ sentiat, quod pene satiata sibi videatur, etiamsi nondum biberit, nec reputat sibi superesse aliquid ultra desiderandum. Tam quietæ sunt potentiæ, quod non audent se movere; non quod suspensæ vel ligatæ sint: imo sentiunt se prope Deum stare, et memoria ac intellectus sunt liberi ad proprias operationes: sola voluntas manet captiva et Deo unita; quod si in hoc statu patiatur aliquid, est sentire quod ad suam libertatem pristinam redire potest. Nollet intellectus aliquid aliud intelligere, nec memoria in aliis occupari: vident enim clare quod hoc unum est necessarium, et cætera omnia multum inquietant. Nollent quod corpus moveretur: timent enim ne minimo motu pacem quam possident amittant; loqui fastidium parit, et vix spatio unius horæ Dominicam orationem possunt recitare; hic accidunt quædam lacrymæ dulces, et cum magna suavitate profluentes. Videtur ipsis quod non sint de hoc mundo, nec quidquam aliud videre vel audire vellent quam Deum suum: nihil ipsis causat laborem, nec causare posse videtur. Denique toto tempore quo durat hæc pax et quies interna, voluntas propter delicias quibus fruitur, sic manet absorpta, ut nihil sibi ulterius optandum appareat, et libenter cum S. Petro diceret: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.

1184. Prætendit hac via Dominus quod intelligat anima Deum sic ei præsentem, quod non indiget nuntiis quibus cum eo possit agere, sed quod ipsa possit eum immediate alloqui; nec alte clamando: cum enim proximus adstet, sufficit ei quod labia sua aperiat. Et quamvis nos semper et ubique Dominus audiat, specialiter tamen in hoc statu quietis internæ facit nos concipere quod ipse nos audit, et quid nobis operetur ejus præsentia: et significat aperte quod incipit operari secrete in

anima, sublevando ipsam de propria miseria, et aliqualem gloriæ notitiam experimentalem infundendo, ac tantam satisfactionem internam et externam communicando, quod totum ejus vacuum implere videtur. Hæc satisfactio est in intimo animæ centro, quæ nescit quo medio, vel qua via venerit: imo sæpe nescit anima quid tunc faciat, quid velit, quid petat; videtur sibi simul omne bonum invenisse, et nescit quid invenerit. — Ad hunc quietis internæ statum multæ pertingunt animæ, præsertim religiosæ: sed paucæ sunt quæ superius ascendant. Unde opus est quod anima in hoc gradu constituta agnoscat dignitatem suam, et cum humili reverentia gratiam sibi concessam æstimet, ut sic evitet pericula redeundi in Ægyptum, et assumat animum ulterius procedendi in Terram cælestis Promissionis: credat quod Deus ipsam ad magnum aliquid patrandum eligit; et quod hæc amoris divini scintilla quamvis exigua, multum prodibit, et magnum ignem accendet, si propria ipsius malitia non extinguatur.

1185. Qui sunt in hoc statu unionis, non procurent sua industria gustus et suavitates internas in hoc statu communicatas cum affectu nimio conservare: sunt enim aliqui qui ex hoc motivo ducti non audent respirare. Verum quidem est quod similes favores cum humilitate et gratiarum actione recipientes, debent soli Deo vacare, et pacem internam animæ, quantum in ipsis est, sedulo custodire, ne sua incuria tam delicatas et pacificas communicationes amittant: sed tamen cum omnimoda resignatione his debent frui, ita quod parati sint eorum subtractionem et carentiam æquanimiter tolerare; quod multum proderit, si sibi persuadeant quod sicut industria propria non possunt acquirere, sic nec proprio poterunt studio conservare: Dei namque misericordis est illas concedere, continuare, vel etiam suspendere, vel omnino tollere, cum ad majorem gloriam suam, et ad utilitatem animæ conveniens esse judicaverit. Unde præsupposita humilitate, gratiarum actione, et resignatione prædicta, procedat suaviter anima: vel potius maneat sine strepitu potentiarum, et procuret non solum intellectu non discurrere circa alias materias, sed nec circa illa quæ sibi tunc communicantur: imo nec prædictos actus humilitatis, gratiarum actionis et resignationis efficaciter eliciet, sed tantum suaviter et simplici velut intuitu illis

consentiens. Et tandem se debet amorosæ Dei dispositioni totaliter committere, quæ tunc ipsam in omnibus diriget, sive in recipiendo, sive in operando; principaliter tamen inclinandis suaviter prædictis actibus debet immorari.

1186. Dum anima in hoc quieto gradu orationis constituta fruitur interna pace, si discurrentem hinc inde et distractum advertat intellectum aut imaginationem, non multum in eis coercendis laboret, quia vix poterit illas revocare potentias, vel tunc continere, et seipsam violento labore perperam assumpto perturbans, internæ suæ quieti nocebit; et sic nihil proficeret, et multum perderet. Sciat quod absque intellectus diligentia, sed suavi communicatione divina talibus deliciis fruitur, non secus ac parvulus lactis suavitate potitur sine proprio labore, dum ei mater ab uberibus lac exprimit. Unde tunc anima fruatur pace illa communicata, et parum curet de inordinatis intellectus et imaginationis discursibus: hæ namque potentiæ, si violenter reprimerentur, totam inquietarent animam, quod sibi dimittantur. Contingit hic aliquando quod anima simul cum voluntate manens pacifica, et satis intime Deo unita, permittat alias potentias vacare his quæ divini sunt obsequii, et utilitatis proximi; et tunc intellectus advertit se non totaliter exterius in illis occupari, sed simul interius detineri, majorem tamen potentiæ habent capacitatem circa res divinas quam circa mundanas: imo circa istas quasi penitus ineptam se anima experitur; et sic anima simul et semel Mariam in vita contemplativa, et Martham in activa repræsentat.

1187. Qui sunt in hoc gradu contemplationis seu orationis, propriam corporis complexionem considerent, et juxta ductum prudentis sui directoris, favoribus sibi communicatis utantur, vel abundantius vel sobrie. Posset enim fieri quod qui sunt debilioris complexionis, viribus corporis exhaustis, paulatim consumantur, et capite læso desipiant, si plus nimio internæ quietis gustibus adhæreant: imo tunc raptus supernaturales hanc orationem quietis aliquando consequentes credentur, quæ sunt deliquia mere naturalia: sed experti et prudentes directores facile discernent, quia in deliquiis naturalibus sic anima cum potentiis deficit, ut nihil tunc agat nec advertat, sed in raptibus semper anima videt, advertit, vel audit aliquid. Similiter si sint humoris nimium melancholici, facile sibi communica-

tiones internas fingent, prædominante in eis imaginatione; unde fictos, non veros Dei favores, puta visiones et locutiones, etiam absque malitia, tamquam sibi factos narrabunt; quod adhuc magis periculosum est, si hujusmodi favores desiderent: desiderium namque imaginationem ad eos fingendos excitabit; quod si interna superbia moventur, periculosissimum erit: ex professo quippe possent alios fictis imaginationibus decipere. Unde qui sic male naturaliter sunt affecti, non debent ultra vires internis occupari orationis hujus exercitiis.

1188. Differt hæc oratio quietis ab oratione unionis, quia in oratione unionis ad spiritualem sui refectionem habet se anima velut passive: nec enim in sumendo laborat alimento, illud intra se reperit, nesciens quomodo hoc fiat. In hac autem oratione quietis aliquantulum laborat anima, quamvis tam suaviter et tranquille, quod laborem non sentiat. — Deinde in oratione unionis omnes animæ potentiæ sæpius a sua connaturali operatione suspenduntur, ut Deo penitus unitæ his quæ vident et audiunt suaviter attendant, et internis fruantur deliciis. Sed in oratione quietis intellectus et imaginatio sæpius hinc inde discurrunt, et licet facilius quam in oratione recollectionis interius revocentur, hoc tamen affligit animam, et aliqualiter pacem et quietem ejus perturbat.— In ista oratione quietis quasi somnians anima dubitat an ea quæ percipit vera vel tantum per imaginationem efficta sint: an a Deo, vel a dæmone se in angelum lucis transfigurante fuerint communicata. In oratione autem unionis, nec imaginatio, nec memoria, nec intellectus potest tantum bonum impedire, nec dæmon immisceri vel damnum afferre. — In oratione quietis, licet anima pascatur suaviter a Deo cibum spiritualem ministrante, laborat tamen in cibo deglutiendo, sicut contingit in parvulo lactante, qui paratum in maternis uberibus lac habet, sed tamen aliquantulum laborat, tum sugendo, tum deglutiendo. Sed in oratione unionis alimentum spirituale sibi videt interius communicatum, nesciens qua via; et hoc ideo, quia tunc Deus est in intimo ejus centro, ubi maximas ei gratias influit, nec aliud quam consensum ab ea petit.

1189. Effectus orationis quietis sunt pax interna remanens etiam transacta illa quiete, profunda humilitas, habilitas, et dispositio ad exercitia spiritualia; lux cœlestis in intellectu,

et in voluntate firmitas ad bonum et reliquas virtutes, quas Dominus ipse multo excellentiores concedit, quam propria possint industria acquiri: nam humilitas verbi gratia hic concessa propriam generat confusionem, et certam nostræ infirmitatis cognitionem inspirat, qua vellemus nos ipsos coram Deo annihilare, certo scientes quod nihil boni procedit a nobis, sed quod omne datum optimum et omne donum perfectum descendit a Patre luminum; et quo majores conceduntur gratiæ, eo magis etiam prædicta cognitio crescit. Sed specialiter discurrendo, dicimus quod inter alios effectus orationis quietis est desiderium proficiendi in oratione, nec ipsius exercitium dimittendi; licet in eo continuando plurimum foret laborandum. Deinde est quædam moralis certitudo propriæ salutis, sed humilitati conjuncta, quæ servilem excludens damnationis timorem, inducit filialem. Ibi purum amorem Dei, absque propriæ utilitatis aut mercedis intuitu anima experitur. Vellet diutius in solitudine remanere, ut abundantius tanto bono frui posset. Nec tunc potest dubitare quin hujusmodi quieta communicatio sit Dei secum familiariter agentis.

1190. Sed proprius et singularis effectus hujus orationis est gustus et mira suavitas, quam ponit in anima; et hujusmodi gustus suavissimus multo excellentior est omni alio quem propria meditatione ac petitione possumus adquirere: gustus namque proprio labore ac virtutum exercitio comparatus non dilatat cor nostrum: imo cum passionibus sit mixtus, illud aliquando coarctat, natura imperfectioni communicando, a qua incipiunt, licet ad Deum terminentur: sed gustus in oratione quietis communicatus, quia Deum et ut principium et ut finem habet, cor mirabiliter dilatat. Ex hac ergo suavitate et cordis dilatatione procedit quod multum audet, dum aliquid ad majorem Dei gloriam efficiendum occurrit; expellitur timor amittendi sanitatem in mortificationis exercitio: videt enim se omnia posse in Deo qui ipsam confortat; non sic formidat labores ut ante solebat: imo sæpius desiderat eos et quærit, mundi gaudia despicit, tamquam spiritualibus deliciis minime comparanda; tandem in omni virtute profectum experitur. — Non tamen tot affectus excellentes statim a principio hujus orationis percipiuntur, sed postea successu temporis quando ex diuturna ejus perseverantia roboratur anima: unde in principio adhuc te-

nella debet externas occasiones vitare, ne forte ex sua debilitate cadat, et misere pereat.

1191. Effectus qui sequuntur ad falsam vel fictam quietem, ab imaginatione vel dæmone causatam, sunt qui sequuntur: perturbatio, defectus humilitatis, et inhabilitas ac indispositio ad exercitia spiritualia; nec intellectui lux, nec voluntati firmitas in bono relinquitur. Sed anima in his experta facile causam horum effectuum dignoscet, et quamvis ex illis inferat esse dæmonem, non tamen multum affligi debet: si namque gustum et suavitatem in quiete perceptam ad Deum dirigat, in ipso sua desideria collocet, ac simpliciter et cum recta procedat intentione, parum vel nihil damni dæmon poterit ei afferre. — *Adde Append.*, nn. 432-436.

ARTICULUS XVII.

De oratione raptus.

1192. Quamvis extasis et raptus differant secundum D. Thomam, tamen respectu orationis raptus pro eodem supponunt secundum Doctores mysticos. Extasis ex D. Thoma, 1 2, q. 28, a. 8, diffinitur: Excessus mentis, quo fit alienatio a sensibus in aliquod intelligibile, vel supra sensum, et rationem, vel extra cognitionem sibi propriam. Raptus diffinitur a D. Thoma, 2 2, q. 175, art. 1: Operatio intellectualis animæ secundum quam ab aliquo extrinseco fertur in aliquod objectum naturale, vel supernaturale speculandum modo sibi non naturali per ligationem. Unde D. Thomas loco citato 2 2, art. 2: Raptus addit aliquid supra extasim; nam extasis importat simplicem excessum a se ipso, secundum quem aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed raptus super hoc addit violentiam quamdam. Et loquitur de raptu supernaturali, docens etiam quod anima corpus ad se trahit, ut legimus de S. Dominico et de S. Thoma Aquinate, et de aliis pluribus; insuper, quod in hujusmodi elevatione corporis a terra, non nisi ad divinam virtutem id referri potest, (*etsi*) verum est quod loquendo de causis extrinsecis ex Dei permissione potest dæmon in ejusmodi elevationibus cooperari.

1193. Divus Thomas exponens Psal. xxx, super primum versum dicit quod extasis est nomen græcum: latine dicitur excessus qui est mentis. Sic dicitur Petrus, Actor. x, factus in excessu mentis. Et de Adam dicitur: Immisit Dominus soporem in Adam; ubi alia versio: Immisit Dominus extasim in Adam. Et de hac loquitur Apostolus, II. Cor. v: Mente excedimus, Deo. — Solet autem extasis non solum excessus nomine, sed etiam aliis titulis vocari, nempe soporis. Ita Tostatus ad ea verba Actorum cap. x: Cecidit super eum excessus mentis. His verbis, ait, significatur a sensu quædam remotio; et sopor dicitur (ait idem in Genesim). Significat abstractionem animæ: et sic secundum Græcos non differt ab extasi et raptu. Sopor autem dici solet idem quod somnus; sed interdum differunt: nam sopor ex Aristotele, 2. De somno et vigil., idem est ac quies virtutum animalium, et somnus est nocturna apparitio et imaginatio: magis autem (ex Tostato) abstrahitur anima a corpore in ipso vero raptu, vel extasi, quam in sopore; in somno cessat operatio sensitiva et intellectiva, simulque intenduntur operationes virium naturalium: in extasi vero, vel raptu, minuuntur operationes sensitivæ, et intenduntur rationales, quia elevatur intellectus. Sic dicimus Paulum fuisse raptum, Adam vero soporatum dicimus.

1194. Divus Thomas super primum versum Psal. xxx, dicit quod extasis est quando homo ponitur extra se, et hoc dupliciter contingit: vel quia a superioribus allicitur, vel quia ab inferioribus depellitur. Animus ergo hominis, si feratur extra se, dicitur esse allectus a supernis per contemplationem et amorem: quia divinus amor, ut dicit Dionysius, IV cap. De divinis nominibus, et ibidem D. Thomas, extasim facit, quia facit eum vivere, non sua, sed Dei vita; Galat. II: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus; — vel impugnatus, vel territus ab inferiori: unde quando timet fit extra se; Actorum III: Repleti sunt stupore et extasi. — Et hoc idem explicat D. Thomas super illa verba ejusdem Psal. xxx: Ego dixi in excessu mentis meæ. Excessus contingit quandoque ex causa interiori: et hoc quando videt stupenda ex quibus fit extra se, sicut in loco citato Actorum. Quandoque a causa superiori, quando scilicet contemplatur quis divina, et rapitur extra se supra se. Et D. Thomas, 1 2, q. 28, art. 3: Extasim aliquis

pati dicitur, cum extra se ponitur, idest extra cognitionem sibi connaturalem et propriam, inquantum vel ad ea quæ sunt supra sensum et rationem tendit, vel cum ad inferiora deprimitur, ut cum quis in furiam vel amentiam cadit, et hæc extasis est infra se potius quam supra se, de qua loquimur. — Concurrunt vero ad extasim tam vis appetitiva quam cognitiva. In cognitiva est formaliter, quia ex intenta meditatione unius abstrahitur intellectus ab aliis. In appetitiva causaliter, vel dispositive: ex amore enim nascitur ut quis cogitet de amato: non enim contentus de proprio bono quærit frui aliquo extra se, et vult bonum amico propter ipsum ut in se; qui actus est amoris amicitiæ: unde simpliciter talis amans dicitur ferri extra se; secundum quid vero rapi dicitur, dum illum extrinsecum bonum quærit ut bonum sibi. Eamdem doctrinam tradit D. Thomas, 2 2, q. 175, art. 2, de raptu, quod formaliter pertinet ad cognoscitivam, causaliter ad appetitivam: ex amore enim vel violentia affectus nascitur ut homo ab aliis alienetur: amor autem est in virtute appetitiva.

1195. Extasis, si perfecta sit contemplatio, potest vi sua causare alienationem a sensibus externis eos absorbendo et ligando, ne a suis objectis excitentur. Ita D. Thomas 1 2, q. 28, art. 3, in Corpore. Tunc ait fieri extasim, quando ponitur homo extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur: sicut homo, dum elevatur ad comprehendendum aliqua quæ sunt supra sensum et rationem, dicitur extasim pati, inquantum ponitur extra connaturalem apprehensionem hominis, etc.: et sermo est de extasi secundum vim apprehensivam. Quibus verbis duplex extasis assignari videtur: una cum ponitur homo extra cognitionem sibi propriam, non amplius sensibus utendo, et id referri potest ad apprehensivam vim naturalem; altera, cum apprehensiva fertur supra sensum et hominem, quod non contingit nisi cum versatur apprehensio circa objecta supernaturalia quæ sensum et rationem exsuperant: et hæc est extasis supernaturalis. Et p. p., q. 12, a. 11, ait: Anima nostra, quanto magis a corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior: unde in somniis et alienationibus a sensibus corporis magis divinæ revelationes percipiuntur et prævisiones futurorum. Non solum S. Thomas ad supernaturales revelationes et propheticas alludit: sed

ad prædictiones futurorum naturales, quæ fieri possunt absque dono prophetiæ, prout a sanctis Angelis revelantur multa; sed ex conjunctione cum influxu substantiarum separatarum, quæ fit interdum quando anima abstractior fit per elongationem a sensibus, ut dicit idem S. Doctor De veritate q. XII, art. 3, ad 5 et ad 1: habilior enim fit tunc ad recipiendum a substantiis superioribus, non solum secundum ordinem gratiæ, sed etiam secundum ordinem naturæ, prout inferiores intellectus secundum ordinem naturæ nati sunt perfici a superioribus, et prout corpora humana subduntur impressionibus cœlestium corporum, in quibus fit præparatio ad aliquos futuros eventus, quos anima ex sua subtilitate prævidet per aliquas similitudines ex impressione corporum cœlestium in imaginatione relictas. Et 2 2, q. 175, art. 2, solutione ad 2 ait vehementiam affectuum causare extasim, quatenus causat axcessum cognitionis, quo mens ad intelligibilia rapitur alienata a sensibus. Et q. XIII De verit. ad 10, ait tantam posse esse in actu speculationis vehementiam, ut omnino a sensibili operatione abstrahatur.

1196. Quando est vehementissima contemplatio, fieri potest ut ligetur imaginatio, ne aliquid phantasiando operetur. Ita D. Thomas q. XIII De veritate, art. 3 ad 10, ubi ait tantam posse esse in actu speculationis vehementiam, ut omnino a sensibili operatione abstractionem a sensibus per vehementissimam contemplationem efficiat: quæ fit ab his quæ vehementiam actus intellectus nata sunt impedire. Hæc autem sunt omnes sensitivæ operationes, ubi nulla excipitur, dum solum excipit operationes vegetativas. Et 2 2, q. 175, a. 3 ad 1, ubi ponit secundum gradum prophetiæ per abstractiones etiam ab externis, quia per pura intelligibilia fit. Notanter dixi ligari imaginationem: nam abstrahi imaginationem, in ea vehementissima contemplatione dupliciter id intelligi potest: uno modo ut phantasia non operetur formando de novo idola, vel phantasmata; altero modo, ut ex præhabitis phantasmatibus quæ imaginatio conservat, ad ea se convertendo, et illustrante intellectu agente, et phantasmata exinde speculetur. In primo sensu non est necessarium ut phantasia phantasiando operetur, quia virtus animæ vehementissimo actu absorpta influxum suspendere potest, ne illum communicet potentiis sensitivis, et maxime quia tota, vel quasi tota in operatione intellectus oc-

cupatur: potentia autem superior exhaurire potest et absorbere quod est inferioris facultatis, et non deservit superiori, et posset esse potius impedimento ne tota vis animæ ferretur in intelligibilia, occupata in receptione phantasmatum novorum, quæ subministraret phantasia, nisi ligaretur. In secundo sensu concurrit imaginativa velut materia, ex qua antiqua phantasmata eruantur.

1197. Quantumvis sit vehemens contemplatio, non potest impedire vi sua et efficacia per se vires potentiæ vegetativæ et nutritivæ. Ita D. Thomas 2 2, q. 175, art. 2; et De veritate, q. XIII, art. 4, quia etsi sensitivæ operentur ex intentione animæ vegetativæ per modum naturæ, id fit mediantibus primis qualitatibus, et earum alterationibus, quæ non subduntur intentioni animæ: non ergo habet anima super eas actiones dominium, sicut super sensitivas potentias: quare etsi potest abstrahere a sensitivis, non abstrahit a vegetativis. Dixi: per se; nam per actiones spirituum vitalium, et vitales operationes attrahendi, expellendi, distribuendi, possunt impediri ex nimia contemplatione vel studio, unde experimur quod exercitatione intellectus quandoque, maxime post cibum, fit nocumentum vegetativæ in digestione: spiritus enim attrahuntur ad ministrandum vegetativæ, licet moderate, ex exercitio et tempore congruo, ex labore et exercitio sint hæc digestivæ adjumento: similiter ex fumo exhalante ex concoctione nocumentum infertur virtutibus ministrantibus intellectui. Quantum ad motum localem, seu potentiam motricem animalis, idem dicendum est: non impediri phantasiam, prout est motus illius principium, sicut nec impeditur motus cordis quod est omnium motuum qui sunt in animali principium. Non est possibile, nec vi dæmonis fieri potest, ut in tali excessu contemplationis anima discedat a corpore, et iterum regrediatur. Est de fide: nam sola Dei virtute fit regressio animæ ad corpus.

1198. Raptus potest contingere ex causa naturali, sicut accidit in his, ut docet D. Thomas, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur; et etiam ex causa corporali ex spasmo, et ex ebrietate, et ex medicamentis somniferis, ex lassitudine in oratione, vel nimio studio, unde exsiccatis spiritibus destituuntur sensus suis functionibus; similiter causari potest ex humore crasso impediente fluxum spirituum.

1199. Raptus potest contingere ex virtute dæmonum, sicut patet in arreptitiis, et non est supra vires dæmonum magos multos et sagas in extasim rapere. Potest autem dæmon sua vi naturali spiritus impedire, ne diffluant ad exteriorem sensum, tramites obturando, unde impedita sensatione extatici fiunt; similiter cum dæmon in corpore vivo cadaveris speciem et mortui hominis, sensus illudendo, facit apparere, illudque ex potestate naturali per motum localem elevat, ut agile videatur, et extaticos homines facit apparere.

1200. Raptus potest contingere virtute divina, cum aliquis a divino spiritu elevatur ad aliqua supernaturalia, cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezech. VIII: Spiritus elevavit me inter cœlum et terram, et deduxit me in Jerusalem, in visione Dei. Et in Concil. Constant. V, in epistola Felicis P. P. legitur quod dum terræmotu Constantinopolitana civitas quateretur, infantulus, toto populo spectante cum Proclo civitatis Episcopo, per unam horam in cœlum raptus esset, ibique sacrum Trisagium audisset, est ei injunctum ut laudationem illam populo indiceret: exinde ubi populi incœperunt Civitatem repetierunt, et Deo propitio facto ab imminenti ira liberati sunt. — Et quando fit raptus a spiritu divino, deprehenditur ex effectibus, verbi gratia ex evolatione ad superiora cum oblivione (*eorum*), quæ retro sunt, ut contemplationi vacet. Item ex jubilo et tripudio interiori (multoties exterius manifestato gustu spirituali), et dulcedine tali, quæ totum corpus concutere videtur: ardente enim interius flamma per ardoris violentiam erumpere nititur foras, et quasi laguncula plena mustò Spiritus sancti ebulliens: unde quidam lachrymis et vocibus, suspiriis indicant illam spiritus dulcedinem, alii gestibus dicuntur discurrere et saltare, manibus plaudere, membris tremere, et similibus, quæ inusitata videntur secundum cursum eorum. Et conforme est quod scribit Abbas Isaac, coll. 9 de oratione, quod frequenter per ineffabile gaudium, et alacritatem spiritus saluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita ut etiam in clamores quosdam intolerabiles gaudii immensitate prorumpat, et cellam vicini jucunditas cordis, et exultationis penetrat magnitudo. Unde interpres Chaldæi in I. Regum eo loco: Num et Saul inter Prophetas? dicit: Quando Prophetas tangebat Spiritus Dei, amittebant sæpenumero usum sensuum exteriorum, nescientes qui!

foris fieret, unde alii tremebant, alii etiam corruebant in terram ob internam Dei locutionem, non valentes subsistere in pedibus suis. Quidam erant dormientibus similes, alii mortuis, alii loquebantur Spiritu Dei.

1201. Hi autem qui saltant in extasi et raptu, jubilatorii appellantur; sunt alii qui (*in*) verba erumpunt, et eruptores dicuntur. Quidam vero verbis abundant, et gestibus inusitatis erumpunt, internum calorem significantes expressius quam supra enarrati; alii quoque cantant. Verum in his saltibus, et hujusmodi videndum est an sint ordinati, vel inordinati: si ordinati, possunt esse a spiritu Dei; si inordinati, suspecti esse debent. Et cum in his jubilationis eruptoribus, cantillatoribus aliqua levitas, immodestia, scurrilitas deprehenditur, utendum est regula D. Thomæ, qui I. ad Timoth. II, lect. 1, explicans illud: Volo ergo viros orare omni loco levantes manus puras, docet quod in hoc non debet homo singularis apparere in exterioribus. Et exponi potest de inconsuetis et superfluis gestibus, quia propter hoc posset haberi inanis gloria. Quæ doctrina ad eosdem jubilatorios applicanda est.

1202. Cum anima limitatæ virtutis et capacitatis sit, quanto efficacius et vehementius uni functioni attendit, tanto minus aliis intendit: unde potest, agente et illuminante eam Deo, tanta intensione divinis rebus inspiciendis et diligendis incumbere, ut nec præsentia videat, nec verbap rope loquentium audiat, neque etiam ferrum aut ignem corpori suo admotum percipiat; et breviter, ut omnem usum sensuum derelinquat: et tunc dicitur extasim pati, et in hoc gradu contemplationis constitui. Cogita itaque, si potes, quam pulchritudinem anima justa internis oculis intuebitur, ad cujus præsentiam omnis exterior pulchritudo objecta penitus non videtur; quam dulcem vocem audit, quæ voces omnes extra perstrepentes absorbet; quam magnam suavitatem percipiat, ad cujus gustum omnis odor, et omnis sapor exterior deficit; quam mirandum amplexum intra se sentiat, quæ nec vehementissimam voluptatem sollicitantem, nec acerbissimum dolorem cruciantem advertit. Sunt enim in extasi duo: alterum est vehemens occupatio interior, quæ non ex humana industria (nam hæc procul dubio ad omnimodam alienationem non sufficit), sed ex divina gratia animam lactante et inescante procedit; alterum abstractio ab omni usu

sensuum exteriorum, quæ ex illa priori occupatione vehementiori (ut docet D. Thomas 2 2, q. 175, art. 2) quasi naturaliter manat. Quia videlicet non potest homo tam intente divinis insistere, et usum sensuum retinere, anima suavissime ad interiora colligitur, et quasi divinis immergitur: non quasi ipsa id possit naturali virtute, sed quia specialissimo auxilio Dei ad tantam altitudinem cognitionis et amoris sublevatur. Quare dicitur ascendere deliciis affluens, innixa super Dilectum suum; Cant. VIII: quia non propriis viribus, sed virtute ejus in luce intelligentiæ, et amoris ardore promovetur.

1203. Licet autem Deus animam excedere et a sensibus alienari faciat, videndum tamen est quibus tamquam instrumentis id fiat. — Tribus de causis anima in alienationem abducitur: aut præ magnitudine devotionis, aut præ magnitudine admirationis, aut præ magnitudine exultationis. Primum ornat affectum, secundum illuminat intellectum, tertium ad utrumque consequitur. — Oritur ergo extasis ex magna devotione, quando anima tanto desiderii cœlestis et divini amoris igne succenditur, ut ad ceræ similitudinem liquefiat, et quasi a proprio statu dimota, et instar fumi attenuata, ad suprema conscendat. Cui devotioni et amori aliquando magnitudo lucis adjungitur, aliquando solus devotionis affectus alienationem operatur. — Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima divino lumine irradiata, et summæ pulchritudinis et perfectionis divinæ cognitione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut in similitudinem fulguris coruscantis, transcursis sensibus, in summa elevetur. Et hæc quidem admiratio, et perfecta cognitio interdum animæ non præventæ advenit; interdum in eam, in affectum amoris vel in profundam meditationem incumbentem irruit; interdum a lumine incipiens in ardentissimum fervorem desinit. Tunc etiam homo ab exterioribus sensibus alienatus, vel sensibus interioribus utitur, cum scilicet imaginatio contemplationi intellectus cooperatur, vel etiam a sensibus interioribus abstrahitur, et solo intellectu sine cooperatione phantasiæ mere spiritualiter videt, et amore illo voluntatis qui hanc cognitionem sequitur, diligit. — Oritur tandem ex ineffabili exultatione, quando anima internæ suavitatis abundantia potata, immo et plene inebriata, quid sit, et quid fuerit, penitus obliviscitur, et in alienationis excessum lætitiæ nimietate transfer-

tur. Hæc autem jucunditas supra modum læta, et hæc exultatio supra omnem sensum nostrum jucunda, aut magnam devotionem, aut magnam admirationem supponit. Quia si anima summum illud bonum, quod impense desiderabat, aut affectu, aut intellectu non possideret, nequaquam tam ineffabiliter exultaret, nec sensuum usum præ admiratione deponeret.

1204. Raptus est similis homini qui per gradus scalæ cœperat in altissimam turrim ascendere, et subito per aera raperetur, et celerius quam si volaret, in summitate turris poneretur. Sic anima, quæ modo suo connaturali, vel per auxilium gratiæ se conditioni naturali accommodantis, in Deum ascendebat, subito rapitur, et citissimo quodam volatu in abyssum quamdam lucis et ardoris constituitur. Considera mihi quid sensit Habacuc propheta, et quantam admirationem habuit, quando apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum in capillo capitis, posuit eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Sic anima timore concutitur, cum tam sine consensu suo, et tam præter naturam suam a sensibus abstrahitur, et in luce et igne amoris, quem nescit, tam mirabiliter ponitur.

1205. Hæc oratio raptus superior est orationi recollectionis et quietis, et etiam orationi unionis ordinariæ, et habet effectus multo excellentiores. — In unione ordinaria possumus spiritui resistere, quia compotes nostri sumus, et quasi in terra nostra, quamvis aliquando propter ejus vehementiam difficulter resistatur: sed in raptu vel nullum penitus, aut vix ullum est remedium resistendi, cum improvise ac tam vehementi et accelerato veniat impetu quod statim absorbeat, et a sensibus alienet. — Contingit aliquando quod anima verbi quod audivit a Domino recordata, vel memor alicujus gratiæ sibi factæ, vehementer ardet, et crescente paulatim amoris scintilla sursum ad Deum, sphæram et centrum suum, cum impetu tendit et rapitur, ac velut phœnix igne cœlesti consumpta renovatur: et sic puram ac mundam secum unit Deus, ad se rapit, et tamquam propriam ac dilectissimam sponsam elevat de terra, a sensibus alienat, secum ducit, et manifestare jam incipit in terra quæ in suo cœlesti regno ei paravit.

1206. Unde vero procedat quod anima post tot mirabilium in raptu visionem, vix eorum recordetur in particulari, et

multo minus exprimere possit, apta comparatione quam sancta Teresia, Mansione VI, cap. 4, adducit, demonstrari potest. Contingit, ut ipsa de se testatur, quod aliquis cubiculum regis aut magnatis alicujus ingrediatur, in quo multæ picturæ rari artificii, multa vasa aurea vel argentea, multi lapides pretiosi, plura diversæ rationis opera ex ebore, crystallo, vel alia materia admodum rara conspiciantur miro ordine disposita: statim ad ingressum qui ea conspicit rapitur oculis, et quamvis omnia simul videat objecta conspectui, vix in particulari dicere potest quid viderit, licet dicat in genere se multa et mira vidisse: quod tunc maxime contingit, si non noverit ea quæ vidit, quamvis omnia terrena non multum capacitatem nostram excedant. Si hæc in naturalibus proportionatis accidunt, quid erit in supernaturalibus objectis a Deo communicatis, quæ naturalem nostram capacitatem totaliter excedunt?

1207. Licet hæc oratio raptus sit donum Dei maximum, et insigne testimonium amicitiæ ipsius, non per hoc tamen sic secura remanere debet anima de propria salute, quod nullo modo timeat, cum hoc sit contra consilium Apostoli dicentis: Cum timore salutem vestram operamini. Nec debet confidere, quod Deo sit fruitura, quin de fideliter obsequendo divinæ Majestati ipsius assidue cogitet: nec sic debet amorosis Dei frui deliciis, quin deflendis peccatis non sæpius attendat: imo dolor peccatorum tanto magis crescere debet, quanto favores et gratiæ Dei sunt majores: unde cum in hoc gradu orationis sint maximæ, dolor peccatorum esse debet intensissimus.

1208. Suos habet effectus oratio unionis extaticæ seu raptus. Primus ejus effectus est in corpore, quod ita remanet ac si per animam non informaretur: infrigidatur enim, calore naturali deficiente; clauduntur suaviter oculi, et alii sensus amittuntur. Contingit tamen aliquando quod corpus infirmum et doloribus plenum in hac oratione sanitatem recuperat, et majorem capacitatem cooperandi animæ in ordine ad exercitia spiritualia consequitur; vult enim Deus quod ipsum corpus deliciis animæ suo modo communicet, cum sic prompte ejus obedit voluntati: meretur enim aliquando cum anima recreari, quia cum ipsa sæpe labores patitur; imo ut plurimum pœrarum acerbitas in ipso immediatius exercetur.

1209. Secundus effectus est accensum Deo inserviendi de-si-

derium. Si enim in præcedentibus orationis gradibus magnum tale desiderium anima in se ipsa experiatur, multo majus hic experitur: vellet enim mille vitas habere, ut eas in obsequium Domini posset exponere; vellet quod omnia quæ sive in terra, sive in cœlo sunt, verterentur in linguas, ut secum divinæ majestati laudes æternas concinerent, et immensam ejus bonitatem et suavem misericordiam coram omnibus viventibus propalarent, et semper extollerent; et cum alias videat quod dolores et passiones istorum in hac mortali vita Deo maxime placent, maxime pœnitentiæ ac patiendi desiderium habet, et conqueritur cum Deo, quando patiendi non se offert occasio; nec in solo sistit desiderio, sed ipso Deo plurimum auxiliante desiderium reducit ad executionem, nihilque quantumcumque difficile et arduum respuit aut refugit; felicem namque se judicat, si Deo in aliquo placere possit: cætera quippe nihil esse ducit in comparatione illius.

1210. Tertius effectus est multo major contemptus mundi, quam fuerit in præcedentibus orationis gradibus. Cum enim in hoc gradu multo majorem rerum cœlestium et divinarum notitiam acquirat, omnia temporalia arbitratur quasi stercora: unde jam vivit in mundo cum labore et fastidio, nec ullo modo movetur ab his quæ prius pulchra et bona videbantur. Quod si aliquid æstimet ex his quæ videt, hoc ideo fit quia possunt ad divinum cultum et obsequium conducere.

1211. Quartus effectus est notitia tum divinæ majestatis, tum propriæ infirmitatis: unde consequitur hic quod tanto tempore desiderabat Augustinus, dicens Domino: Noverim te, noverim me. Multa namque de divinis perfectionibus et arcanis animæ in extasi constitutæ manifestantur, ex quibus plus Deum cognoscit; ac simul se ipsum magis cognoscens (contraria quidem juxta se posita magis elucescunt) miratur, et tremit horrore quod cum sit tam vilis creatura, Creatorem tantæ majestatis ausa fuerit tam sæpe et tam graviter offendere; et tunc Deum se ipsi manifestantem, quamvis benignum ac familiarem intueri non audet.

1212. Quintus effectus est ardentissima sitis Dei viventis; cum enim in hujusmodi oratione tam sæpe Fontis vivi aquæ ad eam deffluant, quæ suavissimas delicias æternæ vitæ sapiunt, ad ipsum Fontem, imo ad fluvium cujus impetus lætificat civi-

tatem Dei, pervenire desiderat. Unde anxie mori appetit, et cum lacrymis ab hoc exilio postulat liberari; displicet ei quidquid videt; aliquod in recessu solatium habet: sed identidem anxietates fruendi Deo pullulant ex quocumque objecto. Quæ si nimium premant, non debent foveri, sed potius aliqua distractione moderari, ne forte saluti corporis noceant: maxime si occasionaliter inde motus superbiæ seu propriæ æstimationis oriatur.

1213. Sextus effectus est pœna maxima, sed deliciosissima, sive pœna simul cum gaudio et jubilo, quam S. Teresia volens exprimere, vix se posse fatetur; et comparans cum illa pœna, etiam deliciosa, quam in oratione impulsiva per vehementes impetus patitur anima, dicit illam nihil esse in comparatione istius. Ponit igitur multa discrimina inter utramque pœnam. — Primum est quod illa est communis animæ et corpori, nec est tam vehemens: ista solam tangit animam, et est multo vehementior. — Secundum est quod illa est ad instar ignis urentis, sed tolerabilis: ista est tamquam ignis penitus inflammantis, seu flammæ succendentis et intolerabilis: ibi siquidem anima ardens in se ipsa, vel occasione cogitationis alicujus, vel verbi prolati de gloria Beatorum, de mortis dilatione, et de alio hujusmodi, sentit se velut immissa sagitta fortiter vulnerari, nesciens unde vel quomodo vibretur ignita hæc sagitta: illam tamen sentit in intimis suis præcordiis, ubi omnia quasi consumit quæ transeundo reperit; et statim suspendit et ligat potentias, taliter quod nulli alteri possunt attendere, nisi ei quod hanc pœnam augere potest. Intellectus namque clare percipit causam hujus pœnæ et doloris, scilicet absentiam Dei, cujus incremento ipse Deus cooperatur, vivam sui notitiam sic imprimens animæ, quod præ doloris inde causati sensu gemebundæ voces exprimantur, corpus maxime debilitetur, ac velut immobile permaneat. Vix nisi expertus capere potest quomodo hic tam intensa pœna, et simul tam deliciosa, reperiatur, quæ vix remedium habere potest; unde anima huic subjecta Deo potest dicere cum beato Job: Mirabiliter me crucias. Solum aliquod inde solamen caperet, si reperiret expertum cum quo de suo vehementi tormento tractaret. Videre enim quod nullus ipsi de illo conquerenti credit, ipsam auget pœnam: unde societas aliorum tunc displicet, solitudo gravis est,

solum placeret habere directorem expertum, vel saltem alterum qui eam caperet. — Quamvis autem anima plurimum patiatur, hanc tamen pœnam esse deliciosissimam experitur, et pretiosissimam esse videns præfert omnibus præteritis favoribus, tum quia crucis via securior est; tum quia hujusmodi pœna est pure spiritualis, cui proinde corpus corruptibile non communicat: unde graves aliæ pœnæ redduntur, hæc vero propterea tota est deliciosa; tum quia Dominus, præter concessam summæ suavitatis experientiam, hujusmodi pœnæ valorem et præmium inæstimabile manifestat. Hæc pœna magno raptu, vel aliqua cœlesti visione solet terminari, qua Deus consolatur et fortificat animam.

1214. Septimus effectus est quidam mentis jubilus, et quidam gradus orationis extraordinarius, quem anima capere non potest, et multo minus exprimere: novit tamen in confuso esse magnam potentiarum unionem, quæ tamen a Domino liberæ relinquuntur, ut communicatis gaudeant deliciis; quæ etiam ad sensus aliqualiter redundant, ut suo modo de ipsis aliquid participent, vix advertentes unde procedant. Festum diem ageret, et summæ lætitiæ signa daret, si gaudium suum omnibus manifestare posset. Apparet ipsi quod se ipsam invenerit, et simul cum patre filii prodigi vellet omnes invitare, quo suæ lætitiæ fierent participes. Credit se tunc securam, et merito non possibile videtur quod tantus jubilus mentis, in intimo ipsius centro resonans, cum tam profunda pace, cum tam ineffabili lætitia, quæ ad laudandum Deum omnes invitat, possit ab alio quam a Deo procedere: multum est quod tunc taceat, et similem lætitiam dissimulet. Vellet S. Franciscum imitari, qui per campos discurrens se Dei præconem dicebat, et divinas laudes incessanter decantabat.

ARTICULUS XVIII.

De oratione impulsus.

1215. Ista oratio et omnes antecedentes sunt effectus gratiæ supernaturalis. D. Thomas explicans illud Matth. xxv: Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, et uni dedit quinque talenta, alii autem

duo, alii vero unum, dicit sic: Primo tangitur liberalitas dantis, secundo diversitas donorum, item discretio dandi. — Dantis liberalitas in duobus tangitur: eo quod prævenit eos quibus dedit; item eo quod abundanter dedit. Eo quod prævenit, quia qui exspectat dare, diminuit de liberalitate sua. Sic autem Dominus in Psal. xx: Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Unde vocavit servos suos, non illi ipsum; unde Joan. xv: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; Rom. viii: Quos præscivit, hos et prædestinavit. Item tangitur liberalitas, quia de suo: " Dedit bona sua „ non aliena. Aliqui bene sunt liberales de alieno, sed non de suo: iste autem de suo; unde de isto potest intelligi quod dicitur in Ps. lxvii: Ascendisti in altum, etc. Dedisti dona hominibus. — Consequenter ponitur diversitas donorum. Nomine talentorum auxilia gratiæ significantur, quæ Deus unicuique juxta ejus dispositionem dat: sed ipsam dispositionem operatur in eis Spiritus sanctus in majori vel minori intentione, prout vult, ut docet D. Thomas 2 2, q. 24, art. 3, ad 1.

1216. Ista oratio impulsus est effectus gratiæ et liberalitatis Dei, eo quod prævenit animam, non exspectat consensum ejus, sed excitata ab ipso tendit in ipsum. Item tangitur liberalitas quia de suo: isti impulsus sunt a Deo. Et isti impulsus sunt a gratia actuali, ut docet D. Thomas 1 2, q. 109, a. 9. Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo quantum ad aliquid habituale, per quod natura humana corrupta sanatur, et etiam sanata elevatur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ ut a Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia existens, non indiget alio auxilio gratiæ quasi aliquo alio habitu infuso: indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Cum autem animæ, quibus communicatur oratio impulsus, sint constitutæ in gratia habituali, sequitur quod iste impulsus sit effectus gratiæ actualis. Hi quidem impulsus, quos anima sentit in intimo sui centro, sunt fortes, sed simul suaves, et tam delicati et subtiles, quod vix illa comparatione possunt exprimi. Multum differunt non solum ab omnibus prædictis communicationibus, sed etiam ab omni motu sensibili quem proprio

studio nobis procurare valemus: contingit enim aliquando, imo frequenter, quod anima nihil tale cogitans, nec Dei memoriam tunc habens sentiat se subito velut sagitta a Domino immissa, vel tonitruo quodam excitari, et quamvis sensibilem non percipiat rumorem, cognoscit tamen certissime se a Deo vocari, et tam evidenter, quod aliquando præsertim in principio tota tremit, et lamentatur absque eo quod doleat: se dulcissime vulneratam sentit, sed nescit quomodo, vel a quo vulnerata fuerit; scit quidem hoc vulnus amoris rem esse pretiosam, nec valet ab eo sanari; conqueritur verbis etiam exterioribus amoris, nec aliud tunc facere vel agere potest cum sponso dilectissimo, quem præsentem agnoscit, sed non manifestum: magna quidem pœna est, sed tamen dulcis, nec vellet quod unquam cessaret, quia per illam magis contenta quam per suspensionem orationis quietis remanet, quæ conjunctam non habet pœnam.

1217. D. Thomas, Opusc. LX, art. 1, dicit quod gratia procedit a Deo tamquam imago ab artifice: ideo per ipsam reformamur; unde dicit Glossa super Psal. IV: Signatum est super nos etc., quod imago recreationis per quam reformatur imago creata, scilicet mens nostra, est Dei gratia, quæ menti reparandæ infunditur. — Item quasi radius a sole, ut dicit Glossa Jac. I. Ideo per ipsam ad Deum cognoscendum et amandum elevamur. Augustinus: Spiritus rationalis ex dono creationis habilis est ad cognoscendum verum, et amandum bonum: tamen nisi radio interioris lucis fuerit perfusus, et calore succensus, nunquam consequetur sapientiæ sive charitatis effectum. — Item sicut rivulus a fonte, ideo per ipsam in bonis operibus fœcundamur. Unde in Psal. I: Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*dicit*) Glossa: Id est gratiarum. Oratio impulsus procedit a gratia tamquam radius a sole, quia mediante illo impulsu mens cognoscit Deum præsentem, et illum speciali amore amat. In hac communicatione cognoscit anima clare per illam lucem quod sponsus adest, et ipsum vocantem audit tam evidenti signo, quod dubitare non potest, et tam mira operantem in seipsa sentit, quia est rivulus emanans a fonte, quod ejus desiderio tota dissolvitur, nescit quid petat, clare namque percipit se cum Deo stare, et tamen adhuc pœnam sentit: si quæratur ab illa quid amplius desideret

unde tantum patiatur, certe nescit: experientia tamen scit se multum pati, et quod pœna penetrat viscera: tantum est vulnus amoris.

1218. D. Thomas, q. 7, de potentia, art. 5, dicit quod Deus dicitur ignis quia purgat, inflammat et condemnat. Idem dicit super caput XXXIII Isaiæ, et exponendo illud verbum Isaiæ, cap. X: Erit lumen Israel in ignem: Deus dicitur ignis, quia est subtilis secundum substantiam, scientiam et apparentiam. Et est lucidus, quia manifestat, delectat et dirigit. Et est calidus, quia vivificat, purgat et devastat. Idem sanctus in II, dist. 6, art. 3, ad 2, dicit quod Deus dicitur ignis, quia ignis inter sensibilia est nobilior, clarior, activior, actualior, altior, magis purgans et consumens. Iste ignis excitat in anima scintillam quamdam amoris, quæ cum sit tam deliciosa, non potest totam consumere, sed cum mirabili operatione suavem illam pœnam causat. — Hæc pœna deliciosa, hic dolor suavissimus (si tamen vocari debeat pœna vel dolor) non semper eodem modo, nec in eodem gradu consistit; aliquando diu durat, aliquando cito transit, juxta Dei beneplacitum: nihil enim ibi humana cooperatur industria; quando diutius durat, intenditur et remittitur, nec in eodem statu permanet; propterea nunquam sinit animam consumere: cum enim foret incendenda, moritur, et deficit scintilla, et tunc anima de novo dolorem amoris a scintilla causatum pati desiderat.

1219. D. Thomas, 1 2, q. 109, art. 1, in solutionibus argumentorum dicit quod omne verum, a quocumque dicatur, est a Spiritu sancto sicut ab infundente naturale lumen et movente ad intelligendum. Et etiam dicit quod sol corporalis illustrat exterius, sed Sol intelligibilis qui est Deus, illustrat interius. Et sic solet Deus aliis modis animam excitare: dum enim vocaliter orat, nec aliud interius mente cogitat, subito sentit motionem illustrativam et inflammativam, et sponsus qui præsens est sentitur, (*et*) dulce desiderium causat in anima fruitionis ipsiusmet sponsi. — Dicit D. Thomas, Opusc. LX, a. 1: Fructus enim florentis arboris est bonum ultimum quod expectatur, et percipitur cum suavitate; unde significat beatissimam fruitionem Dei. Bernardus: Da mihi, Domine, fructum dulcem, fructum vitæ, et tolle desiderium. Altus est, benedictus: sanctifica obsequium, lætifica animam. Et tunc anima est disposita ad ma-

jora: sed in hoc modo impulsus vel excitationis nulla sentitur pœna, nec enim hujusmodi desiderium fruendi Deo pœnam habet adjunctam.

1220. Qui tales impetus non fuerit expertus, non potuit eos cognoscere: non enim sunt ad instar quorumdam vehementium, qui ex sensibili devotione causati plurimum inquietant, et quasi obruunt naturam: his enim cooperatur natura; unde ne sanitati noceant, opus ut media moderentur, aut etiam tollantur, quibus fuerunt excitati; et ligna suavitatis sensibilis subtrahantur, quibus fuerunt succensi. Et sic in principio necesse est multa uti prudentia ne frena laxentur animæ ad tam vehementes et sensibiles impetus, qui caput debilitantes, spiritus consumentes, et sanitatem destruentes, subjectum brevi reddant ineptum ad studium orationis, et ad exercitia spiritualia. Sed impetus isti de quibus in præsenti disserimus, sunt admodum differentes: non enim ad illos naturaliter cooperamur, nec ligna subministramus quibus accendantur, sed nobis statim accensus apparet ignis, quo circumdamur inflammandi; non procurat anima quod vulnus ex absentia Domini causatum ipsi dolorem excitet, et tamen infixam in intimo cordis ac viscerum sentit sagittam; unde nescit quomodo se habeat, aut quid sibi velit: scit tamen quid velit Deus, nam sagitta est odio sui temperata propter amorem Dei, in cujus obsequio propriam vitam libenter perderet.

1221. Non potest satis exprimi nec extolli modus, quo Deus vulnerat animam, nec pœna inde procedens, qua laborans anima de se ipsa non curat: sed, ut dictum est, hæc pœna tam suavis est, quod nulla sit in hac vita delectatio, quæ magis satisfaciat: vellet anima semper hac infirmitate mori, hæc pœna gaudio mixta velut animam extra se et quasi dementem tenet. Non enim capere potest quomodo hoc esse possit. D. Thomas in III, dist. 27, art. 1, ad 4, dicit, loquendo de amore, quod amor vulnerat, et quod transfigit; et quia ista vulneratio est deliciosa, eodem modo Deus vulnerat animam amore et ideo suaviter. Exponens D. Thomas illud Psal. XXXVII: Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, dicit sic: " Sagittæ tuæ, „ idest percussio tua. " Infixæ sunt mihi „ scilicet usque ad interiora; Job VI: Sagittæ Domini in me sunt. Idem Sanctus exponens illud Psal. XLV: Sagittæ tuæ acutæ, dicit sic: Arma Christi

sunt sagittæ quæ sunt verba Christi, quæ dicuntur sagitta propter tria, quia sagitta suo acumine usque ad cor penetrat. Osee II : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Item sagitta velociter movetur ; Sap. V : Transitus vitæ tuæ, etc., sic verbum Christi. Item, sagitta ad remota attingit. Sic verbum Dei, et sic anima in intimo cordis ac viscerum sentit sagittam Dei. O quam mirabile est videre sauciatam animam amoris vulnere, et quod ipsa se talem sentiens ex tam excellenti occasione vulneratam dicere queat, et simul videat manifeste se nunquam meruisse talem divinæ dilectionis significationem, ex qua prædicta præcedens scintilla facit eam ardere! Quoties hujus versiculi Psalmistæ recordatur : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, videns ipsum litteraliter in se ipsa completum!

1222. Quando vulnus amoris non ita vehementer infligitur, aliquod ei potest anima remedium mediis quibusdam mortificationibus adhibere ; quæ tamen vix sentiuntur, nec plus doloris afferunt, licet usque ad sanguinis effusionem exerceantur, ac si corpus esset mortuum. Modos et inventiones quærit, ut aliquid arduum et afflictivum propter Deum operetur; sed primus dolor sic urget et penetrat, ut tolli non possit, at tantum prædictis modis mitigari : solus Deus remedium dare potest, et aliud non apparet quam mors, qua mediante ad perfectam sui boni fruitionem perveniet. Sed quando dictum vulnus amoris vehementer inflictum viscera et cordis interiora penetrat, nullum penitus etiam ad mitigandum dolorem suppetit remedium, quamvis, ut dictum est, hic dolor sit suavis et deliciosus: sic enim corpus disrumpit et debilitat, quod nec pedes, nec manus movere potest, sed aliquando stat, aliquando sedet velut interdicta, nec potest respirare, tantum exiguos voce, quamvis sensu maximos gemitus edit. Impetus prædicti non possunt vel a natura, vel ab humore melancholico, vel a dæmone, vel etiam ab imaginatione causari: sed manifeste percipitur quod ab immutabili Domino tales motus procedunt ; et operationes hic exercitæ non sunt ad instar aliarum devotionum, quæ ab ebrietate gustus emanantes aliquam de seipsis dubitationem relinquunt ; hic vero sensus omnes ac potentiæ manent liberæ sine suspensione vel abstractione, conspicientes

quæ sibi tunc accidunt, nec possunt aut divertere, aut tollere, aut etiam augere deliciosam quam anima patitur pœnam. Qui similem recipit favorem, non timeat deceptionem ex parte dæmonis, sed ingratitudinem ex parte sui; unde totis viribus Domino gratias agens conetur ei fideliter deservire, virtutum exercitio vitam suam perficiat, et videbit quo tales gratiosæ communicationes devenient: nam continuo majores et pretiosiores efficiuntur.

1223. Primus effectus hujus orationis est maximus mundi contemptus et horror temporalium: cum enim hic mens cœlesti lumine perfusa rerum omnium merita dignoscat, videt quam immundus est hic mundus, quam vana sint omnia temporalia; unde anima et divina luce, et experientia pene quotidiana sæpius edocta clamat cum Ecclesiaste, I: Vanitas vanitatum et omnia vanitas, et simul cum ipso miratur, quomodo mortales Adæ filii suam omnem industriam, totam quoque vitam in hujusmodi vanitatibus exponant: et quod pejus est ac lacrymis sanguineis deflendum, contempta salute æterna et despectis Dei mandatis, in earum prosecutione desudant.

1224. D. Thomas, q. 9 de malo, art. 1 dicit, quod vanum tripliciter accipi consuevit. Quandoque enim accipitur vanum pro eo quod non habet subsistentiam, secundum quod res falsæ dicuntur vanæ. Unde dicitur in Psal. IV: Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Quandoque vero accipitur vanum pro eo quod non habet soliditatem, vel firmitatem, secundum quod dicitur Eccle. I: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas: quod dicitur propter mutabilitatem rerum. Quandoque vero dicitur vanum, quando aliquid non consequitur finem debitum, sicut dicitur aliquis in vanum medicinam sumpsisse, qui non est consecutus sanitatem; unde dicitur Isaiæ XLIX: In vanum laboravi sine causa, et vane consumpsi fortitudinem meam.

1225. Eamdem doctrinam habet explicans illud Ps. XI: Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Et explicans illud Psal. XXXVIII: Verumtamen universa vanitas, dicit Sanctus: " Universa „ secundum litteram nostram, vel est nominativi casus singularis numeri, vel est nominativi casus neutri generis et pluralis numeri. Si secundo modo, sic est sensus: " Verumtamen universa, „ quasi dicat: Non est mirum si vita ho-

minis est nihil ante te, quia " universa „ idest inferiora omnia sunt vanitas. Et ideo Hieronymus habet: " Omnia enim vanitas, „ ut sit quasi ratio præcedentium. Eccles. I: Omnia vanitas. Et dicuntur vanitas, quia vanitas opponitur soliditati et stabilitati. Omnia enim quæ sunt in mundo sunt subjecta mutabilitati, et ideo sunt vana: et etiam inter ea " Omnis homo vivens „ est subjectus mutabilitati, et sic vanitas. Rom. VIII: Vanitati enim creatura, idest homo, subjecta est non volens. Vel secundum litteram " universa „ si sit singularis numeri, sic est sensus: " universa vanitas, „ idest vanitas " et omnis homo vivens, „ idest est in omni homine mundane vivente. Vanus dicitur homo ex hoc quod sequitur res mutabiles. Jerem. II: Ambulaverunt post vanitates, vani facti sunt. Vel sic: " omnis homo vivens, „ idest carnaliter, est omnis, idest perfecta vanitas. Et sic primus effectus orationis impulsus est contemptus rerum temporalium, quia omnia vana sunt.

1226. Bene dicitur quod lacrymis sanguineis deflendum est quando mortales contempta salute æterna, et despectis Dei mandatis, in earum prosecutione desudant. D. Thomas, 2 2, q. 186, art. 9, ad 3, dicit quod tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordini legis vel regulæ, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem. Idem Sanctus in IV, dist. 9, art. 3, quæst. 3, loquendo de contemptu, dicit quod sicut meritum præcipue consistit penes charitatem, ita demeritum præcipue consistit penes contemptum Dei: unde secundum quod aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundum hoc majorem reatum incurrit, et ideo illa peccata quæ in actuali contemptu consistunt, sunt graviora illis in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti, et quasi interpretative: sicut accidit in fruitione creaturæ, per quam aliquis delectationi intendit, et cujus intentione a præceptis Dei discedit, et sic per consequens præcipientem contemnit. Peccatum autem blasphemiæ in contemptu principaliter consistit, et similiter peccatum accedentis indigne ad Corpus Christi, irreverentia quædam et contemptus essentialiter est. Sciendum autem quod contemptus ex duplici parte mensurari potest. Uno modo, ex parte contemnentis: et sic non potest fieri comparatio unius generis peccati ad aliud genus; sed unius particularis peccati ad aliud, quia contingit

in uno veniali peccato ex genere esse majorem contemptum actualem, quam in uno gravissimo peccato mortali ex genere. Alio modo, ex parte ejus quod contemnitur: et sic est talis ordo peccatorum, quod illud in quo ipse Deus in se ipso etiam contemnitur, est peccatum gravissimum, sicut peccatum infidelitatis et blasphemiæ: et post hoc illud peccatum in quo contemnitur Deus in sacramento, et præcipue in sacramento Eucharistiæ, in quo essentialiter Christus Deus ut homo continetur. Ergo bene dicitur quod lachrymis sanguineis deflendum est quando mortales, contempta salute æterna et despectis Dei mandatis, in earum prosecutione desudant.

1227. Anima ex isto effectu, quam bene cognoscit quod omnia sunt vana, et vere recordatur illius dicti Davidis, Ps. IV: Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? D. Thomas in expositione hujus versiculi " Filii hominum: „ Quasi homines secundum naturam inferiorem corruptibiles et proni sunt ad peccandum. Genesis VI: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Et iterum, cap. VIII: Sensus et cogitatio hominum in malum proni sunt ab adolescentia sua. " Filii ergo hominum, „ ostenditis vos esse filios hominum, idest peccatorum, scilicet Evæ et Adæ. " Usquequo gravi corde; „ Isaiæ I: Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate; " Usquequo „ non convertimini ad Deum? Et hoc est quod Hieronymus habet: " Filii viri „ usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? Et sic convenienter arguit culpam.—" Ut quid diligitis? „ In peccato namque sunt duo consideranda, scilicet voluntas inhærens rei, et intentio inordinata. Primo tangit inordinatum amorem, cum dicit: " Ut quid diligitis, „ idest aliquid vanum, non solidum. Temporalia quippe vana sunt, quia non continent solidum, sed pertransiens bonum. Eccle. I: Vanitas vanitatum, etc. " Ut quid ergo diligitis, „ ut quid diligitis temporalia? Secundo tangit pravam intentionem, cum dicit: " Et quæritis mendacium, „ idest quare amatis divitias ut habeatis sufficientiam? Nam Eccle. V: Avarus non implebitur pecunia. Hæc ille. Clare videt anima et experitur quod non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, et quod sequentes in hoc mundo suam sensualitatem, maculant conscientiam, et perdunt Dei gratiam.

1228. Supposita hac luce divina statim exsurgunt vehementes impetus in anima, quibus prædictas mundi vanitates sic despicit et horret, quod multum affligitur illas intuori, et in illis quamvis invita commorari. Sic interius omnes mundi dignitates spernit, quod, quamvis exterius imperatores, reges et principes tamquam Dei ministros juxta præceptum Apostoli veneretur, in animo tamen parum æstimat si vitiis occupatos et scandalosos noverit; solos colit ex corde fideles Dei servos, et omnibus potentatibus præfert, quia solam virtutem credit esse laudabilem.

1229. Quærit D. Thomas, 2 2, q. 25, art. 6: Utrum peccatores sint ex charitate diligendi, et respondet quod in peccatoribus duo possunt considerari, scilicet natura et culpa. Secundum naturam quidem, quam a Deo habent, capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundatur. Et ideo secundum naturam suam sunt ex charitate diligendi. Sed culpa eorum Deo contrariatur, et est beatitudinis impedimentum. Unde secundum culpam, qua Deo adversantur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater et mater et propinqui, ut habetur Lucæ XIV. Debemus enim in peccatoribus odire quod peccatores sunt, et diligere quod homines sunt, beatitudinis capaces. Idem Sanctus exponens illud Psal. XIV: Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, dicit sic: Hic ostendit quod non despiciat. In homine sunt duo, scilicet vitium et virtus. Vitium est despiciendum, et ideo dicit " malignus, „ inquantum talis, " ad nihilum est deductus, „ idest nihil reputatur. Et hoc est bonum. Primo ad tollendam æmulationem. Quandoque enim aliquis malus exaltatur. Jerem. XII: Via impiorum prosperatur, etc. Sed propter hoc nullo modo debet eum reputare magnum, sed debet eum despicere. Malach. II: Gloria hominis peccatoris stercus et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenitur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. Hæc ille.

1230. Vehementes hos impetus sentiens, vellet omnibus prædicare quæ novit, vellet ab amore visibilium abstrahere, et ad invisibilia desideranda transferre; vellet divites instruere, ex doctrina D. Thomæ in Matth. VI: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Dicit Sanctus: Prohibet his qui viden-

tur habere fiduciam in divitiis, unde I. ad Timoth. ult.: Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum suarum. Baruch III: Ubi sunt principes gentium, qui argentum fabricant sive thesaurizant, et aurum in quo confidunt homines? — Prohibet propter instabilitatem, quia cito amittuntur. Et ponit tria quæ in divitiis habentur: metalla, et hæc rubigine consumuntur; vestes, et hæ tineis; et quædam quæ neutro modo, ut lapides pretiosi. " Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, „ non in aliquo loco corporali, sed in cœlo, idest in spiritualibus bonis, idest abundantiam bonorum meritorum acquirite. Et dicit " vobis „ non Deo, quia nihil accrescit ei. Job XXXV: Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Docet autem Dominus unde hoc acquiritur, scilicet per eleemosynam, dicens, Lucæ XIX: Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. Ibi enim nulla est corruptio. Hæc ille.

1231. Augustinus: Si vis esse mercator optimus, et fœnerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere; da modicum, ut recipias multum et centuplum; da temporalem possessionem, ut consequaris hæreditatem æternam. Vellet cum Bernardo, lib. III De consider., ambitiosos et superbos instruere, et coram illis exclamare: O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, et omnibus places! Nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat: nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. Vellet omnibus mundi principibus prædicare quod nisi virtute præfulxerint, peribit memoria eorum cum sonitu, et quod illam æternam gloriam, quam sic vehementer appetunt, statim post mortem amittent, et quod soli virtutis sectatores, etsi gloriam hominum fugiant, non solum post mortem, sed etiam in vita a monarchis nimis honorificati sunt, tamquam amici Dei. Et sic omnes alios mortales terrenis nimium adhærentes vellet erudire, ut sic vana relinquentes ad æternorum acquisitionem aspirarent.

1232. Secundus effectus hujus orationis, est vehemens æternorum desiderium: cum enim anima in terrenis puram experiatur vanitatem, nullam in eorum possessione satietatem, sed famem continuam, et sitim inextinguibilem (videt namque quod quantumcumque ad libitum et abundanter habeantur, occupare

quidem possunt, sed replere non possunt, imo majorem, et afflictivam sui famem augentes, inquietam relinquunt animam), ideo ad æternorum desiderium vehementi consurgit impetu, et ad Deum jugiter aspirat, in quo super omnia et in omnibus requiescere debet, cum sit sanctorum æterna requies.

1233. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 3, dicit ex Aristotele quod desiderium desiderati est duplex: hujus ut finis, hujus ut viæ ad finem; exempli gratia, desidero vinum, desidero pretium quo emam vinum: sed aliter vinum, aliter pretium, et magis vinum quam pretium, quia et pretium propter vinum. Aristoteles: Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Similiter amans appeto Deum, appeto virtutem: sed Deum ut finem, virtutem ut ad finem. Augustinus: Virtutes si propter se appetantur, nec ad aliud referantur, inflatæ sunt, et ideo non jam virtutes, sed vitia appellandæ sunt. Sic a quibusdam propter Deum aliqua temporalia appetuntur, sed quia facile ibi incurvatur ordinis rectitudo, quam deflectit concupiscentia, corrigit et ad finem dirigit castigans disciplina. Psal. XVII: Disciplina tua correxit me in finem, et sic debeo diligere Deum propter Deum. — Quæ propositio, (*ut*) in eodem loco citato dicit Sanctus, sex sensus habet. Primus: diligo Deum propter Deum, supple habendum, ut habere Deum, vel frui Deo sit finis in quo quiescitur: ut iste vadit ad tabernam propter vinum, scilicet bibendum; bibitio et delectatio plus placet illi quam vinum: et sic diligere est malum et peccatum, quia refertur Creator ad creaturam. Secundus: diligo Deum propter Deum, scilicet habendum, ut habitus Dei, vel fruitio creata sit finis, non in quo quiescit, sed quo quiescitur. Beatitudo enim creata potest appeti ut finis quo quiescamus, quia ipsa habita nihil creatum amplius appetimus: sed non debet poni finis in quo; non in ipsa quiescamus, sed per ipsam in Deo. Tertius: diligo Deum propter Deum, ut (τὸ) propter notet causam efficientem, sive motivam, et ut sit sensus: Deus, sive dulcedo Dei est causa movens istum ad diligendum Deum: sic ille diligit illum propter beneficia sua quæ confert ei. Iste motus est magis amicitiæ, quam concupiscentiæ. Joan. ult.: Diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos, et ita meruit redamari. Bernardus: Dignus plane Deus qui redametur, præsertim si advertamus quis, qualis, quantumcumque amaverit. Quartus, ut per (τὸ) propter notetur causa finalis, ut sit

sensus: diligo Deum propter Deum. Quintus: illud est propter præceptum Dei, et honorem ipsius. Sextus: diligo Deum propter Deum, idest non propter aliud, ut notetur exclusio finis alterius, et omnis commodi mei.

1234. Anima in isto statu semper aspirat ad Deum, in quo super omnia, et in omnibus requiescere debet, cum sit sanctorum æterna requies. Unde ad ipsum clamat: Da mihi, dulcissime Jesu, in te super omnem creaturam requiescere! Divus Thomas exponens illud Isaiæ xxxv: Florebit quasi lilium, dicit sic: Christus lilium est; Cant. II: Ego flos campi et lilium convallium. Sancti etiam dicuntur lilia, primo propter stipitis altitudinem, ex quo constantia in adversis; Cant. I: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Secundo, propter odoris suavitatem, ex quo bona fama; Eccle. xxix: Florete flores quasi lilium, date odorem et frondete in gratiam. Tertio, propter humoris virorem, ex quo virtus mentis; Eccle. v: Quasi lilia in transitu aquæ. Quarto, propter connexionem, ex quo sanctorum charitas; Cant. VII: Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. — Hæc lilia Christus, qui lilium est, vestit, quantum ad virtutum initia. Matth. VI: Considerate lilia agri, quoniam non texunt, neque nent, et Pater vester cœlestis vestit illa. Secundo, colligit ad æterna præmia. Cant. VI: Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis et lilia colligat. Tertio, in eis requiescit per complacentiam. Cant. VI: Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Et sic anima dicit: O mi dilectissime sponse Jesu Christe, amator purissime, dominator universæ creaturæ, quis mihi det pennas veræ libertatis ad volandum et pausandum in te? O quando ad plenum dabitur mihi vacare et videre, quam suavis es, Domine Deus meus? Et D. Thomas exponens illud D. Pauli ad Coloss. II: Neomenia, aut Sabbatorum, dicit sic: Sabbatum significat requiem, quia septimo die (*Deus*) requievit. Et ratio allegorica est, quia significat quietem Christi in sepulchro. Et anagogice quietem animæ in Deo.

1235. Tertius effectus est amor laborum propter Deum. Cum enim anima videat se nondum posse ad sponsum suum transvolare, labores ardenter appetit, quibus ad ipsum se pervenire posse, et se placituram ipsi credit. Vellet dicere illud D. Pauli, II. Corinth. IV, secundum expositionem D. Thomæ: In omnibus

tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; dejicimur, sed non perimus. Dicit Sanctus: Quasi dicat: Nullus modus tribulandi deest nobis. Actor. XIV: Per multas tribulationes, etc. Nec mirum, quia, ut dicitur Lucæ ult., oportuit Christum pati, et sic intrare, etc. Et licet sic tribulemur, non tamen angustiamur. Et loquitur ad similitudinem viatoris, qui quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur, quasi dicat: Homines, qui solum in mundo confidunt, angustiantur, si undique a mundo tribulantur; quia non patet eis via remedii, cum non sperent nisi in mundo. Sed nos, licet tribulemur in mundo, quia tamen confidimus de Deo, et speramus in Christo, patet nobis via evasionis et auxilii a Deo, et ideo non angustiamur. " Aporiamur, „ idest depauperamur. *Aporos* enim græce, latine dicitur pauper. Adeo pauperes sumus, ut necessaria desint. I. Corinth. IV: Usque ad hanc horam esurimus, etc. " Sed non destituimur „ a Deo, qui est thesaurus noster. " Persecutionem patimur, „ idest, de loco ad locum, Matth. XIV, Persequentur vos. " Sed non derelinquimur „ a Deo, quin præbeat auxilium. Hebr. ult.: Non te deseram. Sed cum hoc lædimur in fama, quia " humiliamur, „ idest, contemnimur, et pro nihilo reputamur. Joan. XVI: Venit hora, ut omnis qui interficit vos, etc. Matth. V: Beati eritis, cum vos oderint, etc. Sed quia quando quis contemnitur, et causa contemptus subest, ille qui contemnitur, consuevit confundi; quando vero causa non subest, non confunditur: et istis non suberat causa contemptus; ideo dicit: " non confundimur. „ Quasi dicat: Quia non subest causa, non curamus. Psal. XXX: In te, Domine, speravi, non confundar, etc. Quasi hæc pauca sint, addit ad tribulationis exaggerationem, dicens: " Dejicimur „ ad mortis pericula, " sed non perimus, „ idest a bono non cessamus, vel non perimus, quia Deus sustentat nos. Sic vellet anima labores sustinere quos sustinuerunt Apostoli, ut posset pervenire ad suum sponsum.

1236. Solet Dominus talis animæ votum exaudire, plenis aliquando manibus myrrham ei primam stillat, et pluribus viis labores et dolores affert, vel mediis infirmitatibus, quæ sæpius acutissime corpus excruciant; vel mediis afflictionibus inter-

nis, ex multiplici fonte ubertim derivatis; vel persecutionibus etiam bonorum, absque culpa ipsius animæ exsurgentibus; vel timoribus gravissimis propriæ perditionis et erroris, directorum sæpius ignorantia multiplicatis. Bene potest tunc dicere illud sponsæ, Cant. I: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Quod exponens D. Thomas, dicit: " Myrrha „ species est aromatica nimiæ amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur. Et, ut dicit Plinius, myrrha arbuscula est in Arabia altitudine quinque cubitorum, non sine spina, caudice duro et intorto; cujus cortice inciso defluit lacryma, quæ et ipsa myrrha vocatur, seu stacte. Ejus præcipua virtus est ut mortuorum cadavera incorrupta conservet; estque saporis amari. Myrrha autem arbor nec odorem habet, nec fructum refert. Si myrrha significat amaritudines et labores, bene potest dicere anima in illo statu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Sed istæ amaritudines et tribulationes sunt illi meritoriæ et satisfactoriæ. D. Thomas in IV, dist. 15, q. 1, art. 4, quæst. 2: Recompensatio offensæ præteritæ potest fieri et ab eo qui offendit, et ab alio. Quando fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis, quam satisfactionis rationem habet. Quando autem fit ab ipso qui offendit, etiam rationem satisfactionis habet: unde si flagella quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius, inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum eis utendo patienter. Et solutione ad 1 dicit quod quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, cum scilicet eis patienter utimur; et sic homo facit de necessitate virtutem, unde et meritoria et satisfactoria esse possunt. In solutione ad tertium dicit quod flagella respectum habent ad culpam præteritam semper, sed non semper ad culpam personæ: sed ad culpam naturæ. Si enim in natura humana nulla culpa præcessisset, nulla pœna fuisset: sed quia culpa in natura præcessit, personæ alicui divinitus pœna infertur sine culpa personæ ad meritum virtutis. *Adde Append.*, nn. 377-423.

DISPUTATIO III.

DE DIGNITATE PERFECTIONIS SUMPTA EX EJUS NOMINIBUS ET DE ALIIS

ARTICULUS I.

Ille dicitur perfectus qui veram sapientiam habet.

1237. Doctrina articuli est D. Thomæ, fundata in illa auctoritate D. Pauli, I. Corinth. II: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Dicit Sanctus: Sapientiam autem, idest profundam doctrinam loquimur inter perfectos. Dicuntur autem aliqui perfecti dupliciter. Uno modo, secundum intellectum; alio modo, secundum voluntatem: hæ enim inter potentias animæ sunt proprie hominis, et ideo secundum eas oportet hominis perfectionem considerari. Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, qui spiritualia et intelligibilia capere possunt, de quibus dicitur Hebr. V: Perfectorum est solidus cibus, eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem mali et boni. Perfecti autem secundum voluntatem sunt quorum voluntas super omnia temporalia elevata, soli Deo inhæret, et ejus præceptis. Unde Matth. V, propositis dilectionis mandatis subditur: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quia igitur doctrina fidei ad hoc ordinatur ut fides per dilectionem operetur, ut habetur Galat. VII, necesse est eum qui in doctrina fidei instruitur, non solum secundum intellectum bene disponi ad capiendum et credendum, sed etiam secundum voluntatem et affectum bene disponi ad diligendum et operandum. Hæc ille. Imperfectis et incipientibus ambulare vias Domini initia sapientiæ proponimus, et perfectionis rudimenta

prædicamus, quia necdum sunt sublimioris disciplinæ capaces: at perfectis et ex consuetudine virtutis vias spiritualibus vestigiis tenentibus, non jam exordia sapientiæ, sed occulta et abscondita perfectionis et sanctitatis loquimur, et auribus idoneis ad audiendum ingerimus.

1238. D. Thomas exponens illud ad Hebræos v: Perfectorum est solidus cibus: eorum (*scil.*) qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali, dicit sic: Hoc enim patet in corporalibus, quod quando homo pervenit ad ætatem perfectam, utitur fortiori et nobiliori et solidiori cibo. Sic spiritualis, quando pervenit ad perfectionem spiritualem, debet ei proponi doctrina solidior. Ista autem perfectio duplex est. Una est perfectio secundum intellectum, quando aliquis habet judicium intellectus ad recte discernendum et judicandum de his quæ sibi proponuntur. Alia est perfectio secundum affectum, quam facit charitas, quæ est cum aliquis totaliter Deo inhæret. Est autem perfectio charitatis, ut dicit Augustinus, ubi nulla est cupiditas. Quanto enim quis magis ascendit in Deum, tanto plus contemnit temporalia. Psal. LXXII: Quid enim mihi est in cœlo, etc. Hoc enim habet sacræ Scripturæ doctrina, quod in ipsa non tantum traduntur speculanda, sicut in geometria, sed etiam approbanda per affectum. Unde Matth. v: Qui autem fecerit et docuerit, etc. In aliis autem scientiis sufficit, quod homo sit perfectus secundum intellectum: in istis vero requiritur quod sit perfectus secundum intellectum et secundum affectum. Loquenda sunt igitur alta mysteria perfectis. Hæc ille. Ex quo sequitur, quam bene loquitur Sapiens de illa, Sap. VII: Est, inquit, in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis.

1239. D. Thomas explicans illud Matthæi XXIII: Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, dicit sic: In hoc quod dicit: Mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, diversa dona Spiritus sancti significat. Alii datur donum sapientiæ, alii genera linguarum; I. Corinth. XII. Omnia ista dona habuerunt Apostoli. Habuerunt donum prophetiæ in dicendo

futura; Joel. III: Effundam de spiritu meo super omnes gentes, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Item, sapientiæ, quia omnia cognoscebant; Lucæ XXI: Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Item fuerunt scribæ, quia intellectum Scripturæ habuerunt. Chrysostomus aliter explicat; sed ad idem: Ecce ego mitto ad vos sapientes et scribas, sic ait: Vere missi sunt sapientes adversus hæreticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem, non litterati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, et in lingua acquisita per exercitationem carnalem: sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam, sapientes animo, non corpore; corde, non ore; fide, non verbis. De quibus dicit Propheta, Psal. LXXXIX: Dexteram tuam sic notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia. Hieronymus in hunc modum scribit: Sapientes bifariam nuncupantur, tam hi qui sunt plenæ perfectæque virtutis, quam illi qui incipiunt, et in profectu positi sunt. De perfectis dicitur: Mittam ad vos sapientes; de incipientibus: Argue sapientem, et diliget te. Perfectio itaque spiritualis vitæ vera sapientia est, quæ ab utilioribus et magis necessariis exordiens, peccata, vitia radicitus evellit, virtutes inserit, bonis operibus diligenter intendit, similitudinem Creatoris exquirit; postea vero tum et rerum supernarum cognitionem infert, qua homo eruditus a Domino, non superbit, sed modestior fit; non sola curiositate, sed vera devotione pascitur, non obliviosus verbi auditor, sed sedulus operator efficitur.

1240. D. Thomas, 1 2, q. 5, art. 4, duplicem beatitudinem assignat: unam inchoatam in hac vita, alteram perfectam in alia. Loquendo de inchoata aliqui posuerunt illam in contemplatione Dei, alii vero in amore erga Deum et vera charitate, alii denique in mandatorum observatione constituunt. Sed ipsorum dicta si attente legantur, et non tam verba quam sensus sub verbis latentes inspiciantur, summa consensione beatitudinem in hac vita possibilem non in alio quam in actibus perfectionis ponunt; atque adeo ipsam perfectionem (quæ magis ad actiones ex habitu procedentes, quam ad ipsum habitum referenda est) beatitudinem vitæ hujus esse confirmant. Sapienter ergo Ambrosius ut perfectionem hujus vitæ beatitudinem astruat, vitam beatam cum vita perfecta confundit, his verbis:

Vita beata est in hominibus, sed in his scilicet in quibus fuerit perfecta vita. Bene ergo dicit Apostolus: Sapientiam, idest beatitudinem, loquimur inter perfectos.

1241. Dominus perfectos homines tum luce fidei, tum luce sapientiæ collustrat, ut agenda et vitanda pervideant: illa ut actione impleant; hæc, ut a sua operatione dimoveant. Quæ lux quia clarissima est, et communium fidelium lucem ac cognitionem superat, non solum substantiam operum jussorum et vetitorum exponit, sed et minima quæ operibus adjacent, quibus optime opera bona præstantur, et mala omnino vitantur, patenter ostendit. Quare perfecti, qui sunt spirituales Nazareni, divino numini consecrati, non tantum vinum iniquitatis non bibunt, verum etiam uvas recentes et passas, et quidquid ad vinum longe pertinet, et aliquem odorem malitiæ aut imperfectionis habet, suo ori non admovent. Sunt etiam velut solertissimi famuli non domui solum, sed conclavi Regis æterni secretissimo deputati, in quo necesse est non utcumque famulari, sed diligentissime, et sine ullo defectu, aut oscitantia servire. Ex hac illustrissima luce illa cura in bonis operibus agendis, et illa circumspectio in occasionibus imperfectionum vitandis exoritur, quam non sine admiratione in perfectis sæpe notavimus, nec sine compunctione conspeximus. Videas illos dum orant, dum psallunt, dum legunt, dum populo verbum Dei proponunt, dum cum aliis de aliquo negotio loquuntur, et breviter dum aliud quid faciunt, tanta id puritate, tanta diligentia facere, ut optima optimo modo præstent, et nihil quod ad operis pulchritudinem est necessarium prætermittant.

1242. Ille Beseleel spiritu Dei repletus, et sapientia, et intelligentia, et scientia decoratus, quicquid ad usum tabernaculi et ministerium divini cultus erat necessarium, sapientissime excogitavit, et quidquid mente concepit, pulcherrime in opus produxit, et perfectissime fabrefecit. Ita hi edocti luce cœlesti, quod Deo placitum et honorificum est, prudentissime excogitant, et vita atque operatione conficiunt. Videas etiam illos in occasionibus labendi cautos, in dictis suis et factis et cogitationibus circumspectos, ne in aliquod peccatum, aut in aliquam imperfectionem incurrant, quæ purissimos oculos divinæ majestatis offendat. O quam perfecte complent illud Apostoli documentum, ad Ephes. v: Ut filii lucis ambulate: fructus

enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.

1243. Audiamus D. Thomam in expositione horum verborum: Ambulat autem quis ut filius lucis, dupliciter. Primo quidem ad substantiam, vel genus operis; secundo, quantum ad modum, vel intentionem facientis. Primo ergo ponit opera quæ oportet facere; secundo, qua debent fieri intentione. Dicit ergo: Dixi ut ambuletis ut filii lucis. Fructus autem lucis sunt opera fructifera et clara. Eccli. XXIV: Flores mei fructus honoris. Et hoc " in omni bonitate. „ Ubi advertendum est quod omnis actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet quod agens ordinetur in se, ad proximum, et ad Deum. In se, ut sit bonus in se ipso, et propter hoc dicit: " in omni bonitate; „ Ps. CXVIII: Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Item, ad proximum per justitiam, ideo dicit: " in justitia; „ Psal. CXVIII: Feci judicium et justitiam. Ad Deum per cognitionem et confessionem veritatis; et ideo dicit: " in veritate; „ Zachariæ VIII: Veritatem enim et pacem diligite. Vel aliter, ut bonitas referatur ad cor, justitia ad opus, veritas ad os. Deinde cum dicit " probantes, „ ostendit qua intentione debeant operari, quia non ex abrupto, sed probantes, idest ratione discernentes. Galat. VI: Opus suum probet unusquisque. Et hoc " quid sit beneplacitum Deo, „ idest ut intendatis facere quod placet Deo. Rom. XV: Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.

ARTICULUS II.

Perfectio vitæ spiritualis comparatur margaritæ.

1244. D. Thomas exponens parabolam quæ adducitur a Matthæo, cap. XIII: Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, per margaritam intelligit doctrinam evangelicam, quæ est una propter veritatem. Virtutes enim multæ sunt, sed necessitas una. Unde Dionysius dicit quod virtus dividit, sed veritas odorem dat: unde ad designandam veritatem vocat unam. Item dicitur una propter diversam doctrinam prophetarum. " Abiit et vendidit, „ idest omnes doctrinas et prophetarum et philosophorum pro ista dimisit.

Proverb. xxv: Inauris aurea, et margarita fulgens; quæ arguit sapientem et aurem obedientem. Etiam intelligit pro ista margarita Christum. Vocatur etiam perfectio vitæ spiritualis margarita, quam diligens negotiator margaritis quærendis insistens, invenit, et venditis omnibus quæ possidebat, et in pretium ejus oblatis, in suum usum vindicavit. Quod ita esse tum negotiatoris munus, tum margaritæ natura et pulchritudo, tum finis, cujus gratia margarita emitur et possidetur, satis clare et perspicue demonstrant. Nam negotiator iste virum spiritualem significat, qui velut industrius negotiator scientia pollet, et rerum acquirendarum industria; qui temporis ad negotiandum, et loci opportunitatem agnoscit, qui nec amore magno erga divitias spirituales, nec ardenti desiderio eas congregandi caret; scit enim dictum esse a Domino: Negotiamini dum venio, Lucæ xix. Qua jussione perculsus, et spe præmii cœlestis animatus, nequaquam labori parcit, aut cor suum negligentia et socordia tabescere sinit.

1245. Vir spiritualis et justus, qui cogitationes suas et desideria in Christum pretiosissimam margaritam sustollit, negotiator est. Si enim margaritæ videnti sunt pulchræ, pauperi desiderabiles, possidenti pretiosæ, quid Christo pulchrius? quid Christo desiderabilius? quid Christo pretiosius? Denique melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri. Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari: et sic sequendo Christum margaritam pretiosam possum adquirere perfectionem spiritualem. Idem Sanctus nomine margaritæ intelligit charitatem, et cum in charitate consistat perfectio, per margaritam intelligit perfectionem: et non quælibet perfectio dicitur margarita, sed illa quæ secum omnes alias margaritas trahit.

1246. Plinius, lib. 9, quem sequitur Origenes, dicit unum mirabile loquendo de conchyliis in quibus margaritæ generantur, unum esse inter illa magnitudine præstantissimum, et pulchritudine gemmæ intra se reconditæ venustissimum, quod turmatim alia conchylia velut ducem sequantur, et ipsum tamquam regem, aut imperatorem comitentur. Hoc igitur conchyle urinatores præ omnibus apprehendere cupiunt: siquidem eo capto fere nullo negotio universum agmen concharum apprehenditur, suum ducem sequens, et apprehendens omnium margari-

tarum possessor efficitur. Ecce detectam et patefactam sanctæ perfectionis dignitatem atque naturam. Ipsa margarita est: nam si margaritæ terrenæ, quas scilicet terreni homines amant, magni sunt pretii, ut ex Plinio et experientia comperimus, nihil est in vita spirituali perfectione pretiosius: siquidem velut omnium virtutum genitrix earum societatem amat, pulchritudinem et decorem possidet, et quatenus est earumdem origo, vim naturamque sortitur. Cui illud Sapientis egregie convenit, Prov. XVII: Gemma gratissima expectatio præstolantis; quocumque se vertit, prudenter intelligit. Nam præstolans non est alius quam justus, qui cum desiderium cordis sui in terra non habeat, in cœlo illud amplectendum esse prudenter expectat. Hujus expectatio in hac vita perfectio est; nam si quod habet quis non sperat, iste non virtutes quas habet, sed ipsarum perfectionem et absolutionem, quam nondum accepit, habere desiderat. Quæ perfectio gemma est gratiosissima et omnium aliarum pretiosissima, pro cujus desiderio virtutis amator in quocumque negotio circumspecte se gerere curat, ne rei a se concupitæ possessione fraudetur. Margaritæ in conchis generantur, et hæc nostra pulchra margarita prius quam annulo, quem speramus, æternæ felicitatis cingatur, in concha mortalitatis inclusa continetur. Unde Paulus ait, II. Corinth. IV: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

1247. Aliud mirabilius in hac margaritarum procreatione contingit, quod Plinius solertissimus rerum naturalium indagator, inter alia non siluit: pro qualitate scilicet roris a concha concepti margaritum mutari, et aut candidius puro, aut obscurius turbido rore suscepto produci. Quod revera nostræ margaritæ perfectionis non deficit, quæ pro qualitate gratiæ sanctis concessæ, et pro vocationum discrimine, cum natura una eademque sit, colore aut aspectu alia atque alia esse conspicitur. Hinc oriuntur sanctorum hominum diversa studia, actionesque distinctæ, cum tamen omnes margaritam habeant, idest a perfecta charitate ad agendum incitentur, et ad eamdem plenius habendam moveantur. Quosdam videas silentii et quietis studiosos, alios piæ sollicitudinis, et sancti laboris amatores; hos amor vitæ activæ capit, illos vitæ contemplativæ desiderium tenet, alios vitæ mysticæ admiratio succendit. Quidam man-

suetudine tamquam candore nitent; quidam zelo et severitate tamquam pallore fulgent; hi circumspectione et timore pavent; illi fiducia et amore audent, et alii fervore et magnanimitate resplendent. Horum omnium una charitas perfecta est. Et ideo Ecclesia dicitur non uno colore vestita, sed circumdata varietate.

1248. Dicit Plinius quod margaritæ solis radios fugiunt, usu atteruntur, et incuria atque indiligentia colore mutantur. Eadem prorsus in perfectione tamquam in vera margarita reperio, quæ nos cautos faciant, et non solum a superbia, verum etiam a noxio tepore submoveant. Perfectio solis hujus radios fugit, quia non ostentationem diligit, non mortalium laudationes aucupatur, non ab hominibus efferri concupiscit: et eo ipso solius justitiæ solis conspectum et laudem exquirit. Quare sancti ita rebus spiritualibus vacant, ut tamen quantum possunt, se ab oculis hominum abscondant. Neque enim sunt ex illis qui, ut dicit Job, mandunt herbas, et arborum cortices, idest, sola humana laude delectantur, et ventrem inani vento distendunt; sed ex illis qui in suis operibus illud Domini mandatum custodiunt: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Margaritæ a latinis appellantur uniones, quia in una concha nullæ duæ indiscretæ reperiantur: multo melius perfectio potest, licet alia ratione, nomine unionis insigniri, quod omnes alias margaritas, idest universas virtutes secum copulet, in animam perfectam trahat, et ex omnibus veluti unam gemmam pretiosissimam, idest unam animæ formam, unamque decoris speciem conficiat. Hoc enim proprium sanctitati et perfectioni est, ut sicut omnia vitia ab anima perfecta profligat, ita omnes virtutes inserat, et eam ex superba humilem, ex iracunda mansuetam, ex avara largam, ex lasciva castam, ex vitiosa studiosam et omnis boni amatricem faciat.

1249. Margarita est Principum ac Regum ornamentum. Una margarita unam solam corporis partem, ut aurem, aut caput, aut pectus ornat; at una perfectio omnes animæ partes, et omnes vires ejus honestat, et pulcherrimas reddit. Animæ substantiam ipsam gratia vestit, intellectum immenso fidei, sapientiæ et prudentiæ lumine irradiat, voluntatem charitate et misericordia induit, concupiscibilem temperantia, et irascibilem fortitudine cingit, et ipsum corpus modestia et tranquillitate componit. Tanta perfectio est hujus margaritæ lex, tantus de-

cor, tanta pulchritudo ut divinos oculos capiat, qui sola puritate delectantur, et ipsa sola inter iniquos et justos, inter damnatos et beatos discrimen constituat. Quis ergo dubitet perfectionem margaritam esse, quæ velut gemma pretiosa splendorem, pulchritudinem et immensum valorem habet; et ornamentum est animæ sanctæ, quo decora et Deo digna existimatur, et spiritibus cœlestibus amabilis et pulchra videtur?

ARTICULUS III.

Perfectio vocatur thesaurus, ob cujus amorem universa relinquimus.

1250. D. Thomas exponens parabolam quæ adducitur a divo Matthæo cap. XIII: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, per istum thesaurum intelligit tria. Primo evangelicam doctrinam, de qua II. Corinth. IV: Habemus hunc thesaurum in vasis fictilibus, qui absconditus est in agro hujus mundi, scilicet ab oculis immundorum; Matth. XI: Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. — Secundo intelligit cœleste desiderium; Isaiæ XXXIII: Timor Domini ipse est thesaurus ejus. Iste est absconditus in agro disciplinæ spiritualis, quia exterius videtur contemptibilis, interius vero dulcedinem habet; Prov. XXIV: Diligenter exerce agrum tuum. — Tertio intelligit verbum Dei, de quo ad Coloss. II: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi; Sap. VII: Infinitus enim thesaurus est hominibus, in quo etiam intelligit perfectionem. Hæc ille. Et D. Bernardus, libro Sententiarum: Tres sunt thesauri, quos nobis thesaurizare debemus, nimirum desiderium pietatis in corde, et doctrina veritatis in ore, et assiduitas perseverans in homine: pro quibus omnibus unicus perfectionis thesaurus abundantissime sufficit.

1251. Perfectio generat desiderium pietatis, quæ est cultus Dei, ut docet D. Thomas 2 2, qu. 101, art. 1: Homo efficitur diversimode aliis debitor, secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium, et sic per-

fectio quærit cultum Dei, quoniam omnis ejus cura in hoc sita est ut Deum adoret, et in spiritu et veritate colat, et universa huic purissimo cultui adversantia removeat. Tradit quoque doctrinam veritatis, quia ipsam Evangelii veritatem carnalibus inaccessibilem, non tantum ore docet (quod per se satis magnum est), verum in corde recondit, et quo pacto complenda sit operibus omnis virtutis ostendit. Procreat tandem (quod ad se attinet) perseverantiæ assiduitatem, quia cum ipsa sit perfecta virtus, justorum mentibus non leviter affixa, sed intime radicata, amorem boni, et in omni justo opere voluptatem affert: amor vero et voluptas in aliquo negotio homines perseverantes constituit. Non ergo inveniri poterit thesaurus perfectione copiosior, quæ voluntatem pietate vestiens, et intellectum veritate illustrans, et utrique in bono perseverantiam impertiens, quidquid boni animæ necessarium est, abunde suppeditat.

1252. D. Thomas explicans parabolam thesauri, dicit: Thesaurus est copia divitiarum; et iste thesaurus est duplex: alius simplex, qui magna copia divitiarum unius generis constat, ut auri solius, vel argenti, vel gemmarum; alter multiplex, qui universas omnis generis divitias, ut aurum, et argentum, et gemmas, et vasa pretiosa, et vestes, et utensilia domus, et alias opes valoris immensi comprehendit. Huic similem putamus perfectionem: quare eam thesaurum multiplicem, sive omnes divitias animæ continentem appellamus; cui nihil omnino ad veram et omnimodam animæ puritatem invehendam deficiat. Sicut enim qui invenisset illum thesaurum, quem appellavimus multiplicem, omnia haberet, quibus et sibi ipsi sufficeret, et sociorum, sive amicorum necessitati provideret, ita inveniens perfectionis thesaurum omnia habet, quæ spirituali viro, et Angelorum amico, et cœlestis patriæ civi, et Dei per adoptionem filio sunt necessaria, quorum possessione et sibi ipsi sufficiens est, et aliis, quibus vitam agit, utilis atque proficuus.

1253. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Coloss. cap. II, loquentis de Christo: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, dicit sic: Deus habet omnium rerum notitiam, et hæc notitia comparatur thesauro; Sap. VII: Infinitus enim thesaurus est hominibus, etc. Thesaurus est divitiæ con-

gregatæ ; sed effusæ non dicuntur thesaurus, sed quæ in uno sunt. Deus enim sapientiam suam sparsit super omnia opera sua ; Eccle. I. Et secundum hoc non habet rationem thesauri, sed secundum quod hujusmodi rationes uniuntur in uno, scilicet sapientia divina : et omnes hujusmodi thesauri sunt in Christo. Sapientia enim est cognitio divinorum : scientia vero est creaturarum cognitio. Quidquid autem de Deo potest sciri pertinens ad sapientiam, totum Deus abundanter in se cognoscit. — Item, quidquid potest cognosci de creaturis, cognoscit in se supereminenter. Quidquid autem in sapientia Dei est, in verbo suo uno : quia uno simplici actu intellectus cognoscit omnia, quia in eo non est scientia in potentia, nec in habitu, et ideo in isto verbo sunt omnes thesauri. Sed addit " absconditi, „ propter debilitatem intellectus mei, vel propter velamen oppositum. In verbo Dei sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, sed absconditi nobis, qui non habemus limpidos oculos, sed lippos ; Joan. XII : Adhuc modicum lumen in vobis est. Et quia est velatum duplici velamine, scilicet creaturæ, quia intellectus noster nunc ad illam cognitionem (*devenire*) non potest, nisi per similitudinem creaturarum ; Rom. I : Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, etc. Secundo est velamen in carne ; Joan. I : Et Verbum caro factum est. Et si aliquid videmus de Deo, non tamen totum. Isaiæ XLV : Vere tu es absconditus. Num. XX : Aperi eis thesaurum tuum. Ponamus quod aliquis habeat candelam velatam, non quæreret aliunde lumen : sed potius quod habitum ab eo reveletur. Et ideo non oportet sapientiam quærere nisi in Christo. I. Cor. I : Non existimavi me aliquid scire, nisi Christum Jesum, etc. Et I. Joan. III : Cum apparuerit, idest revelabitur, similes ei erimus, scilicet omnia scientes, sicut qui haberet librum ubi esset tota scientia, non quæreret, nisi ut sciret illum librum : sic et nos non oportet amplius quærere nisi Christum, qui est thesaurus. Hæc ille.

1254. Thesaurus iste est perfectio, et de illa loquens D. Thomas, 1 2, q. 99, art. 6, dicit : Perfectio autem hominis est ut contemptis temporalibus, spiritualibus inhæreat, ut patet per illud quod Apostolus dicit, Philipp. III : Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea quæ priora sunt me extendo : quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Et satis magnus, atque pre-

tiosus esset iste perfectionis thesaurus, etiamsi solam vitam et salutem animæ contineret. Sed non tantum has duas gemmas pretiosas continet: imo aliorum omnium bonorum est refertissimus. Cibum habet, et illum suavissimum, qui nequaquam calore naturali consumitur; sed cibo semper manente, homo interior in dies ejus sumptione reparatur. Perfectis enim maxime competit ille cibus de quo ait Dominus, Jo. VI: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Nam, ut dicit Augustinus, cibus iste cibus est grandium, quem qui manducaturus est, oportet ut crescat, et ad virilem ætatem, idest ad perfectam virtutem, venire festinet. Hujus alimenti tanta est dulcedo, tanta suavitas, ut nunquam comedentem exsatiet, et ad nauseam et fastidium provocet. Eccli. XXIV: Nam qui edunt me adhuc esurient, et quo magis editur, in sanis et bene dispositis (*eo*) majorem sui famem exsuscitat, et vehementius comedendi desiderium accendit. Potum habet abundantissimæ gratiæ, quæ sanctis et justis præsto est, et illum dulcissimum, qui mentem inebriat, et ab omnibus hujus sæculi desideriis alienat, cujus hæc est laus in Canticis canticorum, cap. V: Comedite, amici, et inebriamini, charissimi.

1255. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Timotheum III: Ut perfectus sit homo Dei, dicit sic: Quia non potest homo esse perfectus nisi sit homo Dei. Perfectum enim est cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus, quando est instructus, idest paratus ad omne opus bonum: non solum ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis. Bonum autem facientes non deficiamus, Galat. ult. Hæc ille. — Continet etiam iste thesaurus perfectionis multa alia, quia qui ipsum habet, deliciis, honoribus, dignitatibus et divitiis abundat, ita ut nihil illi desit ad vitam beatam transigendam. An non est voluptuosa perfectio, cum scriptum sit: Quia consolabitur Dominus Sion, hoc est animam virtute perfectam, et consolabitur omnes ruinas ejus, et ponet desertum ejus, quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini? An non est perfectio honorabilis, propter quam habebo claritatem ad turbas, et honorem apud seniores et juvenes; et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me? An non est dignitatis plena, cujus dono Dominus magna et pretiosa nobis promissa

donavit, per quæ divinæ efficiamur consortes naturæ? An non est dives, cujus possessori promittitur quod habebit thesaurum in cœlo, et possidebit paratum sibi regnum a constitutione mundi? Vere dives, inquit Ambrosius, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est.

ARTICULUS IV.

Perfectio vocatur mons, et regnum Dei.

1256. Mons est similitudo expressa perfectionis. D. Thomas explicans illud Matthæi v: Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, dicit sic: Christus ascendit in montem propter quinque rationes. Prima ad ostensionem suæ excellentiæ: ipse enim est mons de quo Psal. LXVII: Mons Dei mons pinguis. Secunda, ad ostendendum quod doctor hujus doctrinæ debet ad eminentiam vitæ conscendere. Isaiæ XL: Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion. Chrysostomus: Nemo potest in valle consistere, et de cœlo loqui. Tertia ratio, ad ostendendam altitudinem Ecclesiæ cui doctrina proponitur. Isaiæ II: Erit mons domus in vertice montium, et elevabitur super colles. Quarta, ad ostendendum perfectionem hujus doctrinæ, quia perfectissima. Psal. XXXV: Justitia tua sicut montes Dei. Quinta, ut congruat ista veteri legislationi quæ data fuit in monte. Et cum omnia ista perfectionem significent, sequitur quod mons est expressa figura perfectionis. Mons enim iste, in quo Dominus sermonem illum insignem prædicavit, et pauperes, ac mites, et lugentes beatos appellavit, et qui antea aperuerat ora prophetarum, os suum ad nos docendum aperuit, perfectionem significat, quam ipse, ut egregius concionator, vitæ præferebat, et verbis atque sermonibus declarabat. Quod Augustinus perspicue tradit, dicens: Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant quæ Judæis data sunt. — Et clarius postea interpretatur illud: Non potest civitas abscondi supra montem posita, his verbis: idest fundata super insignem magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons in quo disputat Dominus. Nec nomen illius montis, qui, ut ait Hiero-

nymus, erat mons Thabor, ab hac mystica significatione dissentit. Thabor namque idem est quod electio, vel puritas. Et perfectionem ut finem quidem nostrarum actionum intendimus.

1257. D. Thomas explicans illud Joannis VIII: Jesus autem perrexit in montem Oliveti, dicit sic: Dominus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut per diem quando erat Jerosolymis in diebus festis prædicaret in templo, signa et miracula faceret, et in sero revertebatur in Bethaniam, quæ erat in monte Oliveti et apud sorores Lazari, Mariam et Martham, hospitabatur. Secundum igitur hunc morem dicit quod cum in novissimo magnæ festivitatis die Jesus stetisset in templo, et prædicasset, et sero perrexit in montem Oliveti ubi erat Bethania: et hoc convenit mysterio; nam, ut dicit Augustinus, ubi decebat Christum docere, et suam misericordiam manifestare, nisi in monte Oliveti, in monte unctionis et chrismatis? Oliva autem misericordiam significat. Unde et in græco eleos (ἔλεος) idem est quod misericordia. Lucæ X dicitur de Samaritano quod infundit oleum et vinum, secundum misericordiam et severitatem judicii. — Item oleum sanativum est; Isa. XI: Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata medicamine, neque fota oleo. Signatur etiam medicina spiritualis gratiæ, quæ ad nos derivata est. Psal. XLIV: Unxit te Deus, etc. Et alibi: Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam. Hæc ille. — Perfectio merito significatur per montem Oliveti, qui est mons misericordiæ; perfectio magnum donum est misericordiæ Dei, et cum oleum significet gratiam, perfectio est, summa gratia. Hæc ille.

1258. D. Thomas explicans illud Isaiæ XXV: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, dicit sic: Hic ponit ea quæ pertinent ad exaltationem bonorum. Et hoc tripliciter. Primo, quantum ad abundantiam honoris, quam describit sub metaphora. " Convivium „ quod paratur de animalibus pinguibus et vino depurato. " In monte hoc, „ quia ibi Christus passus est: unde nobis omnia bona provenerunt; vel quia ibi judicabit, ut dicitur Matthæi XXII: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia sunt occisa. Hæc ille. Mons, inquam, iste perfectio est, aut vita perfecta, propter quam sive Ecclesia, sive patria

cœlestis excelsa dicitur, et instar montis sublimis et alta nominatur. Quis enim erat hic mons, nisi mons Sion, qui interpretatur acervus, ut et nomen huic monti inditum perfectionem quoque figuratam esse declararet, quæ nihil aliud est, nisi quidam omnium virtutum et cœlestium donorum acervus, quem habens anima, nec famem timet, nec alicujus rei indigentiam perhorrescit? Quod autem in hoc monte Dominus universis populis convivium lætitiæ faciat, illud sancti David, Psal. XLVII, abunde confirmat: Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, quia ad omnium gaudium, et lætitiam, atque emolumentum perfectio tamquam civitas regis magni in terra fundatur, et ut imago quædam patriæ cœlestis erigitur. Unusquisque etiam alicujus sancti atque perfecti vitam considerans, hoc evidenter intelligit.

1259. D. Thomas explicans illud Isaiæ II: Erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles, dicit sic: " Erit mons domus Domini, „ in quo domus Domini est fundata. Ezech. III: Dimisit me super montem excelsum, " in vertice montium, „ idest majorem, " et elevabitur super colles, „ idest super minores principes. Isaiæ II: Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. Aliter explicatur a Hieronymo: Habemus hic montem et montes, habemus etiam montes et colles. Mons singularis, et mons qui est domus Domini, perfectio est (quia etiam, ut dicit D. Thomas, iste mons Christus est), vere regia Dei et porta cœli, quæ Deo pacatissimum præbet habitaculum, et nobis pandit ad cœlestes sedes introitum, montes sancti sunt, et perfecti, et colles qui in virtute proficiunt, et ad perfectionem aspirant. Unde Hieronymus ait: Nos autem montes et colles eos intelligamus, qui in excelsum virtutibus elevati sunt, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quos Dominus provocat ad bibendum. Qui enim biberit de aquis ejus, non sitiet in æternum. Mons est in vertice montium, quia perfectio ipsos, quos affert, sanctos et perfectos excedit, cum illi nunquam omnes divitias perfectionis capiant. Si igitur mons iste noster, montibus, idest ipsis sanctis atque perfectis omnibus est sublimior, quanto magis sublimitate colles minores et humiliores excedet!

1260. Huic nostro monti cœlesti non desunt ea quæ Isidorus terrenis montibus aptat. Nam si montes sunt natura sublimes,

non deest perfectioni sublimitas, qua supra valles, hoc est homines iniquos atque perversos, et supra campos, idest supra communes bonos et justos, et supra colles, nimirum supra proficientes et ad alta tendentes, erigitur. — Mons iste perfectionis sublimis, etiam est solidus et firmus, quem non intus aer vanitatis complet, non ventus superbiæ et ambitionis inflat, sed verissimarum virtutum, ac amplissimæ puritatis copia distendit. Non desunt huic monti sacro aquarum recessus, in quibus aquæ cœlestes, idest gratiæ et Dei dona se recipiant, ut inde in colles et campos descendant, et in usum bonorum fluant. Nam sicut Moyses spiritum abundantissimum prophetiæ et gubernationis acceperat, quem sine detrimento suo (ut Theodoretus ait) posset in alios effundere, unde audit, Num. XI: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent tecum onus populi: ita sancti ad perfectam virtutem admissi, gratias et dona humilitatis, castitatis et aliarum virtutum recipiunt, tam magna atque copiosa, ut possint ea communicare aliis, et potentia verbi, ac actionis exemplo ad virtutum studium et amorem valeant suos fratres promovere. Et propterea quisque justus mentis obtutu a sanctis et perfectis auxilium efflagitat, dicens, Psal. CXX: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

1261. O mons sancte, mons excelse, mons pulcherrime; vel ut verius loquamur, o mons qui es ipsa sanctitas, ipsa sublimitas, ipsa pulchritudo! O mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. O mons, benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sancte, in quo justitia inhabitat, et sanctitas suam sedem constituit.— Dicit David, Psal. XXIII: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Audite mirabilem expositionem D. Thomæ. " Quis ascendet? „ dicit Sanctus: Magnus est, et quomodo accedetur ad eum? Eccle. II: Quis est homo qui possit sequi regem factorem suum? " In montem Domini. „ Mons significat hic altitudinem divinæ justitiæ, sive majestatis. Ps. XXXV: Justitia tua sicut montes Dei. Mons ergo est altitudo

divinæ majestatis, vel sublimitas Christi, qui mons dicitur; Isaiæ II: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; et elevabitur, etc. Quis ergo ascendet tantum quod deveniat ad Christum et Deum? sancti viri qui disponunt ascensiones in corde suo, ascendent. Item quis poterit stare ibi, ubi ipse est, qui est locus sanctus, locus gloriæ? Jerem. XVII: Locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel. Exodi III: Locus in quo stas, terra sancta est; quasi dicat: Quis stabilietur ibi? Sed alibi dicit, Psal. CXXI, quod sic stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. Unde consequenter ponitur responsio.

1262. " Innocens manibus. „ Job XXII: Salvabitur innocens. Salvabitur autem munditia manuum suarum; Psal. XXV: Ego in innocentia mea ingressus sum. — Aliud pertinet ad puritatem cordis: et quantum ad hoc ponit quod conservetur cor purum a concupiscentiis interioribus; unde dicit: " Et mundo corde. „ Matth. V: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Item ab omni cupiditate rerum temporalium: " Qui non accepit in vanum animam suam, „ idest qui non effudit super res vanas; vel qui non vane gloriatur de virtutibus; vel qui non permittit sensualitatem suam pervenire usque ad consensum peccati. Hieronymus habet: " Qui non extollunt in vanum, „ quia ex munditia cordis aliqui superbiunt; Ps. CXXX: Domine, non est exaltatum cor meum. — Item, pertinet ad veritatem oris; unde sequitur: " Nec juravit in dolo proximo suo. „ Zachariæ VIII: Juramentum mendax non diligatis. " Hic accipiet benedictionem, „ idest bona a Deo. Prov. X: Benedictio Domini super caput justi; I. Petri III: In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. " Et misericordiam a Deo salutari suo, „ qui liberat a miseria. Vel aliter potest accedere innocens manibus, quia potest esse innocens, propter hoc quod " accipiet benedictionem a Domino et misericordiam, „ qua vitat peccata. Rom. IX: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Consequenter ostendit istum modum in generali: " Hæc est generatio quærentium Dominum, „ quasi dicat: In generali multi sunt tales: et isti sunt tota generatio quærentium Deum, qui sunt innocentes, etc. Unde loquitur Scriptura de bonis sicut de una generatione. Matth. c. XXIV: Non pertransibit generatio hæc, scilicet bonorum, etc.

Et describit eam a duobus: scilicet a studio, quia nihil quærit nisi Deum, unde dicit: " Quærentium Deum, „ etiam in vita ista. Isaiæ LV: Quærite Dominum dum inveniri potest. Quo fine? Ut perveniat ad ejus visionem; unde sequitur: " Quærentium faciem Dei Jacob. „ Exodi XXIII: Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Hæc divus Thomas.

1263. Perfectio vocatur regnum Dei. Hoc clare dicit D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Romanos XIV: Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Dicit Sanctus: Regnum autem Dei dicitur hic id per quod Deus regnat in nobis, et per hoc quod ad regnum ipsius pervenimus, de quo dicitur Matthæi VI: Adveniat regnum tuum. Et Micheæ IV: Regnabit Dominus super omnes in monte Sion. — Deo autem conjungimur et subdimur per interiorem intellectum et affectum, ut dicitur Jo. IV: Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Et inde est quod regnum Dei principaliter consideratur secundum interiora hominis, non secundum exteriora. Unde dicitur Lucæ XVII: Regnum Dei intra vos est. Ea vero quæ sunt exteriora ad corpus pertinentia, in tantum ad regnum Dei pertinent, inquantum per ea ordinatur, vel deordinatur interior affectus, secundum ea in quibus principaliter consistit regnum Dei. Et ideo cum esca et potus ad corpus pertineant, ipsa secundum se non pertinent ad regnum Dei, nisi secundum quod eis utimur, vel ab eis abstinemus. Unde dicitur I. Corinth. VIII: Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus. Pertinet tamen usus, vel abstinentia escæ et potus ad regnum Dei, inquantum affectus hominis circa hoc ordinatur vel deordinatur. " Sed regnum Dei est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto; „ ut justitia referatur ad exteriora opera, quibus homo unicuique reddit quod suum est, et ad voluntatem hujusmodi opera faciendi, ut dicitur Matthæi VI: Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus; pax autem referatur ad effectum justitiæ. Per hoc enim pax maxime perturbatur, quod unus homo non exhibet alteri quod ei debet; unde dicitur Isaiæ XXXII: Opus justitiæ pax. Gaudium autem referendum est ad modum quo sunt justitiæ opera

perficienda ; ut enim dicit Philosophus, II. Ethic., non est justus qui non gaudet justa operatione. Causam autem hujus gaudii exprimit dicens: " in Spiritu sancto. „ Est enim Spiritus sanctus, quo charitas Dei diffunditur in nobis. Illud enim est gaudium in Spiritu sancto quod charitas parit, puta cum aliquis gaudet de bonis Dei et proximorum. Hæc ille.

1264. Ex qua doctrina Apostoli et D. Thomæ colligitur quod non in esca et potu, aut aliqua re terrena regnum Dei positum est ; sed in vera, perfecta et consummata justitia. Hæc autem est qua homo sibi ipsi quod suum est, scilicet peccatum, verissima confessione tribuit; et proximis, cum opus est, bona, tum temporalia, tum spiritualia concedit; et Deo pietatis cultum, mandatorum observantiam, beneficiorum gratitudinem et verum ac fidelem amorem impertit. Hoc totum proprium est perfectionis ; ergo dicendo a D. Paulo regnum cœlorum esse justitiam, pacem, gaudium in Spiritu sancto, dicit regnum Dei esse perfectionem, cum in his consistat.

1265. D. Thomas explicans illud Matthæi III : Appropinquabit regnum cœlorum, dicit sic : Regnum cœlorum in sacris Scripturis quatuor modis accipitur. Quandoque enim dicitur ipse Christus habitans in nobis per gratiam ; Lucæ XVII : Regnum Dei intra vos est, et dicitur regnum cœlorum, quia per inhabitantem gratiam inchoatur nobis via cœlestis regni. Secundo, sacra Scriptura ; Matthæi XXII : Auferetur a vobis regnum Dei, scilicet sacra Scriptura. Et dicitur regnum, quia lex ejus ducit ad regnum. Tertio, dicitur præsens Ecclesia militans ; Matthæi XXIII : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, etc. Et dicitur regnum cœlorum, quia ad modum cœlestis Ecclesiæ est institutum. Quarto, dicitur regnum cœlorum cœlestis curia ; Matthæi VIII : Venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum. Hæc ille. — In omnibus his quatuor perfectio designatur ; nam si nomine regni cœlestis significatur Christus habitans in nobis per gratiam, tam Christus quam gratia significant perfectionem : nam Christus est principium omnis perfectionis, et in ipso habitat omnis perfectio ; in gratia consistit omnis perfectio. Si nomine regni cœlestis accipiatur sacra Scriptura, quid illa perfectius ? Si utraque Ecclesia tam militans quam cœlestis, nihil

creatum potest illis adæquari, et sic continent omnem perfectionem in suo genere. Perfectum enim dicitur cui nihil deest in suo genere.

1266. D. Thomas in IV, dist. 49, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 5, dicit quod nomen regni a regendo est sumptum, regere autem providentiæ actus est; unde secundum hoc aliquis regnum habere dicitur, quod alia sub sua providentia habet; et ideo secundum hoc homines in regno Dei esse dicuntur, et ejus providentiæ perfecte subduntur. Providentiæ autem est ordinare in finem: in finem autem ordinantur et ea quæ distant a fine, secundum quod perducuntur ad finem, et ea quæ jam assecuta sunt finem, secundum quod in fine conservantur. Et cum regula providentiæ sit finis, illa perfecte providentiæ subduntur, quæ jam in ipso fine collocantur. Totum hoc habet perfectio: ipsa enim est potestas a divina potestate derivata, et mentibus sanctorum, seu perfectorum impressa. Ipsa est quæ ad modum potestatis, quam Deus gerit in cœlis, perfectos viros non timore pœnæ, non præmii spe, sed solo regit amoris affectu; non minis et terroribus adigit, sicut in terrena republica fieri consuevit, sed more dilectissimæ matris mellifluo sermone et dulcissima inspiratione demulcet, et ad bonum præstandum, et malum vitandum stimulat; non flagellum aut gladium, ut servis, sed pomum et gemmam, ut charissimis filiis ostendit. Non erit mirabile istud considerantibus, quoniam perfectio est regnum Dei, qui cum sit suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus se, regnum suum potius vult amoris et dulcedinis imperio regi, quam timoris et formidinis habenis gubernari. Et adhuc stuporem minuet advertere, quia perfectio est regnum cœlorum, quæ, sicut empyreum cœlum, non continet nisi filios Dei, filios obsequentissimos, quorum unum desiderium est cœlesti Patri obsequi, suo genitori placere, et non solum apertæ Dei voluntati, sed minimo quoque divinæ voluntatis indicio in omnibus obedire.

ARTICULUS ULTIMUS

In quo ponuntur aliqua scitu digna hausta ex sermonibus D. Thomæ pertinentia ad viam purgativam, illuminativam et unitivam.

1267. D. Thomas in sermone Purificationis loquens de via purgativa dicit: Debemus purgari septem modis. Primo a peccati coinquinatione; Eccli. XLVII: Christus purgavit peccata; Hebr. I: Purgationem peccatorum faciens. Secundo, in cognitione quoad intellectum; I. Timoth. I: Ex corde puro, idest intellectu sine errore, dicit Glossa; Jacobi IV: Purificate corda, duplices animo. Tertio, in affectu quoad dilectionem; I. Tim. V: Qui invocant Deum de conscientia pura. Quarto, in mente per rectam intentionem; I. Corinth. V: Expurgate vetus fermentum, idest hypocrisim; Lucæ XVII: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Quinto, in ore, quoad locutionem; Proverb. XV: Sermo purus, etc. Sexto, in manibus, quoad operationem; II. Timoth. II: Levantes puras manus. Septimo, in toto corpore, quoad conversationem; Isaiæ I: Excoquam ad purum scoriam tuam, idest conversationem. — Idem Sanctus in sermone sancti Marci dicit: Quatuor sunt agri; tertium justus colit agricola, idest Pater cœlestis, quatuor modis. Primo, fructificationem vitiorum extirpando; Boetius: Qui serere volet ingenuum agrum, liberet arva fructicibus. Secundo, aratro contritionis scindendo; Isaiæ XXVIII: Numquid quotidie arabit arans? et post: Seret gith et cyminum. Tertio, semina virtutum seminando. Quarto, aquis lachrymarum irrigando; Eccli. XXIV: Rigabo hortum meum. Hæc ille.

1268. D. Thomas, sermone Dominicæ infra octavam Epiph., adducit illam auctoritatem D. Pauli ad Rom. XII: Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei: Probat Apostolus in quibus consistit tota perfectio hominis: primo, ut sæculi forma deponatur; secundo, ut forma novæ vitæ assumatur; tertio, ut Dei voluntas agnoscatur. — Triplex est forma sæculi: prima est terrenorum

cupiditas, secunda carnalis concupiscentia, tertia vitæ superbia. De his tribus I. Jo. II: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. — Ista triplex forma dat triplex esse: quia prima forma dat esse terrenum, secunda animale, tertia diabolicum. Avaritia facit hominem terrenum, concupiscentia carnis animalem, superbia similem facit diabolo. Jacobi III: Non est ista sapientia desuper descendens, sed terrena, animalis, diabolica. — Primo modo conformantur huic sæculo avari, secundo gulosi et luxuriosi, tertio superbi: ideo pereunte sæculo peribunt et ipsi. Gregorius: Qui labenti innititur, necesse est ut cum labente ruat. I. Joan. II: Nolite diligere mundum. Quare? Quia transit mundus et concupiscentia ejus. Nova vitæ forma assumenda est: voluntatis sanctitas; Ephes. VI: Facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate; — locutionis veritas; Ephes. IV: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; — operis æquitas; Galat. VI: Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Hæc ille.

1269. D. Thomas, Dominica XXI, ex Evangelio insinuat quod peccatores debent purgari, quia laborant septem febribus. Prima est continua, quæ est luxuria; Osee IV: Fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Deum dereliquerunt in non custodiendo. Secunda, quotidiana, quæ est gula, in qua quotidie peccatur; Isa. LVI: Comedamus et bibamus, et erit sicut hodie sic et cras et multo amplius. Tertia, tertiana, quæ significat iracundiam ex accessione caloris; Eccli. cap. XXVIII: Secundum enim ligna sylvæ, sic exardescet ignis, secundum virtutem suam exaltabit iram suam. Quarta, febris quartana, quæ significat acidiam, quæ provenit ex melancholia; Prov. XXV: Sicut tinea vestimento et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi; Deuter. XXVIII: Percutiat te Dominus egestate, febri, et frigore, ardore, æstu et aere corrupto, ac rubigine. Quinta, ethica, quæ est avaritia, quæ difficile vel nunquam curatur; Hieronymus: Cum cætera vitia senescant in homine, sola avaritia juvenescit. Sexta, ephimera, quæ est superbia, quia cito deficit; Psal. LXXII: Dejecisti eos dum allevarentur; Job, cap. XXIV: Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. Septima, putrida, quæ est invidia;

Prov. XIV: Vita carnis sanitas cordis, putredo ossium invidia. Hæc ille.

1270. D. Thomas in eodem sermone dicit: Septem sunt quæ sanant hominem ab istis septem febribus. Prima est devota verbi Dei auditio; Ps. CVI: Misit verbum suum et sanavit eos; Sap. XVI: Etenim nec herba nec malagma sanavit illos, sed sermo tuus, Domine omnipotens, qui sanat omnia: tu es qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. Secunda est peccati contritio; Ps. L: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Tertia, devota Dei exclamatio; Psal. XXIX: Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Quarta est fidei infusio; Lucæ VII: Dixit autem Dominus ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace. Quinta est misericordiæ exhibitio; Isa. LVIII: Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris: et tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Dei colliget te. Sexta, peccati desertio; Isa. XXVI: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. Septima, perfecta cordis contritio, et plena hominis ad Deum conversio; Psal. CXLVI: Qui sanat contritos corde; Jerem. III: Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Hæc ille.

1271. D. Thomas, sermone Quinquagesimæ ex Evangelio, dicit quod debemus purgari a peccato, quod excæcat hominem; sicut enim cæcus non videt corporaliter, ita peccator non videt spiritualiter. Sunt autem septem quæ visum corporalem impediunt, et significant septem mortalia vitia quæ spiritualiter excæcant. — Primum est faciei inflatio: et hæc est superbia; Augustinus: Nimis inflata facies mea me videre non sinit. — Secundum est aeris obtenebratio: hæc est invidia. Unde invidus dicitur quasi non videns; Sap. II: Excæcavit eos malitia eorum. Dicitur de Judæis invidis, I. Reg. XVIII: Jam non rectis oculis aspiciebat Saul David, etc. — Tertium est oculorum conturbatio: hæc est ira; Psal. XXX: Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. — Quartum est pulveris, vel alicujus grossi superjectio: hæc est avaritia. Pulvis enim temporalia sunt quæ excæcant; Augustinus: Defluxi ad temporalia et obscuratus sum. — Quintum est oculorum clausio; cum enim quis claudit oculos, aut non vult aperire oculos, non videt: hæc est

accidia. Accidiosus enim ex sola pigritia aperiendi oculos intellectuales non potest videre bona spiritualia ; Boetius : Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem veritatis attollere, similesque sunt avibus, quarum nox intuitum illuminat, excæcat dies. — Sextum sanguinis et humorum circa oculos multiplicatio : hæc est gula ; Prov. XXIII : Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ad litteram, et oculos etiam spirituales et corporales nimia potatio vini excæcat. — Septimum panniculi obumbratio ; nascitur enim aliquando quidam panniculus in oculo, sive nubecula, et excæcatur homo : hoc fit per luxuriam ; Augustinus : Ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis, et obnubilabant, et obfuscabant cor meum, ut non discerneretur sinceritas dilectionis a caligine libidinis. Hæc ille.

1272. D. Thomas in eodem sermone : Sicut sunt septem quæ excæcant animam, ita septem sunt quæ illuminant. — Primum est fides ; Luc. XVIII : Respice, fides tua te salvum fecit. Augustinus : Fides est illuminatio mentis, qua mens illuminatur a prima luce ad videndum bona spiritualia. — Secundum, humilitas ; Joan. IX : Ego in judicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, idest qui se videre non existimant, quod est humilium. — Tertium est amaritudo pœnæ ; Tob. VI : Fel valet ad ungendum oculos in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. In felle amaritudo significatur. — Quartum est dilectio proximi ; Apoc. II : Collyrio enim inunge oculos tuos ut videas. — Quintum est abundantia lacrymarum ; hoc probatum est in cæco nato, qui lavit oculos suos in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo et lavit, et venit videns. Joan. IX : Vade in natatoria Siloe. — Sextum est devota oratio ; Matth. XX : Et clamaverunt dicentes : Domine, miserere nostri, fili David ; et post : Misertus Jesus tetigit oculos illorum, et confestim viderunt. — Septimum est devota sanctarum Scripturarum auditio ; Isa. XX : In die illa audient surdi verba libri signati, et oculi cæcorum videbunt. Hæc ille.

1273. D. Thomas, serm. Dominicæ XIX, advertit quod propter multa non debemus dare locum diabolo. — Primo, quia serpens est volens animam quæ eum suscipit veneno malitiæ venenare ; Apoc. XII : Projectus est draco iste magnus, antiquus

serpens, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus in terram, et angeli ejus missi sunt in terram. — Secundo, quia est leo quærens animam devorare; I. Pet. v: Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. — Tertio, quia est invidus, malum suo hospiti ordinando; Eccle. III: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur illam qui sunt ex parte ejus. — Quarto, quia est accusator, semper suos hospites accusando; Apoc. XII: Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat ante conspectum Dei nostri die ac nocte. — Quinto, quia est fur, omnia bona gratiæ suo hospiti furando; Luc. VIII: Inde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. — Sexto, quia est homicida, hospites suos morte perpetua jugulando; Joan. VIII: Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est in eo veritas. — Septimo, quia qui facit hujusmodi locum diabolo, locum habebit cum diabolo in inferno; Matth. XXV: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Patet ergo quod in multis plus stulti sunt qui locum diabolo faciunt in corde suo, quam qui reciperent serpentem, leonem, furem, homicidam in domo sua. Hæc ille.

PRO POTENTIIS INTELLECTIVIS ET SENSITIVIS.
DE MORTIFICATIONE ET DE PASSIONE CHRISTI.

1274. D. Thomas, in sermone S. Agathæ, exponit moraliter illud Cant. I: Dabo tibi ubera mea. Quando quis dat id quod charum habet, signum est quod diligit. Duo ubera debemus dare Domino, intellectum scilicet et affectum. — Intellectum quatuor modis. Primo, eum ab errore purgando; ad Ephes. IV: Hoc dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui: tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem. Secundo, a curiositate inanis scientiæ abstinendo; ad Rom. I: Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Tertio, eum sub

fide Christi captivando; II. Cor. x: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Quarto, eum totum in Dei contemplatione occupando; Psal. xlv: Vacate et videte quoniam suavis est Dominus. Hæc ille.

1275. Debemus ei dare affectum quatuor modis. Primo, eum ab omni malitia purgando; Jerem. iv: Lava a malitia cor tuum. Secundo, omnem illicitum amorem ab eo excludendo. Tertio, licitum amorem, si non propter Christum, ab eo expellendo; Augustinus: Minus te amat, qui tecum alium amat. Quarto, eum totum amore Christi replendo; Deuter. vi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, idest nihil sit tibi vacuum ex amore Christi. — Si autem sic dederimus Domino intellectum et voluntatem, uterque remunerabitur quatuor modis in futuro. Primum præmium intellectus erit plena de omnibus cognitio; I. Cor. xiii: Tunc cognoscam sicut et cognitus sum. Secundum, certa de omnibus comprehensio; Augustinus: Habemus unum doctorem intellectus, quem semel vidisse totum didicisse est; Isa. l: Tunc videbis, et affluës, et dilatabitur cor tuum, etc. Tertium, perfecta de visione Christi exultatio; prorsus omni gaudio gaudium plenum erit, videre hominem hominis Conditorem. Quartum, beata divinitatis contemplatio; I. Joan. iii: Tunc videbimus eum sicuti est. — Item, primum præmium affectus erit ab omnibus miseriis liberatio; Apoc. xxi: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, idest omnem causam lacrymarum. Secundum, de cunctis creaturis exultatio; Genes. xviii: Vide ad aquilonem et meridiem, etc. Tertium, de visione suppliciorum damnatorum jucundatio; Psal. lvii: Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum. Quartum, de æternis deliciis perfruitio; Deut. vii: Rerum omnium abundantia perfrui; I. Corinth. xv: Deus erit omnia in omnibus. Hæc ille.

1276. D. Thomas, in sermone Dominicæ in Passione, dicit quod sensus auditus est necessarius ad audiendum verbum Dei. Quod quidem verbum est triplex. Primum est æternale; Joan. i: In principio erat Verbum. Secundum est mentale; Job iv: Porro ad me dictum est absconditum verbum. Tertium, vocale; Matth. iv: Non in solo pane, etc. — Primum auditur per fidem; Joan. xi: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Secundum per inspirationem; Ps. lxxxiv: Audiam quid loquatur

in me Dominus Deus. Tertium, per prædicationem; Luc. VIII: Qui habet aures audiendi, audiat. — Idem Sanctus in secundo sermone de eodem Evangelio, dicit quod sermo Dei, qui pertinet ad auditum, servandus est sex modis. Primo, intellectu, per cognitionem; Psal. XXXVI: Lex Dei ejus in corde ipsius. Secundo, in affectu per dilectionem; Psal. CXVIII: Ignitum eloquium tuum vehementer, etc. Tertio, in memoria per jugem meditationem; Psal. CXVIII: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Quarto, in aure per frequentem ipsius auditionem; Isa. LV: Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, etc.; Matth. XV: Qui habet aures audiendi, audiat. Quinto, in ore per jugem de Deo locutionem; Psal. CXVIII: In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui; Exodi XIII: Lex Dei semper sit in ore vestro. Sexto, in manu per operationem; Psal. CXVIII: Levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi. — D. Thomas, sermone Dominicæ tertiæ, ex Epistola, dicit quod omnis homo debet esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum; Jacobi I. Quia natura hoc tripliciter docet. Primo, quia natura dedit homini duplex instrumentum audiendi, et tantum unum loquendi. Secundo, quia natura dedit pluribus animalibus auditum, loquelam non dedit nisi homini animali rationali. Tertio, quia natura dedit instrumenta audiendi semper aperta, sed instrumentum loquendi claudit sub duobus claustris, vel muris, sub labiis et dentibus. Hæc ille.

1277. D. Thomas in sermone sanctorum Joannis et Pauli loquitur de mortificatione, fundatus in illa auctoritate D. Pauli ad Rom. VIII: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Dicit: Mortificantur Sancti multis modis. Primo, cum vitiis se ipsos macerando; Coloss. III: Mortificate membra vestra. Secundo, carnem spiritui subjiciendo; Rom., cap. VIII: Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Tertio, se Christi passioni configurando; II. Cor. III: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes. Quarto, detractionum malignitatem tolerando; Psal. CVIII: Compunctum corde mortificare. Idem Sanctus, serm. tertio Dominicæ sextæ, fundatus in verbis Matth. V: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, dicit: Monet nos vitare iram, quia ira lædit naturam tripliciter. Primo, lædit rationem per obscurationem; secundo, lædit memoriam per oblivionem; tertio, lædit

voluntatem per malam affectionem. De his tribus Psal. xxx: Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria. — Iracundus facile incurrit triplex homicidium. Primo, homicidium sui; Job iv: Virum stultum interficit iracundia. Secundo, homicidium animæ proximi, quam provocat ad discordiam et odium; Prov. xv: Vir iracundus provocat rixas, et qui patiens est mitigat suscitatas. Tertio, homicidium corporis proximi; Eccli. viii: Cum iracundo non facies rixas, nec cum audace eas in desertum; quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adjutorium allidet te. Hæc ille.

1278. D. Thomas, serm. secundo Dominicæ in Ramis Palmarum, loquens de passione Domini nostri Jesu Christi, dicit: Circa passionem Domini tria debemus considerare. Primo, passionis qualitatem; secundo, passionis virtutem; tertio passionis utilitatem. Circa passionis qualitatem, notandum quod passio Christi fuit valde amara propter tria. — Primo, propter patientis bonitatem. Patientis bonitas patet ex tribus. Primo, quia nulli nocebat; I. Petri ii: Qui peccatum non fecit, etc. Secundo, quia illatas injurias patientissime sustinebat; I. Petri ii: Qui cum malediceretur, non maledicebat, etc. Tertio, quia omnibus benefaciebat; Actor. x: Qui pertransit benefaciendo, etc. — Secundo, propter passionis vilitatem. Quæ vilitas patet in tribus. Primo, quia fuit voce omnium tamquam sceleratissimus judicatus; Luc. xxxiii: At illi clamabant: Crucifige, crucifige eum. Secundo, quia multipliciter opprobriatus est; Matth. xxvii: Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et genuflexo ante illum, illudebant ei dicentes: Ave, rex Judæorum, et expuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus. Tertio, quia morte turpissima condemnatus est. Hæc ille.

1279. Circa virtutem passionis notandum quod virtus passionis ejus apparuit in tribus. Primo in cœlo, qui ei lumen abstulit; Luc. xxiii: Et tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, et sol obscuratus est. Secundo, in terra, quæ tremuit; Matth. xxvii: Terra mota est. Tertio, in

inferno, qui mortuos reddidit; Matth. XXVII: Multa corpora sanctorum, etc. Virtutem ergo passionis Christi cœlum clamat, terra prædicat, infernus nuntiat; Philipp. II: Christus factus est obediens usque ad mortem, etc.; et post: Ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.—Circa utilitatem passionis, consecuti sunt utilitatem de passione Christi cœlestes, terrestres et infernales. Per passionem ergo Christi cœlestes reparati sunt, homines terrestres de manu diaboli liberati sunt, et sancti patres qui erant in inferno, inde extracti. De primo, Coloss. I: Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra. De secundo, Joan. XI: Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. De tertio, Zach. IX: Tu quoque in sanguine Testamenti, etc. Hæc ille.

DE ALIQUIBUS QUÆ PERTINENT AD VIAM ILLUMINATIVAM.

1280. D. Thomas, in sermone Dominicæ in Sexagesima, ex Epistola dicit quod quatuor sunt modi contemplationis. — Primus modus versatur circa considerationem Scripturæ, qui intelligitur per raptum in paradisum: Scio hominem raptum, etc. Dionysius: Pulsemus in hortum optimum paradisi Scripturarum, qui odoriferis, qui dulcibus, qui speciosissimis intellectualium deiferarum volucrum cantilenis circumsonat aures nostras, qui tangit quidem cor nostrum, et contribulatum lætificat quidem, iratum autem subtemperat et lætitia æterna multiplici implet. Secundus modus versatur circa considerationem creaturæ incorruptibilis, qui intelligitur per primum cœlum; Ps. VIII: Quoniam videbo cœlos tuos, etc. Ad litteram loquitur de cœlo materiali. — Tertius modus versatur circa considerationem creaturæ spiritualis, considerando ordines angelorum ad Deum, ad nos, ad se ipsos: qui intelligitur per raptum usque ad tertium cœlum. Augustinus: Nimirum cœlum cœli quod in principio fecisti, creatura est aliqua, scilicet intellectualis, quamquam non tibi Trinitati coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ valde immutabilitate sua pro dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ, cohibet, et sine lapsu ullo ex quo facta est merendo,

tibi excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. — Quartus modus versatur circa considerationem divinitatis, qui intelligitur per raptum in tertium cœlum; II. Cor. III: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, etc. Bernardus: At omnium maximus qui spreto usu rerum et sensuum, quantum humanæ naturæ fragilitati fas est quidem non ascensionis gradibus, ad illa sublimia advolare interdum contemplando consuevit: et hæc contemplatio cum perfecta fuerit, erit summa beatitudo. Augustinus: Introducis ad me, Domine, aliquando quamdam nescio quam dulcedinem, quæ superficitur in me, nescio quæ sit vita æterna si illa non est. Hæc ille.

1281. D. Thomas, sermone tertio Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ, fundatus in illis verbis Luc. I: Ego et pater tuus dolentes quærebamus te, dicit: Quærentes erant Maria et Joseph, per quos duo genera hominum designantur a quibus quæritur Dominus: a contemplativis in contemplatione, et ab activis in actione. Maria interpretatur illuminata, et significat contemplativos, qui in contemplatione suscipiunt divinas illuminationes. Joseph interpretatur augmentum, et significat activos, qui debent habere augmentum operum misericordiæ. Hæc ille.

1282. D. Thomas, in prologo super Joannem, dicit quod contemplatio est triplex: alta, ampla et perfecta. Altitudo et sublimitas contemplationis consistit maxime in contemplatione et cognitione Dei. Isa. XL: Levate in excelso oculos vestros, et videte quis fecit hæc. Tunc ergo homo oculos contemplationis in excelso elevat, quando videt et contemplatur ipsum rerum omnium creatorem. Tunc contemplatio ampla est quando in causa potest aliquis considerare omnes effectus ipsius causæ, quando scilicet non solum essentiam causæ, sed etiam virtutem ejus secundum quam se ad multa diffundit, cognoscit. De qua diffusione dicitur Eccli. XXIV: Qui implet quasi Phison sapientiam, et quasi Tigris in diebus novorum; Psal. LXIV: Flumen Dei repletum est aquis. Tunc contemplatio perfecta est, quando contemplans perducitur et elevatur ad altitudinem rei contemplatæ. Si enim remaneret in infimis, quantumcumque alta ipse contemplaretur, non esset contemplatio perfecta. Ad hoc ergo quod sit perfecta, oportet quod ascendat, et consequatur ipsum finem rei contemplatæ, inhærendo et assen-

tiendo per affectum et intellectum veritati contemplatæ. Job, cap. XXXVII: Numquid nosti semitas nubium, idest contemplationes prædicantium, quod perfectæ sunt: inquantum firmiter per affectum et intellectum inhærent summæ veritati contemplatæ. Hæc ille.

1283. D. Thomas, in sermone vigiliæ Nativitatis Domini, dicit quod contemplativi illuminantur a Christo, qui est sol et lux. Lux habet sex effectus. Primus est illuminatio; secundus, fœcundatio: fœcunditas enim est ab influentia lucis; tertius, præservatio: est enim lux præservativa; quartus, ordinatio; quintus, ornatio; Dionysius: Lux confusum et inordinatum ordinat et ornat; sextus, sui effusio: est enim lux effusiva sui: fœcundavit, virtutum radios infundendo, et ad bona opera commovendo; Isa. LVIII: Implebit splendoribus animam tuam; et post: Et eris hortus irriguus, etc. — Contemplativi ornantur virtutibus; dicit D. Thomas, in sermone vigiliæ Pentecostes, fundatus in illa auctoritate Job XXVI: Spiritus Domini ornavit cœlos: Contemplativi vocantur cœli, et isti adornantur virtutibus, sicut cœli adornantur stellis; et ponit in eis quinque ordines stellarum. Primus ordo, virtutes theologicæ; I. Cor. XIII: Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc. Secundus, virtutes politicæ; Sap. V: Sobrietatem et sapientiam docebit et virtutem, quibus nihil est in vita utilius. Tertius, septem dona Spiritus; Isaiæ XI: Requiescet super eum Spiritus Domini, etc. Quartus, octo beatitudines; Matth. V: Beati pauperes, beati mites, etc. Quintus, duodecim fructus Spiritus sancti; Galat. V: Fructus autem Spiritus sunt gaudium, etc. His virtutibus ad ornantur contemplativi, sicut cœli adornantur stellis. Hæc ille.

DE ALIIS
QUÆ PERTINENT AD VITAM UNITIVAM.

1284. Vita unitiva consistit in charitate. D. Thomas, loquens de charitate in sermone Quinquagesimæ ex Epistola dicit. Charitas dicitur chara res, propter quatuor. Primo, quia non potest haberi, nisi ab uno solo, et a summo Bono donatur; Rom. V: Charitas Dei diffusa est in cordibus, etc. Secundo, quia solum a bonis habetur; Augustinus: Charitas est fons

proprius, cui non communicat alienus. Tertio, quia cum ipsa bona omnia possidentur; Augustinus: Attende quantum bonum est charitas, quæ si absit, frustra habentur cætera; si autem adsit alicui, habentur omnia. Quarto, quia qui habet eam nimis charus est Deo: sicut qualitas est secundum quam quales dicimur, sic charitas est secundum quam chari dicimur. Unde Dominus in charitate manentes vocat charissimos; Cantic. v: Comedite, amici, et inebriamini, charissimi. — Et idem Sanctus, Opusc. LXI, c. 5, loquens de delectatione quæ habetur per charitatem, dicit in persona hominis: Homo Dei sum, a quo sum omnino quod sum, habeo totum quod habeo, expecto totum bonum quod habiturus sum. Dominus ergo et Deus meus est, gloriorque non immerito liberum me esse et nobilem, utpote immediate imperatori summo subjectum, cum etiam angelus non sit mihi dominus, sed conservus. — Cæterum alia relatio est qua refertur homo, vel servus ad dominum, alia qua amicus ad amicum, et nobilior secunda quam prima. Augustinus: Obstupesce igitur, anima mea, dignatione Dei tui erga te; nobilitavit te, o homo, Deus inferius constituens dominum irrationabilium. Psal. VIII: Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Qui dominaris brutis, non mirum esset si angelorum, saltem Seraphin, dominio subdereris. Sed nunc non sic, sed nobilis es in relatione ad superius, solus Deus vere est dominus tuus. Sed dilatare usque ad mortem præ admiratione; cui debueras servus esse, jubet ut sis amicus. Joan. XV: Jam non dicam vos servos, sed amicos. Stude igitur amicus esse ei a quo amaris, servus esse cui obligaris.

1285. D. Thomas, Opusc. LXI, capp. 9, 10, 11, et in aliis, loquens de motivis propter quæ Deus est diligendus, dicit: Homo diligit hominem propter naturæ conformitatem, quia est præsens, quia utilis, quia consanguineus: propter ista magis est diligendus Deus. Propter naturæ conformitatem: ne in hoc præponderaret, et ideo præeligeretur homo Deo, Deus factus est homo. Hic ergo magis amandus est quam aliquis homo propter tria, scilicet causam, statum et durationem. — Primo propter causam: amicus igitur es hominis qui tecum fit, vel factus est homo, potius ejus sis qui propter te factus est homo, utique propter te, scilicet redimendum morte humanitatis, propter te nutriendum sacramento corporis et sanguinis. Au-

gustinus: Ut panem angelorum manducaret homo, Creator angelorum factus est homo. Item propter te erudiendum exemplis, et beatificandum dupliciter duabus naturis, ut ingredereris et egredereris, et pascua invenires, secundum illud Jo. x: Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. — Secundo, propter statum: amicus es hominis qui simplex homo, ergo debes esse amicus potius ejus qui summus est homo. — Item propter durationem: amicus es hominis, qui quotidie corrumpitur et tendit ad hoc ut desinat esse homo, quia mortuus homo non est homo; sed potius ejus amicus sis, qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, et ideo incorruptibilis, et nunquam desinens esse homo.

1286. Amicus es hominis, quia præsens. In hoc, dicit divus Thomas, cap. 10, Deus præponderat tripliciter, quia præsens est intime, semper et ubique. Homo vero præsens est quia juxta te; sed Deus præsentior, quia intra te. Augustinus, IV Confessionum: Intimus cordi est, et cor aberravit ab eo. Sed dicis: Quomodo non sentio si præsens est? Respondeo: Nec in homine hoc habes, cujus corpus tantummodo vides, quia si sine anima præsens esset, malles abesse. Patet ergo præsentiam animæ amici tui te magis amare, quam cum non videas, ex motibus corporis præsentem intelligis, et verbis qualitatem ejus erga te tibi significantibus, non demonstrantibus, credis. Sic licet, prohibente statu viæ, Deum, qui est in te præsens per essentiam, videre non valeas in se: per effectus tamen causam interim potes cognoscere et videre, donec intellectu confortato et mundato, facie ad faciem intueri liceat, et cognoscere posteriora per priora, effectum per causam, creaturam per creatorem. — Item homo præsens quandoque, et quandoque absens est necessario: sed nunquam Deus absens est tibi; licet tu quandoque elongans te absentes. Augustinus, X. Confess.: Intus eras, et ego foras, et ibi te quærebam, et in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam: mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe, quæ si in te non essent, non essent. — Item homo, cujus amicus es, alicubi tibi est præsens, alicubi absens. Deus ubique tibi est præsens.

1287. Amicus es hominis, quia utilis. Dicit D. Thomas, c. 11: In hoc autem tripliciter præponderat Deus. Nota quod trina est generalis utilitas, quam ab amico habere volens ipsum amas, scilicet adeptio boni sui, intentio boni tui, diminutio vel an-

nihilatio mali tui. — Præponderat evidenter Deus qui tibi communicans, et dat sua et se. Donat, inquam, dona digniora in substantia, majora in quantitate continua, plura in discreta quantitate, permanentiora in duratione et tempore, meliora in relatione ad finem, opportuniora secundum quando et ubi. Ad Rom. VIII: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donavit? Joan. I: Omne datum optimum, et omne donum perfectum, etc. Quis amicorum filium suum, vel spiritum suum tibi donaturus est, ut Deus fecit? Cæterum de donis datis magna et multa donavit in præterito, donat et donare non cessat in præsenti: sed maxima et plurima donabit in futuro. — Secundo amicus es hominis qui tecum sciens bona tua, et communicans ipsa tibi, reddit jucundiora. Seneca: Nullius boni sine socio jucunda est possessio; unde, secundum Aristotelem, magis est eligendum quod contingit amicos participare, quam quod non. Cæterum hoc amicos non prodit, quoniam in hoc secundum superficiem non differt fictus amicus a vero. Eccli. XII: Non agnoscitur in bonis amicus. Non agnoscitur, inquam, utrum amicus personæ vel rerum, tuus vel tuorum. Nam prius invenies inter homines qui diligat propter tua te, quam qui tua propter te: quoniam est amicus socius mensæ, et non permanet in tempore necessitatis. Verus autem amicus esset, si bono tuo propter te congauderet, etiam si participaturus non esset. Sed in hoc nullus ad amicitiam tibi Deo aptior, qui sciens bona tua utpote dona sua, et de his tibi congaudet, et dans communicare a te vel participare non eget. Joan. XI: Gaudeo propter vos, ut credatis. — Amicus es hominis tertio, qui tecum participans mala tua annihilet, vel ad minus diminuat, et talem quære. Quærendus enim est, quia difficilius invenitur, quam primus vel secundus, quamvis utroque magis iste sit necessarius. Sed in hoc tertio signo multi deficiunt, qui prima duo fecerunt. Psal. XXXVII: Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. Verum digitus Dei in hoc tertio signo evidens est, qui cum in natura propria summe bona mala tecum communicare non posset, naturam tuam assumpsit, in qua tibi compatiens, et pœnæ tuæ socius fiens, misero tibi consolationem faceret, ut per naturam suam bonam tandem malum tuum annihilaret.

1288. Amicus es hominis, quia consanguineus. In hoc præponderat Deus. Tres sunt lineæ consanguinitatis, scilicet ascendens, in qua ut proximos diligis parentes, scilicet patrem et matrem, et plusquam avum vel aviam; descendens, in qua proximi sunt filius et filia; transversalis, in qua frater et soror. — In linea ascendenti præponderat Deus erga patrem sic: homo constat duabus partibus: una est corruptibilis, nempe corpus; alia incorruptibilis, nempe anima; per corpus assimilatur brutis, per animam Deo. Amo patrem, a quo solummodo habeo materiam corporis, causam libidinis, originem reatus: potius amabo patrem, qui corpus formavit, animam inspiravit. Deuter. xxxii: Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te? — Item in linea transversali fratres amantur ut proximi: sed Filius Dei amabilior frater, qui pro fratribus semetipsum tradidit in mortem. — In linea descendenti, ut proximus amatur filius: ergo volens Deus etiam sic ab homine amari, ut proximus factus est filius hominis, quod etiam de se sæpissime repetit, ne tanta consanguinitatis propinquitas dari oblivioni possit.

1289. D. Thomas, sermone de sanctis Simone et Juda, dicit: Sancti non sunt de hoc mundo; Joan. xv: Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Dicuntur autem Sancti non esse de hoc mundo propter tria. Primo, quia mundum et omnia quæ ejus sunt despiciunt. Matth. xi: Ecce nos reliquimus omnia; I. Joan. ii: Nolite diligere mundum; Philipp. iv: Omnia arbitratus sum ut stercora. Secundo, quia mundus eos persequitur; Joan. xv: Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Tertio, quia non secundum mores mundi vivunt. Mores mundi sunt gaudere, flere et affligi; Joan. xvi: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Item dicit Apostolus: Nostra conversatio in cœlis est, et non in mundo. — Dicit idem Sanctus: Elegit autem Dominus sanctos de mundo propter tria. Primo, propter ipsius mundi malignitatem; Joan. v: Totus mundus in maligno positus est. Secundo, propter pœnarum quæ in eo sunt, multiplicitatem. — Gregorius: Contemnendus est hic mundus, etiamsi rebus prosperis animum demulcet: nunc autem quia tot calamitatibus premit, quid aliud nisi ut contemnatur clamat? Tertio, propter per-

eundi necessitatem; I. Joan. II: Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Hæc ille.

1290. D. Thomas, serm. secundo sanctæ Trinitatis, dicit: Sancti dicuntur cœlum propter septem. Primo, propter continuum motum de virtute in virtutem; Psal. LXXXIII: Ibunt de virtute in virtutem. Secundo, propter concordiam; Job XXVI: Qui facit concordiam in sublimibus; Ephes. III: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; Actor. I: Erat illis cor unum. Tertio, propter ordinem; Job XXXIII: Numquid nosti ordinem cœli? I. Cor. XIV: Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Quarto, quia casa illius, idest Dei; I. Cor. IV: Nescitis quia templum Dei estis? Quinto, propter conversationem cœlestem; Philipp. IV: Nostra conversatio in cœlis est. Sexto, quia semper habent cor in cœlo; Matth. VII: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Item: Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Septimo, quia habent solem, et lunam, et stellas: solem charitatis, lunam fidei, et stellas aliarum virtutum. Hæc ille.

1291. D. Thomas, sermone in Octava Paschæ, ex Epistola dicit: Triplicem aquam dedit nobis Dominus Jesus. Primo, aquam baptismi ad peccatorum ablutionem; Ezech. XXVIII: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini. Secundo, aquam sapientiæ ad sitis spiritualis extinctionem; Eccli. XV: Aqua sapientiæ salutaris potabit illum; Joan. IV: Si quis biberit ex hac aqua. Augustinus dicit: Si quis biberit de aqua paradisi, de quo una gutta major est quam oceanus, restat ut in eo extinguatur sitis cupiditatis mundanæ. Tertio, aquam Spiritus sancti ad refrigerationem; Joan. VII: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dicebat de Spiritu, etc. — Idem Sanctus, serm. de Octava Paschæ, ex Evangelio dicit quod tripliciter est nobis necessaria pax. Primo, cum Deo; de qua Joan. XVI: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Secundo, pax in nobis; de qua Job V: Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Bernardus: Pax vobis a vobis sit, et quidquid exterius minari videtur, non timebitis, quia non nocebit. Tertio, pax cum proximis est necessaria; Rom. XII: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Hæc ille.

1292. D. Thomas, serm. Dominicæ primæ post Epiphaniam,

ex Evangelio, dicit: Quatuor nuptiæ leguntur in Scriptura. Primæ historicæ; Esther II: Fecit convivium præparari pro conjunctione et nuptiis Esther. Secundæ, allegoricæ; Matth., c. XX: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Tertiæ, tropologicæ; Osee II: Sponsabo te mihi in fide. Quartæ, anagogicæ; Matth. XXV: Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. — Per tertias nuptias moraliter intelligitur conjunctio Dei ad animam; in quibus nuptiis tria concurrunt: primo judicium, secundo justitia, tertio misericordia. Judicium quoad se ipsum, justitia quoad Deum, misericordia quoad proximum. — D. Thomas, sermone Resurrectionis, ex Epistola dicit: Christus tripliciter exhibuit se nobis in esum. Primo, sacramentaliter; Matth. XXVI: Accipite, et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Secundo, spiritualiter; Augustinus: Ut quid paras dentem et ventrem? Crede et manducasti. Tertio, æternaliter; Augustinus: Ibi de te me satiabis satietate mirifica. — Ad comedendum agnum immaculatum pro omnibus immolatum quinque sunt necessaria. Primo, ut expurgemur a carnali concupiscentia; I. Cor. V: Expurgate vetus fermentum. Vetus fermentum est carnalis concupiscentia, quæ a primo parente incœpit corrumpere massam naturæ humanæ. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Secundo, ut expurgemur a superbia; in eadem auctoritate: Non in fermento malitiæ. Malitia dicitur superbia, quia est initium omnis malitiæ; Eccli. X: Initium omnis peccati superbia. Tertio, debemus expurgari a malo avaritiæ; Eccli. X: Nil nequius quam amare pecuniam. Quarto, necessaria est mentis munditia; Numer. XVIII: Qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Quinto, necessaria est vitæ veritas; I. Cor. V: In azymis sinceritatis et veritatis. Hæc ille.

1293. D. Thomas, in sermone S. Stephani, dicit: Sancti coronantur quadruplici corona, argentea, stellea, aurea et gemmea. Corona argentea, Zach. VI: Sume argentum et facies coronam. Corona stellea, Apoc. XII: Et in capite ejus corona stellarum duodecim. Corona aurea, Eccli. XLV: Corona aurea super caput ejus. Corona gemmea, Psal. XX: Posuisti super caput ejus coronam de lapide pretioso. — Argentea corona est cordis claritas, quæ corpus mirabiliter decorabit; Isa. LXI: Sicut sponsum decoratum corona. Stellea corona est perfecta

de omnibus scientia; Eccli. VI: Corona gratulationis super te; dicitur de sapientia. Aurea corona est ipsa de divinitate jucunditas; Isaiæ XXXVIII: In illa die erit tibi Dominus corona gloriæ. Gemmea corona est æternitas; I. Petri V: Percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.

1294. Domine Deus meus, omnia quæ scripsi sunt præceptoris mei D. Thomæ, pro quibus immensas tibi gratias rependo. Et beatissimam Virginem ac omnes cœlestes, ut me adjuvent ad gratias agendas, rogo. Quidquid utilitatis pusilli ex hoc meo labore acceperint tibi offero, et gratum ac ratum habeo, et per fervorem et devotionem eorum, qui tibi placere student, meorum peccatorum indulgentiam postulo, et ut non aliam nisi te ipsum mercedem accipiam, confidenter efflagito. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX

Hic subnectimus Additiones *de quibus in* Præfatione, *p.* VIII. *nonnihil diximus.*

Vol. I.

1. (Pag. 58) Quæst. 2, Disp. 1, post art. 1.

I. *Anima vocatur ad vitam spiritualem.*

1. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Galat. I: Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, dicit sic: Notat causam suæ conversionis; quæ duplex est, scilicet beneplacitum Dei, quod est divina electio, et convertentis vocatio. — Quantum ad primum, dicit: " Cum autem placuit, „ scilicet Deo: non quando volui ego, sed quando placitum fuit sibi; quia non est volentis neque currentis, etc., ut dicitur ad Rom. IX. Ps. CXLVI: Beneplacitum est Domino. " Qui, „ scilicet Deus, " me „ scil. rebellem; I. Cor. XV: Ego sum minimus Apostolorum, etc., quoniam persecutus sum, etc.; Actor. IX: Saulus adhuc spirans, etc.; persecutorem: Saule, Saule, quid me persequeris? etc.; blasphemum; I. Tim. I: Qui fui blasphemus, etc. " Me „ talem, inquit, " segregavit ex utero matris meæ. „ Ad litteram: Qui fecit me nasci de ventre matris meæ. Et vere dicitur Deus segregare ex utero, licet sit opus naturæ, quæ est quasi instrumentum Dei, quia opera etiam nostra attribuuntur Deo, sicut principali auctori; Isa. XXVI: Omnia enim opera nostra operatus es nobis: sicut et effectus principali agenti attribuuntur. Et ab hoc utero segregatus est ad justificationem, quia ejusdem est justificare, cujus est condere; Psal. XXI: De ventre matris meæ. Vel " de utero matris meæ, „ scil. Synagogæ,

cujus uterus est collegium Pharisæorum, qui nutriebant alios in Judaismo. Sic ergo mater sua fuit Synagoga. Ex hoc ergo utero est segregatus per Spiritum sanctum ad fidem Evangelii.

2. Quantum ad aliam causam, dicit: " Et vocavit, etc. „ Est autem duplex vocatio. Una est exterior; et sic dicit: " Vocavit „ me cœlesti voce; Actor. IX: Saule, Saule, quid me persequeris? etc. Vade in civitatem, etc. Sic etiam alios apostolos vocavit. Alia est interior; et sic vocavit per quemdam instinctum quo Deus per gratiam tangit cor, ut convertatur ad ipsum, et sic vocavit a mala via in bonam, et hoc per gratiam suam, non nostris meritis; Rom. VIII: Quos prædestinavit, hos et vocavit. Aliter explicat idem Sanctus super cap. IV Matthæi: Et vocavit eos interius et exterius. Vocari interius nihil aliud est quam præbere auxilium humanæ menti, cum vult convertere nos. Finis autem conversionis ponitur cum dicit: " Ut revelaret Filium suum. „ Qui quidem finis est Christus. Ordinatur conversio ad Christum facto, idest in eo quod circa me fecit, convertendo me, et dimittendo peccata, (*ut*) revelaret quanta sit mihi facta misericordia.

3. Multæ sunt animæ quæ vocantur ad vitam spiritualem, et dicunt verba Pauli: Cum autem placuit ei, scilicet Deo: non quando volui ego, sed quando beneplacitum fuit sibi, qui scilicet Deus me rebellem segregavit a multitudine peccatorum, et vocavit interius et exterius: interius per instinctum, tangendo cor meum, et præbuit auxilium menti meæ ut converterer, et revelaret quanta sit mihi facta misericordia.

4. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Rom. VIII: Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, dicit sic: Prædestinatio autem irrita esse non potest, secundum illud Isaiæ XIV: Juravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit; et quomodo mente tractavi, sic eveniet. Primum autem in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis. Quæ quidem est duplex. Una exterior, quæ fit ore prædicatoris; Prov. IX: Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem. Hoc modo Deus vocavit Petrum et Andream, ut dicitur Matth. IV. Alia vero vocatio est interior, quæ nihil aliud est quam mentis instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum his quæ sunt fidei vel virtutis; Isa. XLI: Quis suscitavit ab oriente justum, et vocavit eum ut sequeretur se? Et hæc vocatio necessaria

est, quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret; Joan. VI: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum; Thren. IV: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.

5. Ista vocatio est audienda et attendenda, quia est Dei magistri et pastoris. Libenter enim magistrum vel dominum quilibet infirmus vel subjectus sequitur, quando vocatur. Cujus exemplum habemus in Samuele, qui credens se vocari in somno ab Heli sacerdote et magistro suo, statim respondit dicens: Ecce ego, quia vocasti me (I. Reg. III). Cum igitur Deus sit pastor et magister, bene dicitur quod vocatio ipsius est audienda, et ei per bona opera respondendum; Job IV: Vocabis me, et ego respondebo tibi. Pulli enim a matre vocati sequuntur eam; et agnus, quando matrem suam intelligit, post eam ambulat et currit. Cum igitur iste sit pater, et mater, et ductor, necesse est quod vocationi ipsius pareamus, et per bona opera post eum ambulemus. — Item debet audiri propter signum amoris, quia assistentia et præsentia vocantis est signum quod ipse diligit illum quem vocat, et sic melius auditur præsens quam absens; Isa. LVIII: Vocabo, et dices: Ecce adsum. — Debet etiam audiri propter sonum clamoris. Vocatio enim præsupponit altiorem sonum quam communis locutio: sonus vero quanto plus clamat, tanto plus auditur, et ideo vocatio Dei est fortis et valida, et ideo debet audiri.

6. Multæ animæ vocantur ad pœnitentiam et ad vitam purgativam, ut insinuatur Marc. IX: Non veni vocare justos, sed peccatores. Et Isa. XXII: Vocavit Dominus ad fletum et planctum. Quæ significantur in illis verbis Joannis V, loquentis de piscina: Quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum et aridorum. D. Thomas: Per hoc mystice significatur quod lex non poterat peccata sanare, secundum illud Hebr. X: Impossibile est per sanguinem hircorum, aut taurorum peccata purgari: sed ostendebat ea tantum, secundum illud Rom. VII: Per legem enim cognitio peccati. Et ideo jacebant in ea infirmi diversis infirmitatibus curari non valentes. — Quæ quidem describuntur quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad situm, quia jacebant prostrati, scilicet per peccata inhærendo terrenis. Qui enim jacet, ex toto inhæret terræ;

Matth. IX: Misertus est eorum, quia erant vexati, et jacentes, quasi oves non habentes pastorem. Justi autem non jacent, sed recti ad cœlestia stant; Psal. XIX: Ipsi, scilicet peccatores, obligati sunt, et ceciderunt; nos autem, scilicet justi, surreximus, et erecti sumus. — Secundo, quantum ad numerum, quia multi. Unde dicit: " multitudo magna; „ Eccle. I: Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus; et Matth. VII: Lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi incedunt per eam. — Tertio, quantum ad dispositionem, seu habitum infirmorum. Et ponit quatuor quæ homo per peccatum incurrit. Primo enim homo ex hoc quod subjicitur passionibus peccatorum ei prædominantibus efficitur languidus; et quantum ad hoc dicit: " languentium. „ Unde et a Tullio passiones animæ, puta iræ et concupiscentiæ, et hujusmodi, quædam ægritudines animi dicuntur. Unde Psalmista VI dicebat: Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Secundo vero ex dominio passionum et victoria in homine excæcatur ratio per consensum; et quantum ad hoc dicit " cæcorum, „ scilicet per peccata; Sap. II: Excæcavit eos malitia eorum; Psal. LII: Supercecidit ignis, scilicet iræ et concupiscentiæ, et non viderunt solem. Tertio, homo languens et cæcus efficitur instabilis in suis operibus, et est quasi claudus; unde dicitur Prov. X: Impius facit opus instabile. Quarto, homo sic languidus, cæcus intellectu, claudus in effectu, efficitur aridus in affectu, in quantum excæcatur in eo omnis pinguedo devotionis, quam petebat Psalmista LXII, dicens: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et quantum ad hoc dicit " aridorum; „ Psal. XXI: Aruit tamquam testa virtus mea. Ecce quomodo in piscina jacent multæ animæ languidæ, cæcæ, claudæ et aridæ, et vocantur a Deo ad piscinam pœnitentiæ et ad vitam purgativam, ut curentur. Hæc ille.

7. Quamplurimæ sunt animæ quæ vocantur ad contemplationem et ad vitam unitivam seu perfectionem. Ita insinuatur Isa. XLVIII: Audite me, Jacob et Israel, quem ego voco. Divus Thomas, Opusc. LX, cap. 3, dicit: Notandum vero quod beata Virgo post conceptionem tria legitur fecisse, per quæ tria signantur mystice quibus quælibet anima sancta post conceptum spiritualem Verbi Dei debet insistere, videlicet quod montana conscendit, quod Elisabeth salutavit, et quod Dominum ma-

gnificavit. Per primum significatur virtutum perfectio et ascensus ad contemplationem. Per secundum, fraterna dilectio et perfectio, quia in dilectione Dei et proximi consistit tota perfectio et non in sola dilectione proximi; per tertium, laus et exultatio. — Primum tangitur Luc. II: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. Ubi dicit Glossa: Accepto Virginis consensu, cœlestia petit Angelus, quem Virgo sequitur, quæ in montana progreditur. Sic anima, quæ Verbum Dei concepit, pergat ad montem contemplationis. In hoc autem ascensu sunt tria, videlicet vallis timoris et humilitatis, ascensus laboris et difficultatis, cacumen amoris, sive charitatis. Unde Bernardus: Virtus vult cum humilitate doceri, cum labore acquiri, cum amore possideri. Sic contemplatio cum labore acquiritur, et cum humilitate, et cum amore possidetur. — Secundum tangitur ibi: Et intravit domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Salutatio enim est salutis optatio. Salutem autem optare proximo pertinet ad fraternam dilectionem, quia hæc est vera forma diligendi proximum, quæ exprimitur Matth. XXII: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. — Tertium sequitur ibi, Luc. II: Magnificat anima mea Dominum. Quid autem sit Deum magnificare, dicit Ambrosius: Magnificatur Dominus non quod ei aliquid humana laus adjungat, sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra, quæ ad imaginem Dei est creata, per justitiam se Christo conformat, qui est imago Patris. Et sic dum ipsum Christum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis ejus sublimior fit, ut ipsam imaginem splendido bonorum factorum colore, et quadam æmulatione virtutum, videatur in se exprimere. Hæc ille.

II. *De adventu Christi in mentem animæ vocatæ.*

8. Omnia quæ dicuntur in hoc articulo sunt divi Thomæ, Opusc. LX, a. 24. Adventus Christi in mentem secundum specialem modum, tamquam cognitum in cognoscente et amatum in amante, secundum gratiam gratum facientem intelligendus est. Hunc ergo adventum desiderabat Sapiens cum dixit, Sap. IX: Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret. Glossa: Quidquid de sapientia

Dei dicimus, ad ipsum referimus, qui est pax nostra, qui facit utraque unum, virtus et sapientia Dei, et imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quasi dicat: Christum mitte Dei virtutem, et Dei sapientiam, ut mecum sit per virtutem gratiæ sanctificantis, et mecum laboret per dilectionem gratiæ sublevantis, ut sciam quid acceptum sit apud te per splendorem gratiæ illustrantis. Petit igitur adventum Christi in mentem, ut gratificetur quoad modum essendi, quoad statum vivendi; ut illustretur quoad actum intelligendi.

9. Quantum ad primum dicit: " ut mecum sit, „ idest me gratificando; unde Ephes. I: Gratificavit nos in dilecto Filio suo. Hic est primus effectus gratiæ, quem solus Deus in nobis sine nobis operatur; unde dicitur I. Cor. XV: Gratia Dei sum id quod sum. Glossa: Recte gratiam nominat. Primum enim solam gratiam dat Deus, cum non præcedant nisi mala, sed post gratiam incipiunt bona nostra. Secundum vero quod adventus iste per gratiam est occultus, et humano sensui investigabilis; unde Rom. II: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia judicia ejus et investigabiles viæ ejus! — Ad cujus evidentiam sciendum est quod tripliciter aliquid scitur. Uno modo per demonstrationem, quæ fit per propriæ rei principium: et præsentia, vel absentia gratiæ per certitudinem demonstrationis sciri non potest, secundum illud Job IX: Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. — Secundo modo scitur aliquid per conjecturam: et hoc modo secundum quamdam fiduciam spei possumus scire Deum nobiscum esse per gratiam; unde Judith XIII: Aperite portas, quia nobiscum Deus est, qui fecit victoriam in Israel. Sunt autem tria signa hujus conjecturationis, scilicet gratiæ Dei. Primum est testimonium conscientiæ; II. Cor. I: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Secundum est verbum Dei auditum, non solum ad audiendum, sed etiam ad faciendum; unde Joan. VIII: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Tertium signum est internus gustus divinæ sapientiæ, quæ est quasi quædam prælibatio futuræ beatitudinis; unde Psal. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. — Tertio, aliquid scitur per revelationem; et sic Deus ex privilegio gratiæ quibusdam revelavit præsentiam suam gratiosam.

10. Secundum membrum principale tangitur ibi: " ut mecum laboret, „ scilicet in statu vitæ præsentis divinis me consolationibus sublevando; quod quidem expertus fuit qui dixit: O quam bonus et suavis, Domine, Spiritus tuus in nobis! Augustinus, in lib. Confessionum: Quis dabit mihi ut venias in cor meum, et inebries illud, et obliviscar mala, et unum bonum meum amplectar? Iste est adventus solatii. — Sunt autem tria quæ disponunt ad hunc adventum. Primum, contemptus terrenæ voluptatis; unde Coloss. IV: Quæ sursum sunt sapite; quasi diceret: Non potestis cœlestia simul et terrestria sapere. Bernardus: Errat omnino si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus sancti misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. — Secundum, devota meditatio divinæ voluntatis; Psal. LXXVI: Memor fui Dei, et delectatus sum. — Tertium est fervens desiderium charitatis: unde Bernardus tractans illud Ps. XCVI: Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit, dicit: Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam ipse venturus est, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, et sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quia juxta est Dominus, si senserit se illo igne succensam.

11. De signis adventus Verbi et recessus ejusdem adducit D. Thomas auctoritatem Bernardi, qui dicit: Fateor mihi adventasse Verbum, in insipientia dico; et pluries. Cumque sæpius intravit in me, non sensi aliquoties, cum intravit, adesse. Affuisse recordor interdum, et præsentem potui cognoscere: introitum ejus nunquam potui sentire, sed nec exitum. — Tria ergo in verbis Bernardi notat D. Thomas, scilicet quod aliquoties adventum potuit præsentire, quod sensit adesse, et recordatus fuit affuisse. De secundo dicit sic: Quæris ergo a me, cum ita sint investigabiles viæ ejus, unde adesse noverim Verum et efficax est Verbum; mox ut intus venit, expergefacit dormitantem animam meam; movit, et emollivit, et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat. Igitur ita intrans ad me aliquoties Verbum sponsus, tantum ex motu cordis, sicut præfatus sum, intellexi præsentiam ejus, et ex fuga vitiorum carnaliumque affectuum adverti potentiam virtutis ejus. De tertio dicit sic: Verum quia hæc omnia, ubi abscesserit Verbum, quodam illico languore torpentia proinde et frigida

jacere incipiunt, ac si cacabo bullienti subtraxeris ignem; et hoc mihi signum abscessionis ejus.

12. Tertium membrum principale tangitur: " ut sciam quid acceptum sit apud te, „ idest præsentia ipsius illustratus sciam quid acceptum etc. — Sunt autem tria quæ disponunt ad internam mentis illustrationem. Primum est in abstractione transitoriæ dulcedinis. Unde Isa. XXVIII: Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatum a lacte, et avulsum ab uberibus, scilicet terrenæ consolationis vel delectationis. Unde super illud Joan. I: Mundus eum non cognovit, dicit Chrysostomus: Mundus vocat homines, qui soli mundo affines sunt, et quæ mundi sunt sapiunt. Nihil autem ita turbat mentem, et liquefieri facit amore præsentium. — Secundum est in approximatione ad ipsum fontem luminis; unde in Psal. XXXIII: Accedite ad illum et illuminamini. Augustinus: Anima inter Deum et creaturas media posita, conversione ad Deum illuminatur, melioratur et perficitur; conversione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur. — Tertium consistit in interiori mentis dilatatione, quæ est per conatum hominis ipsius. Unde in Psal. LXXX: Dilata os tuum; Glossa: Cordis; et ego implebo illud; Glossa: Pane vitæ et intellectus.

13. Sciendum vero quod non solum Filius, sed et Pater et Spiritus sanctus veniunt per gratiam, et mentem humanam inhabitant, secundum illud Joan. XIV: Ad eum veniemus, et mansionem etc. (*Pater venit per potentiam*); Isa. XL: Qui dat lasso virtutem; Glossa: Fidei et operis; et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. Hac fortitudine confortatus Apostolus, dixit: Omnia possum in eo qui me confortat! Filius enim venit per sapientiam nos illuminando, quia est lux vera, et illuminans omnem hominem; unde Sapiens ejus adventum desiderans, dicit: Ut sciam quid acceptum, etc. Spiritus sanctus venit per bonitatem, nos per amorem suum inflammando; Thren. I: De excelso misit ignem in ossibus meis. Unde cantat Ecclesia: Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. Sic igitur per adventum beatissimæ Trinitatis reformatur in nobis quod per peccatum fuerat deformatum; dum nostrum posse per peccatum infirmatum confirmatur per Patris potentiam; nostrum posse per pec-

catum obscuratum illuminatur per Filii sapientiam; nostrum velle per peccatum infrigidatum inflammatur per Spiritus sancti benignissimam clementiam.

III. *Anima vocata desiderat sequi Christum, qui est via, veritas et vita.*

14. D. Thomas explicans illud Joan. XIV, ubi loquitur Christus et dicit: Ego sum via, veritas et vita, dicit sic: Via, quia per ipsum accessum habemus ad Patrem, ut dicitur Rom. v. Competit etiam proposito, quo intendit declarare dubitationem discipuli dubitantis. Sed quia ista via non est distans a termino, sed conjuncta, addit: " veritas et vita, „ et sic ipse simul est via, veritas et vita: via secundum humanitatem, terminus secundum divinitatem. Via non fallax, sed vera, quæ ducit ad veram vitam, puta ad Deum Patrem in cœlis, ubi est domus Patris mei, in qua mansiones multæ sunt; unde id explicans, subdit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Pater ergo est terminus, ego sum via. — In via, dicit D. Thomas, est triplex impedimentum, explicans illud Psal. XXXIV: Fiant viæ illorum tenebræ et lubricum et angelus Domini persequens eos: sc. obscuritas, lubricitas et impellens. " Fiant viæ illorum tenebræ „ scilicet ignorantiæ; Psal. LXXXI: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. " Et lubricum „ idest vitia carnalia, in quibus de facili cadunt. " Et angelus Domini persequens eos, „ ipse dæmon tentans ad peccandum. Christus est via sine his impedimentis.

15. Idem Sanctus aliter explicat " Ego sum via: „ Christus est via perveniendi ad veritatis cognitionem, cum tamen ipse sit veritas; Ps. LXXXV: Deduc me, Domine, in veritate, etc. — Christus etiam est via perveniendi ad vitam, cum tamen ipse sit vita; Psal. XV: Notas mihi fecisti vias vitæ. Aliter explicatur ab eodem: Christus (*est*) via per quam debemus ambulare; Isa. XXX: Hæc est via, ambulate in ea. Melius est enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Nam qui in via claudicat, etiamsi parum proficiat, appropinquat ad terminum. Qui vero extra viam ambulat, quanto fortius currit, tanto magis a termino elongatur. Adhære Christo, si vis esse

securus; non enim poteris deviare, quia ipse est via. Unde qui ei adhæret non ambulat in invio, sed viam rectam; Prov. IV: Viam sapientiæ monstrabo tibi. Christus etiam est via exercentibus vitam activam. — Omnes istæ explicationes sunt divi Thomæ, in Commentario cap. XIV Joan. Idem Sanctus explicans eamdem auctoritatem, Opusc. LX, art. 13: Revera ipse est illa regia via, de qua dicitur Num. XXI: Via regia gradiemur. Et bene dicit quædam Glossa super Qui habitat, quod via regia est via Christi regis nostri, qui sic viam mundi cucurrit, ut nec prosperis alliceretur, nec adversis frangeretur; quem etiam nos imitari debemus.

16. Homo in via indiget tribus, scilicet adminiculo, cibo et solatio. Ita habet D. Thomas, explicans illud Psal. XXII: Virga tua et baculus tuus. Primum sustentat, et potest sic intelligi, ut per virgam intelligamus directionem viæ; Ps. XLIV: Virga directionis, virga regni tui. Per baculum intelligamus sustentaculum; Tob. V: Baculum senectutis nostræ. Littera Hieronymi habet " fulcimentum, „ quasi dicat, ostensio et sustentatio. " Ipsa me consolata sunt, „ idest dederunt mihi consolationem in via; II. Cor. I: Deus totius consolationis qui consolatur nos. — Viator indiget tribus semper, scil. ductore propter viam, procuratore propter vitam, et defensore propter salutem. Ita D. Thomas, explicans illud Psal. XXX: Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu, et propter nomen tuum deduces me et enutries me.

17. D. Augustinus, explicans istam auctoritatem Joan. XIV: Ego sum via, veritas et vita, dicit: Via factus est tibi Salvator: surge, ambula; habes quo, noli pigrescere. Quæris quo? Vides eam. Quæris quo ducat, scil. ipsa via? Ad veritatem et ad vitam ducit. Si ergo amas veritatem et desideras vitam, si cupis ad vitam et ad veritatem venire, a via noli errare. Video, inquis, viam, et cupio ambulare: sed aspera est. Arcta enim est via quæ ducit ad vitam. Sed Christus transivit, et adhuc aspera est? Caput transivit, et adhuc membra dubitant? Sed Christus, inquis, Deus et homo. Vide quod millia transierunt: senes enim, juvenes, pueri et puellæ transierunt, et viam quam tenes tritam fecerunt. Et sic viæ virtutum sunt viæ utiles per quas debemus ambulare.

18. Explicat D. Thomas secundam particulam: Ego sum ve-

ritas, quia erat lux hominum, lux autem veritas est. Veritas enim convenit Christo per se, quia ipse est Verbum. Nihil enim aliud est veritas quam adæquatio rei ad intellectum, quod fit quando intellectus concipit rem prout est. Veritas ergo intellectus nostri pertinet ad verbum nostrum, quod est conceptio ejus. Sed tamen, licet verbum nostrum sit verum, non tamen est ipsa veritas, cum non sit a se ipso, sed ex hoc quod rei conceptæ adæquatur. Veritas ergo intellectus divini pertinet ad Verbum; sed quia Verbum Dei est verum a se ipso, cum non mensuretur a rebus, sed res in tantum sint veræ, in quantum ad similitudinem ejus accedunt, inde est quod Verbum Dei est ipsa veritas; et quia nullus potest veritatem cognoscere, nisi adhæreat veritati, oportet omnem qui veritatem cognoscere desiderat, huic Verbo adhærere. Christus dicitur veritas, quia docet omnem veritatem; Joan. XIX: In hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati. Hæc ille.

19. Christus non solum fuit verus, sed veritas in abstracto. Verum enim balsamum cognoscitur ex hoc quod semper ad profundum aquæ, in qua ponitur, descendere comprobatur. Sic veritas suæ charitatis apparuit per hoc, quia per carnis sumptionem de cœlo ad terram descendit; unde in Psal. LXXXIV: Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo respexit. Debemus ambulare per istam viam veritatis; Ps. CXVIII: Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus. Unde de Tobia legitur, Tob. I, quod in captivitate positus, viam veritatis non deseruit. Homines enim libenter vadunt per viam certam et notam, et inter omnes virtutes nulla via certior veritate.

20. Explicat D. Thomas ultimam particulam: Ego sum vita. Dicit Sanctus: Vita proprie convenit sibi, quia omne quod aliquam operationem ex se habet, dicitur vivens. Non viventia autem dicuntur quæ ex se ipsis motum non habent. Inter operationes vitæ, præcipuæ sunt operationes intellectuales. Unde et ipse intellectus dicitur vivens, et actio ejus est vita quædam. In Deo autem idem est intelligere et intellectus. Unde manifestum est quod Filius, qui est Verbum intellectus Patris, est vita sua.

21. Anima vocata desiderat sequi Christum, qui est via, veritas et vita. D. Thomas explicans illud Matth. XIX: Ecce nos

reliquimus omnia et secuti sumus te, dicit: Multipliciter aliquis sequitur Deum. — Mente per contemplationem; Os. VI: Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Deum, etc. Unde illi Deum sequuntur qui Deum habent præ oculis, et Deum cognoscunt per modum contemplationis. — Item etiam sequimur Dominum per observantiam mandatorum; Joan. X: Oves meæ vocem meam audiunt et sequuntur me. — Item per imitationem operis; Job XXIII: Vestigia ejus secutus est pes meus. — Item per contemptum sui et suorum; Matth. XVI: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. — Item per puritatem mentis et corporis; Apoc. XIV: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt et sequuntur Agnum.

IV. *Anima vocata a Deo debet se præsentare et offerre se illi in oblationem.*

22. D. Thomas, Opusc. LX, art. 8, dicit: Notandum vero quod, ut dicit Anastasius, sicut Christus non gratia sui factus est homo, et circumcisus in carne, sed ut faceret nos per gratiam deos, et ut specialiter circumcidamur: sic et propter nos sistitur Deo, ut discamus præsentare nos ipsos. Sic anima vocata ad exemplum sistitur Deo, et illi se præsentat. Ad hæc quatuor sunt necessaria, dicit Sanctus, quæ circa oblationem Christi mystice designantur, scilicet mentis puritas, cordis humilitas, animi tranquillitas, bonorum operum fœcunditas.

23. Primum designatur per oblationis tempus, quod completis diebus purgationis (*fuit*); per quod mystice innuitur, quod Deo offerri non possumus, nisi purgati prius ab omni immunditia mentis et corporis; Eccli. XXIII: Oculi Domini multo magis lucent super solem, et ad iniquitatem respicere non possunt. Matth. XVIII: Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, etc. Ubi dicit Beda: Nisi talem habueritis innocentiam et animi puritatem sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Apoc. XXI: Nihil coinquinatum intrabit in eam. Duo autem sunt nobis purganda, ut dicit Bernardus, intellectus ut noverit, affectus ut velit. Hæc ille.

24. Si anima non se debet præsentare nec offerre Deo, nisi purificata, debet componere cor suum ad Christi cordis puritatem. Cor Domini fuit mundum a rerum temporalium amore, ab intentionis obliquitate, a mundana delectatione, a placendi hominibus desiderio, ab inutili cogitatione, a superflua cura, a noxia amaritudine, ab inani complacentia, ab affectu creatæ consolationis, a stimulis anxietatis, ab inquietudine impatientiæ, ab infectione propriæ voluntatis. Pro hac munditia cordis Domini Dominum Jesum glorificabis, et eamdem desiderabis et petes. Da mihi, Domine, cor purificatum ab omnibus supradictis.

25. Secundum, nimirum cordis humilitas, designatur propter hoc quod secundum legem voluit offerri, qui huic legi subjectus non erat, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro; unde in signum humilitatis voluit se offerre, ut doceret per humilitatis meritum nos dignos fieri divino conspectu; (*sic*) Job XVIII: Omne pretiosum vidit oculus meus; Glossa: Idest animam de se abjectam sapientiæ suæ et gratiæ illustratione respexit, quia tanto quis ante oculos Dei pretiosior, quanto ante oculos sui fuerit despectior; I. Regum XV: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, etc. Hæc D. Thomas.

26. Ad humilitatem pertinet despicere se ipsum, et sua omnia vilissima reputare, et quidquid habes ex te nihili facere, et verissima despicientia contemnere. Duo sunt in te, o homo: alterum quod ex te habes, alterum quod ex Dei liberalitate recipis. Non præcipitur tibi ut Dei beneficia tibi collata contemnas, sed ut ex eo quod a te habes, te ipsum despicias. Si te ipsum nudum aspexeris, et id quod ex te habes animadverteris, facile te aliis multa Dei bona habentibus submittes. Hunc contemptum et vilipensionem tui, non verbis, sed affectu concipies. Sunt enim multi qui verbis se accusant, et ore se dejiciunt: corde vero se ipsos magni pendunt, illaque accusatione sui non contemptum, sed laudem et honorem captare volunt. Similes sunt illi de quo Ecclesiasticus, c. XIX, ait: Est qui nequiter se humiliat. Hæc vero despicientia sui non tantum peccatoribus, verum et justis; non solum imperfectis, sed perfectis indicitur. Despiciat se peccator, quia peccator est; despiciat se justus, quamvis peccator non est. Et cum humilitas

non sit irrationabilis, quibusdam rationibus hominem inducit, ut se ipsum despiciat. Quid es, o homo? Nonne fœtida caro? Nonne pulvis et cinis et lutum? Nonne nihil, quia ex nihilo prodiisti? Quid potes, o homo? Nonne ad omnia impotens es, nisi Deus tibi potentiam tribuat?

27. Tertium, animi tranquillitas, designatur per hoc quod in Jerusalem oblatus fuit, quæ interpretatur Pacifica, sive Visio pacis; ad Hebr. XII: Pacem sequimini in omnibus, et sanctimoniam, sine qua Deum nemo videbit. Augustinus: Est autem pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis; nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testimonium pacis noluerit observare; non poterit concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum christiano. Isa. ult.: Erit sabbatum ex sabbato; Glossa: Quia ille quiescet in futuro, qui hic quievit ab opere malo. Hæc D. Thomas.

28. D. Thomas, explicans illud Jo. XIV: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, dicit sic: Pax, secundum Augustinum, est tranquillitas ordinis; tunc enim aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum ordo inturbatus manet. — In homine autem est triplex ordo, scilicet hominis ad se ipsum, hominis ad Deum, et hominis ad proximum. Est et sic triplex pax in homine: quædam intrinseca, secundum quam pacificatur sibi ipsi, absque perturbatione virium; Psal. CXVIII: Pax multa diligentibus, etc. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter ejus ordinationi subjectus; Rom. V: Justificati gratis ex fide, pacem habeamus ad Deum. Tertia pax est ad proximum; ad Hebr. XIII: Pacem sequimini cum omnibus sanctis, et sanctimoniam. — Sed notandum quod in nobis tria ordinari debent, scilicet intellectus, voluntas et appetitus sensitivus. Ut videlicet voluntas dirigatur secundum mentem seu rationem: appetitus vero sensitivus secundum intellectum et voluntatem; et ideo Augustinus dicit: Pax est serenitas mentis, etc.: ut serenitas mentis referatur ad rationem quæ debet esse libera, non ligata, nec absorpta aliqua inordinata affectione; tranquillitas animi referatur ad sensitivam, quæ debet a molestatione passionum quiescere; simplicitas cordis referatur ad voluntatem, quæ debet in Deum objectum suum totaliter ferri. Hanc pacem debet habere anima quæ se offert Deo.

29. Quartum, bonorum operum fœcunditas, designatur per hoc quod est oblatus cum muneribus. Exod. XXIII: Non apparebis in conspectu meo vacuus; Glossa: Bonis operibus; Gregorius: Non erit vacua manus a munere, si arca cordis répleta fuerit bona voluntate. Hæc D. Thomas. — Idem Sanctus explicans illud II. Cor. VIII: Cum multa exhortatione obsecrantes nos, gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos, dicit: Ut liceret eis dare sua pauperibus sanctis, qui sunt in Jerusalem, non reputantes se facere gratiam nobis, sed quod eis gratia fiat. Hebr. ult.: Beneficentiæ autem et communionis, etc. Commendat etiam eorum liberalitatem quantum ad ordinem dandi, quia non solum sua dederunt; sed primo se ipsos, quia talis debet esse ordo in dando, ut primo homo sit acceptus Deo, quia nisi homo sit gratus Deo, non sunt accepta munera ejus; Genes. IV: Respexit Dominus ad Abel, scilicet primo, et ad munera ejus consequenter.

30. Anima vocata debet se offerre Deo in holocaustum. Divus Thomas, 2 2, q. 186, art. 6: Cum quis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Et, ut dicit idem Sanctus in Psal. XIX, holocaustum dicitur ab *olon*, quod est totum, et *cauma*, quod est incensum. — Et idem Sanctus, 1 2, q. 102, art. 3 ad 8, dicit quod triplex erat sacrificiorum genus. Quoddam erat quod totum comburebatur, et hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum; hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter, ad reverentiam majestatis ipsius et amorem bonitatis ejus; et conveniebat perfectionis statui, in impletione consiliorum: et ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem et omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei esse offerenda. Anima vocata debet se offerre Deo in holocaustum, cum omne quod habet, omne quod vivit, et omne quod sapit debeat offerre Deo.

V. *Deus aliquando animam vocatam probat igne tribulationis, ut lucidior appareat.*

31. D. Thomas, explicans illud Cant. I: Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis,

dicit sic: " Nigra sum, „ quia persecutiones patior: " sed formosa „ sum virtutibus, " sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. „ Cedar filius fuit Ismaelis, et interpretatur tenebræ. Ismaelitæ semper in tabernaculis habitare soliti sunt, et non habent domos ; dicit ergo: " Nigra sum sicut tabernacula Cedar, „ propter persecutiones quas patiebatur a filiis tenebrarum, quod interpretatur Cedar. Hinc Psalmista dicit, Ps. CXIX: Habitavi cum habitantibus Cedar, idest conversatus sum inter persecutores. Formosam vero se dicit " sicut pelles Salomonis, „ qui pacificus interpretatur, quoniam digna erat visitatione et consolatione sponsi sui Christi inter angustias. Hoc dicit anima vocata et probata igne tribulationis: Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

32. D. Thomas, explicans illud Psal. XVI: Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti, etc., dicit sic: Differentia est inter probare et examinare: probare quærit rationem facti, examinare quærit ipsum factum. Ratio autem facti magis tangit cor, sed factum magis tangit corpus. Dicit ergo: " Probasti cor meum, „ idest probatum ostendisti, quod non est turbatum propter tribulationes quas patior. — Deus, cum examinat, tria facit: probat, visitat et examinat. Probat cum dijudicat an habeat cordis rectitudinem, quia si non habeat, non curat examinare. Sed quando habet, indiget examinari utrum habeat firmitatem; Jerem. XVII: Ego Dominus scrutans corda et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam. Sed hæc examinatio est dura et fortis, ita quod nullus sustineret, nisi adjutus ab eo. Job XXIX: Nocte os meum perforatur doloribus, et incendium facit hoc idem. — Vel nocte, i. e. defectu spiritualis intelligentiæ. Quandoque quis habet rectum cor, si supervenit sibi tentatio et negligentia, et est in nocte: et in hac visitat Dominus adjuvando contra tentationes, et negligentiam excutit et confortat; Psal. XLIX: Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. — Vel nocte, idest quiete et silentio, et tunc visitat per consolationes; Matth. XXV: Media nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit. " Examinasti igne, „ idest tribulatione, quia tunc apparet si est bonus amicus, et non recedit. Anima vocata a Deo aliquando dicit: Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti.

33. D. Thomas explicans Psal. XLV: Deus noster, refugium et virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis;

sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum, dicit sic: Tribulationes sunt spirituales et corporales. Spirituales sunt peccata: et hæ invenerunt homines nimis, quia dolor pœnitentiæ maximus est inter omnes dolores; Psal. XXXVII: Afflictus sum et humiliatus sum nimis. Corporales fuerunt in primitiva Ecclesia; et sunt modo; II. Cor. I: Gravati sumus supra modum. Sonuerunt aquæ tribulationis, sed in illis Deus est refugium et virtus. Refugium; Prov. XVIII: Turris fortissima nomen Domini. Et virtus; Isa. XL: Qui dat lasso virtutem. Anima vocata multoties probatur igne tribulationum, et inveniunt eam nimis, sed Deus est refugium et virtus illius.

34. D. Thomas explicans illud Psal. XXI: Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet, dicit sic: De ventre matris meæ, Deus meus es tu, et ideo oro ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est. Tribulatio quandoque est propinqua, quandoque remota. Sensus doloris est in anima, propinquum animæ est corpus, remota sunt bona exteriora. Quando ergo est afflictio in exterioribus, tribulatio non est propinqua; sed quando est in proprio corpore, tunc est propinqua et proxima. — Necessitas autem est duplex: tribulatio quæ imminet, et auxilium quod deficit. Anima vocata dicit: De ventre matris meæ, Deus meus es tu, et ideo oro ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est, quia est in corpore meo, et non est qui adjuvet. Sed anima meminisse debet illius quod dixit David, Psal. XXXIX: Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Intelligitur quod David in persona sua multoties expectavit divinum auxilium, et sic debet quælibet anima sancta semper in fiducia Dei manere, quia non deficit sperantibus in se. Et " intendit mihi, „ quia, licet Deus omnes audiat, non tamen omnibus intendit, quia non omnes sunt ordinati ad bonum: et ideo intendit mihi ad utilitatem meam; sic anima vocata quæ probatur igne tribulationis, non privatur divino auxilio, ut lucidior appareat.

35. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Hebr. X: Et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti: nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam, dicit sic: " Et in altero „ ostendit quæ

fuerint illæ tribulationes quas passi sunt sancti in primitiva Ecclesia. Dupliciter enim patitur aliquis, scilicet in se, tribulationem sustinendo; et in alio, alienæ tribulationi compatiendo. Utroque autem modo illi passi sunt. — Quantum ad primum dicit: " In altero, „ scilicet quantum ad vos, " facti estis spectaculum opprobriis, „ quod gravissimum est sapienti. Quod enim unus fatuus irridetur, non est grave, etiamsi multa ei irrisio ab aliis inferatur: sapienti vero grave est; sed si tribuletur et irrideatur a tribulante, hoc gravissimum est. In hoc enim ostendit magnitudinem afflictionis ipsorum, quia facti erant spectaculum, idest quia nullus eis compatiebatur, immo magis irrisori congaudebant in afflictionibus ipsorum, scilicet in opprobriis; Psal. LXVIII: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. " In altero effecti sunt socii taliter conversantium, „ idest eorum qui talia patiebantur, et hoc per compassionem et per subministrationem; Rom. XII: Necessitatibus sanctorum communicantes. " Nam et vinctis compassi estis „ ministrando necessaria. " Cum gaudio suscepistis; „ sed quare cum gaudio? Numquid amandæ sunt tribulationes? Certe videtur quod non; quia dicit Augustinus: Tolerari jubes eas, non amari. Respondeo dicendum quod non amantur propter se, sed propter aliud: et sic isti amabant eas. Unde subdit: " Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam, „ scilicet alias divitias principaliores, quæ augentur ex subtractione ipsarum, quibus dicuntur meliores. Temporales enim vanæ sunt, spirituales in ipso Deo, scilicet in fruitione Dei; Isa. XXXIII: Divitiæ salutis, sapientia et scientia, timor Domini. Anima vocata a Deo multoties patitur tribulationes in altero, scilicet tribulationem sustinendo; et quia facta est spectaculum, quia nullus ei compatitur, imo magis irrisori congaudet, sed sustinet opprobria cum gaudio, propter divitias spirituales, quæ consistunt in fruitione Dei.

36. Anima vocata a Deo in suis tribulationibus consolatur, quia habet Deum in hæreditatem suam. D. Thomas explicans illud Psal. XV: Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, dicit: Hic assignat Propheta rationem inhæsionis soli Deo, quia scilicet ipse solus est hæreditas sua, quasi dicat: Ideo solum hoc in cœlo, quia hæc est hæreditas mea, ipse est bonum nostrum quo fruimur. Homines in mundo isto quærunt posses-

siones et usus earum, sed possessio sua est Deus. " Dominus pars hæreditatis meæ „ intransitive, idest hæreditas quæ venit mihi in partem. Quidam habent pro hæreditate delectationes carnis; Sap. II: Hæc est pars et hæc est sors nostra. Alii autem delectabilia mundi, sed Deus est sors mea; Thren. III: Pars mea Dominus, dixit anima mea. Sed non solum est hæreditas mea: sed " pars calicis mei, „ idest calix meus veniens mihi in sortem, quia tota delectatio mea et potus est Deus; Psal. XXII: Potus meus inebrians quam præclarus est!

VI. *In anima vocata consideratur triplex amicitia secundum triplex ejus esse, et ut gratificata efficitur quamplurimis virtutibus et gratiis.*

37. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 6, dicit quod anima rationalis est consideranda tripliciter, scilicet in quantum natura est, in quantum deliberativa, et in quantum gratificata. Secundum hoc triplex in anima Dei amicitia generatur. Est enim, secundum Anselmum, triplex exitus rerum in esse, scilicet naturalis, voluntarius, et mirabilis. Anima igitur ut natura efficitur amans innumeris et effluentibus beneficiis. Hoc patet: nam et catus beneficum sibi amplexatur, et ovis, sola æstimativa, non discretione, utens, lupum fugiens, pastorem ut beneficum prosequitur; Joan. X: Cum proprias oves emiserit, etc.; et oves illum sequuntur: sic anima per beneficia Dei amica quasi quodam exitu naturali generatur. Hæc ille in cap. 6.

38. Hic exitus amicitiæ est quasi naturalis, dicit Sanctus, c. 7, secundum quem in anima proportionabiliter quodammodo generatur hæc nobilissima forma accidentalis, sicut in materia naturaliter generatur forma substantialis. Quod patet sic: generatio naturalis fit per coactionem, et hoc per contactum: contrarium enim contingens contrarium, agit in ipsum et alterat, et si in agendo prævalet, sibi assimilat, ut patet cum ignis agit in terram, et caliditate frigiditatem expellens, frigidam facit calidam; et cum actus continuatur, tandem necessitas dispositionem sequitur, et in summo calens terra ignis efficitur, et ex altera fit altera, cum generatio alterationem comitetur. Sic Deus amans hominem non amantem: imo amicus

inimici; Rom. v: Cum inimici essemus, etc.; ardenter amans ut ignis est; Deuter. iv: Deus noster ignis consumens est. Homo autem frigidus et non amans, ut terra; unde Genes. iii: Terra es, et in terram ibis, etc. Qui ignis terræ appropinquans, beneficiis ipsam tangit, et sic tangendo disponit ad formam suam, scilicet amicitiam; et primo calefaciens alterat; secundum illud Psal. cxliii: Tange montes, et fumigabunt; tandem frequenter et continue agens, quia non cessat vel ad momentum a beneficiis, eamdem terram igneam reddit, et inimicitiam expellens, formam amicitiæ in corde hominis introducit; Soph. iii: In igne zeli mei devorabo terram; Luc. xii: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Breviter igitur quoniam natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans naturaliter, quodammodo amicitia Dei in nobis amicitiam generat, cum amicum, etiamsi nolis, tandem amare cogaris; Joan. iv: Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Hæc D. Thomas, cap. 7.

39. Idem Sanctus, multis locis, præcipue 2 2, qu. 23, art. 1 et 5, et in iv, dist. 40, art. 1: Amicitia est amor mutuæ benevolentiæ, fundatus supra aliqua communicatione; et cum Deus communicet creaturæ rationali naturam, inde est quod inter Deum et creaturam sit amicitia, et creatura laudat Deum, quia dedit illi esse. Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis, vel ex hoc saltem sequitur, ut dicit Sanctus explicans illud Psal. xvii: Laudans invocabo Dominum. Laudem propriam non habeo, sed quæro tuam, quia fecisti quod ego haberem esse et naturam.

40. Anima ut deliberativa, amans Deum efficitur infinitis et evidentibus præeminentiis. Nam in deliberatione recta præeminens præeligitur et præamatur, secundum Aristotelem. Nullus dubitat utrum beatitudo vel divitiæ præeminentes sint magis eligendæ propter nimiam præeminentiam beatitudinis ad divitias. Sic nemo deliberans dubitat an Creator amandus sit præ creaturis. Hic exitus amicitiæ quodammodo est voluntarius. Hæc D. Thomas, Opusc. lxi, c. vi. Cap. 8 dicit Sanctus quod iste secundus exitus est quasi voluntarius; cum enim homo Deum diligere incipit, et in amicum suscipit quasi per voluntariam electionem; Deuter. xxvi: Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus. Sed electionem deliberatio antecedit. Ad habendum igitur amicum

voluntas deliberat et tandem eligit. Seneca: Tu cum amico tuo omnia delibera, sed de te ipso primum: prius vide an tibi in amicitia aliquis recipiendus sit, et cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Deliberare est diversa librare; eligere est duobus præjacentibus præoptare alterum alteri. Ecce modo duo libranda, Deus et homo, Creator et creatura. Quem horum in amicum eligamus? In libra hominis præponderant multum quædam generalia, et præcipue tria, scilicet naturæ conformitas; Prov. XIII: Omne animal diligit sibi simile; nec est per se vera, et ideo magis simile sibi magis; Prov. XXVII: Volatilia ad similia sibi conveniunt, etc. Item præsentialitas; unde arguit I. Joan. IV: Qui non diligit fratrem suum quem videt. Deum quem non videt quomodo potest diligere? Hæc præponderat quandoque consanguinitati; Prov. XXVII: Melior est vicinus juxta, quam frater procul. Item utilitas, secundum illud Poetæ: Vulgus amicitias utilitate probat.

41. Quædam specialia multum præponderant in libra hominis. et præcipue tria, ut consanguinitas, secundum quam præponderat pater extraneo, et similia; item uxor parentibus; Gen. II Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Item fidelitas. Item amicabilitas. Item gratiositas. I. Mach. X: Aptus es ut sis amicus regis; Prov. XVIII: Vir amabilis ad societatem magis amicus est quam frater. — Ex opposito in libra ex parte Dei præponderant multa, quæ si præponderant, faciunt deliberationem. Deliberationem sequitur electio, qua Deus homini præoptatur, et in amicum eligitur; Cant. V: Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Vide nunc et pone in libra Dei etiam ea quæ in hominis libra præponderant, et primo specialiter et proprie ea quæ homo non habet, sed solus Deus, propter quæ sit merito diligendus.

42. Es ergo amicus hominis propter naturæ conformitatem, quia homo est. Ne in hoc præponderaret, et ideo præeligeretur homo Deo, Deus factus est homo. — Amicus es hominis quia præsens. In hoc autem præponderat tripliciter, quia præsens est intime, semper et ubique: homo præsens est quia juxta te, sed Deus præsens quia intra te. — Amicus es hominis quia utilis. In hoc etiam tripliciter præponderat Deus. Triua est generalis utilitas quam ab amico habere volens, ipsum amas, scil. adeptio

boni sui, intentio boni tui, diminutio et annihilatio mali tui. In his præponderat Deus, qui tibi communicans et dat sua et se. Donat dona digniora in substantia, majora in quantitate, continua in intentione, plura ac discreta; Gaudeo propter vos ut credatis, Joan. XI. In tertio evidens est quia cum in natura propria ipse bona et mala tecum communicare non posset, naturam tuam assumpsit, in qua tibi compatiens, et pœnæ tuæ socius fieret, et tibi consolationem impenderet.

43. Inter specialia præponderat amicabilitas, quia vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam frater, quia gratiosus in vultu, affabilis in convictu vel verbo, in mansuetudine, in gestu et actu. Præponderat in his Deus: In pulchritudine; Genes. XXXII: Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. In affabilitate; Exodi XIX: Loquebatur Dominus Moysi sicut loquitur homo ad amicum suum. In mansuetudine; Isa. XI: Ego quasi agnus mansuetus. — In consanguinitate præponderat multum. Hoc tripliciter secundum tres lineas consanguinitatis, sc. ascendentem, in qua ut proximos diligis parentes, sc. patrem et matrem plusquam avum vel aviam; descendentem, in qua amantur proximi, scil. filius et filia; transversalem, in qua frater et soror. In linea ascendenti præponderat Deus. Amo patrem a quo solummodo habeo materiam corporis, causam libidinis, originem reatus: potius amabo Patrem qui corpus formavit, animam inspiravit. In linea transversali fratres amantur ut proximi: sed Filius Dei amabilior frater tibi. In linea descendenti ut proximus amatur filius: ergo volens Deus etiam sic ab homine amari ut proximus, factus est filius hominis. — Amandus est amicus propter fidelitatem, et in hoc præponderat Deus, quia est amicus fidelis in omnibus circumstantiis.

44. Anima ut gratificata, amans efficitur per gratiæ influentiam: nam Deo influente gratificatur et informatur animæ substantia per gratiam una uni, scilicet Deo per unam, et sicut Deus dans animæ primum esse, creavit substantiam et concreavit ei potentiam: sic dans secundum esse, influit gratiam substantiæ animæ, et charitatem virtutem summæ potentiæ. — Item sicut voluntas procedit a substantia animæ, sic charitas ex gratia: sed omnes præter charitatem informes sunt, et sine gratia esse non possunt. Influxa ergo a Deo essentia et

forma, gratia in substantia animæ influitur et habitus charitatis in potentia voluntatis: et hic est amicitiæ exitus mirabilis. Rom. v: Charitas Dei diffusa in cordibus nostris, etc. — Item hic quoniam supra naturam est, postulatione et oratione opus est magis quam deliberatione. Hæc D. Thomas, cap. 6.

45. D. Thomas, cap. 15: Tertius exitus est tertius modus quasi mirabilis, cum Deus animam quam per se solus subito mirabiliter creando facit, per se solus subito mirabilius gratificando reficit, et in ipsa charitate efficit, ad quod nec naturæ potentia, nec voluntatis industria sufficit. Uno ergo modo efficitur Deus amicus noster quasi postulatus, quia pro amicitia sua infundenda orare debemus. Secundo modo, ut electus, in quem vel omnes, vel ad minus plures voces desideriorum et virium concordant. Nam si sensualitas sola discordet, et amicas eligat alias, non obstat: quia jus eligendi non habet quod perdidit male eligendo. Verumtamen si ipsa assentiat, et omnes voces habeantur ut ibi: Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, Psal. LXXXIII, tunc indubitanter electus confirmabitur. Quamdiu autem vires inferiores excipiunt contra electionem superiorum, quamvis non sit rationabilis acceptio, tamen differtur confirmatio, donec post litem diutinam sensualitas succumbat et vita cedat, vel transiens per arbitrium forsitan electioni consentiat. Sed si ratio in lite religiose prævalet, ut ejus electus et electio exceptionem transcendat in expensis, merito sensualitas condemnatur, ut opera pœnitentiæ pro satisfactione portet pro eo quod rationem lite indebita fatigavit.

46. Hæc autem validissima contra electionem rationis obstat exceptio, si nimis ultra tempus debitum dilata est electio. Secundum hoc non in peccantibus primo, quia ratio recta tempus negligit, et differt eligere personam eligibilem et idoneam in amicum: sensualitas præveniens non eligendum eligit, et rationem ad consensum allicit et trahit. In pœnitentibus contra eligentem et electum et electionem excipitur et lis movetur, et cum in contritione cessatur electio, ratio partem sensibilem ad consentiendum movet, quæ in satisfactione refundit expensas. In incipientibus ratio vult eligere, sed reclamat sensualitas; Galat. v: Caro concupiscit adversus spiritum; in perfectis, imo perfectissimis, caro assentit; in morientibus lis

deciditur, et sensualitati silentium imponitur, et electus rationis in amicum sibi perpetuum confirmatur. Primo autem modo habetur ut intrusus, sicut in generatione violenta per actionem prædominantis una forma destruitur, et alia generatur et inducitur. — Omnia quæ continentur in isto articulo sunt D. Thomæ.

VII. *Omnis Christi actio est instructio animæ vocatæ.*

47. D. Thomas explicans illud Joan. XIII: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis, dicit: Exemplum quidem puri hominis humano generi non erat sufficiens ad imitandum eum, tum quia ratio humana ab omni consideratione deficit, tum quia in ipsa rerum consideratione decipitur, et ideo datur nobis exemplum Filii Dei, quod est infallibile et ad omnia sufficiens. Unde dicit Augustinus: Quæ superbia non sanatur, si humilitate divina non sanatur? Similiter quæ avaritia? Et sic de aliis. Sed attende quod satis convenienter Filius Dei est nobis in exemplum virtutum. Ipse enim est ars Patris, ut sicut fuit exemplar creationis, esset etiam exemplar justificationis; I. Petri II: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum; et v Job: Vestigia ejus secutus est pes meus. Hæc ille. Ad quid ergo Rex Summus, et verus Filius Dei, ac sanctitatis origo, qui ad infinitam sanctitatem quam a momento suæ conceptionis habuit conservandam nullo prorsus medio indigebat, in stabulo nascitur et pannis involvitur, et in præsepio collocatur, et octavo die circumciditur, et in Ægyptum fugit, et pauperem vitam ducit, famem et sitim sentit, patientissime timorem, ignominias, opprobria, flagella, spinas, alapas, clavos, crucem et mortem perfert? Ad quid, inquam, hæc? Numquid ut ipse proficeret? Num ut virtute cresceret qui semper immensus et infinitus fuit? Non, sed ut vobis exemplum præberet omnis justitiæ, ut exemplar universarum virtutum se exhiberet.

48. Salvator noster est instar magnetis: nam sicut magnes, non verbis, sed abscondita naturæ vi ferrum ad se trahit, et mirabili nexu conjungit: ita Christus non solum docendo ut magister, et salvando ut Redemptor, sed etiam operando ut

virtutis exemplar, corda nostra ferrea post se trahit. Quam Sponsi proprietatem indicat Sponsa, cum ab Sponso ad se trahi instanter efflagitet, Cant. I: Trahe me, inquit, post te curremus. Trahe, inquam, ad modum magnetis, et virtute actionum tuarum me tibi actionibus virtutis assimila. Dicamus ergo cum Apostolo, ad Hebr. XII: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Curramus ergo duobus pedibus, quorum alter est bonum facere, alter vero malum patienter sustinere. Aspiciendus est inchoator fidei, quæ semina fidei et omnis virtutis in nobis jecit, et consummator ejusdem fidei, qui quod incœpit, perfecit: ita nos festinemus ad bona opera præstanda; et ad labores et pressuras sustinendas.

49. D. Thomas exponens illud D. Pauli ad Rom. XIII: Induimini Dominum Jesum Christum, dicit sic: In quo scilicet fuerunt abundantissime omnes virtutes, secundum illud Isa. IV: Apprehendent septem mulieres virum unum. Induimus autem Jesum Christum, primo quidem per sacramenti susceptionem; Galat. III: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Secundo per imitationem; Coloss. III: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum; et Ephes. IV: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, etc. Dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur: quia sicut homo continetur vestimento et sub ejus colore videtur, ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Hæc ille. Dixit aliquis, Matth. VIII: Magister, sequar te quocumque ieris, nam tu ductor es ad omnem virtutem, et nunquam in locum salutis ibo, si gressus meos a tua imitatione separavero.

50. Sequar tuam paupertatem. Nam, ut dicit D. Thomas, 3 p., q. 40, art. 3, Christus voluit esse pauper. Primo, quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venisse se dicit, Marci I: Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem, ad hoc enim veni. Secundo, ne videretur prædicare ex cupiditate. Tertio, ut nos faceret divites spiritualiter. Quarto, ut virtus Dei magis ostenderetur. Sequar tuam paupertatem, et ex illa consequar septem bona, quæ ponuntur a D. Thoma explicante illud Isaiæ XLVIII: Elegi te in camino paupertatis.

Paupertas confert multa: Primo, peccatorum recognitionem; secundo, virtutum conservationem; Eccli. x: Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum; tertio, cordis quietem; Tobiæ v: Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc quod videbamus filium nostrum; quarto, desiderii impletionem; Psal. IX: Desiderium pauperum exaudivit Dominus; quinto, divinæ dulcedinis participationem; Ps. LXIII: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus; sexto, exaltationem; I. Reg. II: Suscitans de pulvere egenum; septimo, cœlestem hæreditatem; Matth. v: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

51. Sequar tuam castitatem. Ex humanitate Christi velut ex nube tonitruum castitatis egressum est. Tonitruum sonus est ex nubis ruptione procedens. Et ita castitas ex nube exiit, quia ex Filio Dei ad nos per humanitatem veniente processit. Christus enim est nubes illa, de qua Isaias, c. XIX, ait: Ecce Dominus ascendet super nubem levem, ex eo nimirum quod Verbum humanitatem assumpsit. Nubecula hæc humilitate parvula præstituto tempore apparuit, ut pluviam gratiarum abundantissimam plueret, et in cruce vulneribus manuum et pedum et lateris, rupta cum fragore tonaret.

52. Ex ea nube tonitruum castitatis egressum est, quoniam Christus de Virgine nasci voluit, munditiam virginitatis in se ipso consecravit, et homines castitatem edocuit. Sequar tuam castitatem; David, Psal. XLII: Confitebor tibi in cithara. Cithara, secundum Rupertum, est corpus virginis, seu casti, ad cujus sonum justos alibi exhortatur, dicens: Confitemini Domino in cithara. Cithara ex multis variisque chordis composita et optime temperata, in inferiori parte pulsatur, et corpus ex variis membris ordinate dispositis coagmentatum, mortificatione discreta, quasi sonorum et harmonicum redditur. Chordæ citharæ sunt membra obtemperata, quæ dum omnia virtuti serviunt, suavissimum Deo sonum edunt. Siccatur enim chorda, inquit Gregorius, ut congruum in cithara cantum edat, quia sancti viri castigant corpus suum ut servituti subjiciant, et quia citharœdus est vir castus atque pudicus. Sequar te mortificando membra inferiora, ut sim cithara, idest castus in conspectu tuo.

53. Sequar tuam obedientiam, de qua D. Thomas, explicans

illud Philipp. II: Factus obediens usque ad mortem, dicit: Modus humiliationis et signum humilitatis est obedientia, quia proprium superborum est sequi propriam voluntatem, quia superbus quærit altitudinem: ad rem autem altam pertinet quod non reguletur alio, sed ipsa alia regulet, et ideo obedientia contrariatur superbiæ. Unde volens ostendere perfectionem humilitatis et passionis Christi, dicit quod factus est obediens. Quod si fuisset passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis, quia obedientia dat meritum passionibus nostris. Sed quomodo factus est obediens? Non voluntate divina, quia ipsa est regula, sed voluntate humana, quæ regulata est in omnibus secundum voluntatem paternam. — Idem Sanctus explicans illud Matth. XXVI: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, dicit sic: Si congruit justitiæ tuæ, volo; ideo dicit: Non sicut ego volo. Unde duas tangit voluntates: unam quam habebat a Patre in quantum Deus; item aliam voluntatem in quantum homo, et istam voluntatem in omnibus submittebat Patri. Sequar tuam obedientiam, voluntatem meam voluntati tuæ subjiciendo, sicut tu voluntati Patris.

54. Christus dilexit nos tripliciter, ut nos ita illum diligamus. D. Thomas, explicans illud Joan. XIII: Mandatum novum do vobis, dixit: Tripliciter dilexit nos Christus: gratuite, efficaciter et recte. — Gratuite, quia ipse incœpit, nec expectavit quod nos inciperemus amare; I. Joan. IV: Non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit, nos: sic et nos debemus prius diligere proximos, nec expectare prævenire, seu beneficari. — Efficaciter autem dilexit, quod patet per opus: probatio enim dilectionis exhibitio est operis. Majus autem quod homo pro amico potest facere est ut det se ipsum pro eo: quod et Christus fecit; Ephes. V: Dilexit, nos et tradidit semetipsum pro nobis. Unde majorem charitatem nemo habet, etc. Nos vero hujus exemplo efficaciter et fructuose invicem diligamus; I. Jo. III: Non diligamus verbo, neque lingua, etc. — Recte, quia cum amoris amicitia fundetur supra aliquam communicationem, similitudo est causa amoris, et illa recta amicitia quæ est propter similitudinem et communicationem in bono: Christus autem in tantum dilexit nos, in quantum similes sumus ei per gratiam adoptionis, diligendo secundum hanc similitudinem, ut ad Deum traheret; Jerem. XXXI: In charitate perpetua dilexi te,

ideo attraxi te miserans. Sic ergo et nos in amato, non tantum quod beneficii est, seu delectationis, sed quod Dei est debemus diligere. Diligam te, Domine Jesu, per habitum gratuitum a te datum et acceptum, quia bonum nostrum a te incipit efficaciter secundum meum posse, quia omnis efficacia a te dependet gratuite, gratias tibi reddendo pro beneficiis acceptis.

55. Christus propter nos egenus et pauper factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus. Est D. Pauli, II. Cor. VIII; quod explicat D. Thomas: Dicit " egenus „ quod plus est quam pauper: nam egenus dicitur ille qui non solum parum habet, sed qui indiget, seu eget. Pauper vero ille qui parum habet. Ad significandum ergo majorem paupertatem, dicitur " egenus factus est, „ scilicet in temporalibus; Luc. IX: Filius hominis non habet, etc.; Thren. III: Recordare paupertatis, etc. Est autem factus egenus, non ex necessitate, sed ex voluntate, quia gratia ista jam non esset gratia, et ideo dicit: " cum esset dives, „ scilicet in bonis spiritualibus; Rom. X: Dives in omnes; Prov. VIII: Mecum sunt divitiæ. — Causam autem quare voluit fieri egenus subdit, cum dicit: " ut illius inopia divites essemus, „ idest ut illius paupertate in temporalibus nos essemus divites in spiritualibus. Et hoc est propter duo, scilicet propter exemplum et propter sacramentum. Propter exemplum quidem, quia si Christus dilexit paupertatem, et nos exemplo suo debemus diligere eam. Propter sacramentum autem, quia omnia quæ Christus egit, vel sustinuit, fuit propter nos. Unde sicut per hoc quod sustinuit mortem, liberati sumus a morte æterna et restituti vitæ: ita per hoc quod sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopia in spiritualibus et facti divites in spiritualibus; I. Cor. I: Divites facti estis in illo in omni scientia. Hæc ille.

VIII. *Anima vocata considerando manum potentiæ Dei erga ipsam, ipsum glorificat; considerando manum justitiæ, ipsum timet; considerando manum misericordiæ, ipsum benedicit.*

56. D. Thomas, explicans illud Isaiæ VIII: Sicut in manu forti erudivit, dicit quod est manus Domini triplex. Primo, est manus divinæ potentiæ, et hæc est triplex. Primo creantis;

Job x: Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me. Secundo, continentis; Psal. xciv: In manu tua, Domine, omnes fines terræ. Tertio, protegentis; Psal. xlix: In umbra manus suæ protexit me. — Secunda manus est manus justitiæ, et ista erit triplex. Prima, tangentis ad probandum; Job xix: Manus Domini tetigit me. Secunda, flagellantis ad purgandum; II. Machab. vi: Nam etsi in præsenti tempore a suppliciis eripiar, sed manus Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Tertia, opprimentis ad condemnandum; Hebr. x: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. — Tertia manus est manus misericordiæ. Et ista est triplex: Prima, sanantis; Job v: Ipse vulnerat et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt. Secunda, pascentis; Psal. xciv: Populus pascuæ ejus et oves manus ejus. Tertia coronantis; Sap. v: Accipiet regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. Hæc ille.

57. Est manus divinæ potentiæ, et hæc est triplex: Prima, creantis; Job x: Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me. Divus Thomas, explicans istam auctoritatem Job: " Plasmaverunt, „ dicit: Ut alludat ei quod homo ex limo terræ dicitur esse formatus; per manus autem operatio divina intelligitur, unde dicitur pluraliter " manus tuæ, „ quia licet sit una divina virtus operans, multiplicatur tamen ejus operatio in effectibus, tum propter diversitatem effectuum, tum etiam propter rationem causarum mediarum, quibus mediantibus suos effectus producit. — Secunda, continentis; Ps. xciv: In manu tua, Domine, omnes fines terræ. Et, ut dicit D. Thomas in iv, Dist. 1, q. 1, art. 4, quæst. 4, illud quod est in effectu, ut forma dans esse, est in agente in quantum hujusmodi, ut virtus activa: et ideo sicut se habet agens ad virtutem activam, ita se habet ad continendam formam effectus. — Tertia, protegentis; Ps. xciv: In umbra manus suæ protexit me. D. Thomas, in expositione capitis iv Isaiæ, dicit quod Deus protegit per quatuor. Per speciem obumbrantem; Luc. i: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Per compunctionem humiliantem; Joel. ii: Dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Per veritatem illuminantem; Luc. ii: Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel. Per Ecclesiam viventem; Apoc. xxi: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

58. Considerans anima istam manum potentiæ, ipsum glorificat. D. Thomas, explicans illud Psal. XVII: Laudans invocabo Dominum, dicit: Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis, vel ex hoc saltem sequitur. Laudem propriam non habeo, sed quæro tuam, quia tu fecisti; Isa. LXIII: Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ retribuit mihi. Anima vocata, considerando manum potentiæ Dei, ipsum glorificat, laudans magnitudinem virtutis illius. D. Thomas, explicans illud Psal. XXXIII: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, dicit sic: Aliquando laudat Deum aliquis propter se ipsum, sicut quando loquitur lingua, sibi soli loquitur. Aliquando propter consolationem aliorum, sicut quando prophetat, etiam aliis. Benedicere ergo Domino est confiteri laudem Dei, sed benedicere Dominum est facere bonum omni tempore; Tob. V: Omni tempore benedic Deum. Item oportet ut non solum in se, scilicet in corde suo, quis benedicat Deum, sed etiam quod laudem ejus habeat in ore. Necessitas enim laudis vocalis est, ut non solum laudet Deum, sed etiam ad utilitatem et provocationem aliorum laudet eum. Unde dicit " laus ejus in ore meo. „ Isa. LI: Si gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. " Semper, „ idest in omni statuto tempore, vel in præparatione animi, vel semper bene faciendo, ex quo Deus semper laudatur. Anima vocata semper benedicit Deum, quia fecit illam per manum suæ potentiæ.

59. Secunda manus est manus justitiæ, et ista est triplex. Prima tangentis ad probandum; Job XIX: Manus Domini tetigit me. D. Thomas: Intelligebat enim se a Deo percussum: non videtur autem decens ut homini afflicto afflictionem addatis. — Secunda, flagellantis ad purgandum; I. Mach. VI: Nam etsi in præsenti tempore a suppliciis hominum eripiar, sed manus Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Divus Thomas, explicans illud D. Pauli ad Hebr. XII: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit, dicit sic: " Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, „ sicut quidam qui odiunt disciplinam, de quibus dicitur Prov. IX: Noli arguere derisorem, ne oderit te; Amos V: Odio habuerunt loquentem in porta, et corripientem

perfecte abominati sunt; dicit ergo Apostolus: " Noli negligere disciplinam Domini, „ quasi dicat: Cum Deus te flagellat causa disciplinæ, noli negligere, idest negligenter habere fastidiendo; " et ne fatigeris cum ab eo argueris. „ Quidam enim etsi correctionem duram non odiant, tamen impatienter portant; et ideo dicit: " neque fatigeris. „ Tunc enim homo spiritualiter fatigatur, quando contristatur in tantum quod deficit; deinde cum dicit: " quem enim diligit Dominus, castigat, „ assignat causam. Sicut autem dicit Philosophus, verbum castigationis communiter accipitur in pueris et concupiscentia; dicimus enim castum, cujus concupiscentia castigata est. Similiter puer dicitur castigatus qui est bene disciplinatus: quod enim de se habet pronitatem ad malum indiget refrænante. Talis autem est concupiscentia et pueri, qui de se sequuntur impetus suos, ideo indigent castigante. Ideo Dominus castigat nos ut retrahat nos a malo; Psal. CXVII: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. In hoc autem castigat, quia flagellat, non quidem ad condemnationem, sed ad salutem. Hæc ille.

60. Tertia, manus opprimentis ad condemnandum; Hebr. X: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. D. Thomas: Quanto enim judex justior et fortior est, tanto magis timendum est; Psal. VII: Deus judex justus et fortis: ergo horrendum est incidere in manus ejus; Daniel. XIII: Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras; Eccli. II: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.

61. Anima considerando istam manum justitiæ, ipsum timet. D. Thomas, 2 2, q. 19, art. 1 ad 2, dicit quod in Deo est considerare justitiam secundum quam peccantes punit, et misericordiam secundum quam nos liberat. Secundum ergo considerationem ipsius justitiæ insurgit in nobis timor: secundum autem considerationem ipsius misericordiæ insurgit in nobis spes. Et ideo anima considerando manum justitiæ, ipsum timet. In eodem articulo, in corpore, dicit Sanctus: Timor duplex objectum habere potest, quorum unum est ipsum malum quod homo refugit, aliud autem est illud a quo malum provenire potest. Primo ergo modo Deus, qui est ipsa bonitas, objectum timoris esse non potest. Sed secundo modo potest esse objectum timoris, in quantum scilicet ab ipso, vel per comparationem ad

ipsum nobis potest aliquid mali imminere. Ab ipso quidem potest nobis imminere malum pœnæ, quod non est simpliciter malum, sed secundum quid: bonum autem simpliciter. Cum enim bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importet hujus ordinationis privationem, illud est malum simpliciter quod excludit ordinem a fine ultimo, quod est malum culpæ. Malum autem pœnæ est quidem malum in quantum privat aliquod particulare bonum. Per comparationem autem ad Deum potest nobis malum pœnæ provenire, si ab eo separemur. Et per hunc modum Deus potest et debet timeri. Hæc ille.

62. Tertia manus est manus misericordiæ, et ista est triplex. Prima, sanantis; Job v: Ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt. D. Thomas: " Ipse vulnerat, „ scilicet graviori adversitate; " et medetur, „ auferendo mala et restituendo bona; " percutit, „ idest leviori adversitate; " et manus ejus, „ idest operationes ipsius, " sanabunt, „ idest liberabunt; non enim Eliphaz eum qui corripitur a Deo beatum asseruit propter futuram vitam quam non credebat, sed propter præsentem, in qua post correptionem homo ex supradictis a Deo obtinebat immunitatem a malis et abundantiam bonorum. — Secunda, pascentis; Psal. xciv: Populus pascuæ ejus et oves manus ejus. Divus Thomas, explicans illud Psal. xxii: Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocavit, dicit sic: " Dominus regit me; „ Hieronymus: " Dominus pascit me, „ et idem est, quia qui pascit, regit: et intelligitur de Christo, qui est Pastor noster; Joan. x: Ego sum pastor bonus; Matth. vi: Respicite volatilia cœli. Et Deus dicitur pastor noster: ipse enim pascit etiam volatilia cœli, ut dictum est; Pasce populum tuum in virga tua, Malach. viii. Et sufficienter pascit. Unde dicit: " nihil mihi deerit, „ scilicet de eo quod est necessarium ad salutem et in temporalibus; Luc. xxii: Quando misi vos sine sacculo et pera, etc., numquid aliquid, etc. " In loco pascuæ ibi me collocavit, „ idest pascuoso, ubi est abundantia herbarum. Hæc abundantia sunt sacra documenta S. Scripturæ, et spiritualium abundantia. — Tertia, manus coronantis; Sap. v: Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. D. Thomas, explicans illud Isaiæ xxviii: Væ coronæ, dicit sic: Coronantur corona nuptiali; Isa. lxi: Quasi sponsum coronavit

me corona. Secundo, triumphali; II. Tim. II: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Tertio, regali; Isa. LXII: Eris corona gloriæ in manu Dei tui; Psal. XX: Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso. Quarto, sacerdotali; Eccli. XLV: Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis.

63. Anima, considerando istam manum misericordiæ, ipsum benedicit. D. Thomas, explicans illud Psal. XXVI: Cantabo, et psalmum dicam Domino, dicit sic: " Cantabo, „ tibi scilicet canticum et lætitiam mentis et rectitudinem operis. Psal. CVII: Paratum cor meum. Paratum cor habeo ad serviendum tibi cum lætitia mentis; Psal. XCIX: Servite Domino in lætitia. Idem Sanctus explicans illud Psal. XXVII: Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ, dicit: Benedicere Dei nos, est causare bonitatem in nobis, quia dixit, et facta sunt. Benedicere nos Deo, est agnoscere ejus bonitatem, qua nobis benefacit: et nihil ei accessit ex hoc. Hoc tamen faciendum est nobis omnibus beneficiis. II. Cor. I: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum; Tobiæ XII: Benedicite Deum cœli, qui fecit nobiscum misericordiam suam. Anima, considerando manum misericordiæ, ipsum benedicit.

IX. *Quomodo cognoscatur Deus a viris contemplativis, et ab omnibus viatoribus.*

64. Nec interior, nec exterior visus potest videre nisi moveatur a visibili. Et secundum quod perfectius immutatur a visibili, melius videt. Et tunc perfectissime videt, quando recipit actionem visibilis secundum totam suam virtutem. Et inde est quod idem videtur diversimode a diversis, et interius et exterius, a quibusdam melius, a quibusdam pejus. Hoc igitur visibile quod est Deus nihil perfecte apprehendit, nisi quod totum ipsum capiat. Et ideo solus Deus sic se videt. Ab his autem minus perfectum visum habentibus videtur secundum similitudines quasdam bonitatis ipsius, sive in rebus sensibilibus, sive in imaginibus, sive in speciebus intelligibilibus. Et hujusmodi est visio eorum quæ viderunt prophetæ per lumen

prophetiæ, et quæ videmus per fidem, et quæ videntur per lumen rationis, et a philosophis qui cognoverunt Deum. Ita D. Thomas, Isaiæ VI, in principio.

65. Deus quadrupliciter videtur, non per essentiam, sed per speciem sensibilem, imaginariam, intelligibilem et abstractam, et infusam. Ita D. Thomas in cap. I Isaiæ: Lumen divinum dupliciter nobis in via communicatur, scilicet uno modo modice, et quasi sub parvo radio, et hoc est lumen naturale intellectus, quod est quædam participatio illius lucis æternæ, multum tamen distans et ab illa deficiens. Alio modo in abundantia quadam et quasi in quadam lucis præsentia, ubi acie mentis nostræ reverberatur, quia supra nos est, supra sensum hominis, quod nobis ostensum est. Et hoc est lumen fidei, quæ nullam patitur opinionem infra suos terminos. Ita D. Thomas, Opusc. LXXII, in princ.

66. Cognitio Dei triplex, scilicet figuralis, speculativa et aperta. Prima est Judæorum, secunda Christianorum, et tertia Beatorum. Ita D. Thomas in Psal. XLVII: Ad videndum homo post peccatum indiget triplici medio, scilicet a quo, ut speculo, scilicet creatura sensibili; in quo, scilicet similitudine accepta a creatura; et lumine naturali, vel gratia, idest fidei et sapientiæ. Sed ante peccatum indigebat tantum similitudine et lumine elevante et dirigente mentem. Beati autem tantum tertio modo, sed Deus nullo. Ita D. Thomas De veritate, quæst. 18, art. 1, 2, etc.

67. Cognitio Dei acquiritur per alia, sed postquam jam cognoscitur, non per alia cognoscitur, sed per se ipsum, secundum illud Joan. IV: Jam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi. D. Thomas in II, dist. 23, quæst. 2, art. 1 in corp., dicit quod Deus tripliciter videri potest, et assignat secundum, nimirum per effectum aliquem ejus influentem in intellectum videntis. Et dicit: Ad istum modum, qui est naturalis ipsi angelo et supra naturam hominis, elevatur homo per gratiam post statum culpæ, sicut etiam in viris contemplativis patet, qui revelationes divinas merentur, et multo amplius fuit in primo statu per gratiam originalis justitiæ.

68. Assignando istos tres modos quos posuit D. Thomas, dico: Primus est quando aliquid cognoscitur per suam essentiam, se-

cundus per aliquem effectum influentem in intellectum cognoscentis, tertius per effectum aliquem extra intellectum videntis, in quo divina similitudo resultat. Exemplum est in visione corporali. Primo modo videtur lux informans oculum sine similitudine relicta in oculo. Secundo modo, per speciem relictam in oculo videtur lapis. Tertio modo, ex similitudine repræsentata in oculo, et in oculum defluente, videtur lapis. Eodem modo in visione, seu cognitione intellectuali contingit. Primo enim modo Deus videt et cognoscit suam essentiam sibi intime præsentem. Secundo, angelus ex sua natura, quæ est similitudo divinæ naturæ, cognoscit Deum naturaliter. Tertio modo cognoscitur Deus per effectum naturalem, sicut cognoverunt philosophi; vel spiritualem, ut patet in fide nostra, qua adhæremus his quibus divina revelatio facta est, per quam dicimur videre in speculo.

69. Ad primum modum cognitionis, qui est Deo naturalis, elevatur homo et angelus per gloriam. Ad secundum modum angelo naturalem, supra tamen ipsam naturam hominis, elevatur per gratiam; ita elevatus est Adam in statu innocentiæ, et post eum viri contemplativi qui revelationes meruerunt accipere. Tertius modus communis est viatorum, etiam post culpam.—Eamdem doctrinam habet D. Thomas De veritate, q. 13, art. 1 ad 1. — Prima harum visionum est perfectissima; tertia imperfectissima; secunda media inter utramque. Prima enim visio unico indiget medio, lumine scilicet gloriæ. Tertia, triplici medio: creatura, per quam attendit ad Deum, ex aliqua similitudine Dei accepta ex creatura, et est velut medium *in quo*, sive illud naturale sit, sive gratuitum, quo ad Deum dirigitur. Media vero cognitio fuit in statu innocentiæ, duplici tantum indigens medio, Dei scilicet similitudine, et lumine elevante, seu dirigente. Cum ergo cognoscimus Deum in hac vita, sive per cognitionem naturalem, sive gratuitam, fit unio quædam intelligentis cum re intellecta, infra unionem beatificam et supra cognitionem naturalem, et cognitione per fidem lumine prophetiæ illustrante intellectum contemplativi.

70. Excedebat visio, secundum quam elevatus fuit Adam in statu innocentiæ, et elevantur contemplativi secundum modum intelligendi nostrum naturalem: nam in divinam cognitionem (loquendo de naturali cognitione) devenimus per creaturarum cognitionem ex sensibilibus effectibus: et primus homo in statu

innocentiæ in effectibus intelligibilibus, vel per effectus intelligibiles, quos vocant species impressas et a Deo infusas, Deum intelligebat: quare nos a plena et lucida contemplatione intelligibilium impedimur, quia distrahimur a sensibus, et circa eos occupamur: id autem non contingebat in eo statu ex illius perfectione, ut docet D. Thomas, 1 p., qu. 64, art. 1. In cognitione vero supernaturali, tam in eo statu quam nostro, opus est illustratione divina fidei et prophetico lumine, vel novas species infundente, vel perceptas ordinante. Quocumque istorum modorum fit unio intellectus cum re intellecta, sive naturalis, cum ex sensibilibus effectibus divinam naturam cognoscimus, vel cum eidem unitur intellectus per fidem, vel per donum gratuitum prophetici luminis causantis species impressas, vel species acceptas a sensibus ordinatas.

71. Etiam est convenientia inter modum intelligendi Adam et contemplativorum, quod utraque visio, vel intellectio, sive in illo statu, sive modo, cum ad divina cognoscenda elevamur, mediant vel intercedunt phantasmata, si non quantum ad acceptationem formarum intelligibilium cum a Deo confundantur, saltem quantum ad usum. Rursus convenientia est quod quando effectibus sensibilibus procedimus ad cognitionem veritatis, syllogismis et discursu opus est et tempore: at ubi intervenit irradiatio divina (ut cum per species inditas multa accepit Adam ex propria veritate, et acceperunt prophetæ et contemplativi), nullus discursus intervenit: et illa infusio tempore non potest mensurari, nec ullum discursum involvit. De Adam clare id habetur 1 p., qu. 94, art. 1; de contemplativis docet D. Thomas, 2 2, q. 18, art. 6.

X.

De peculiari modo existentiæ Dei in justis et contemplativis mystice.

72. D. Thomas, 1 p., qu. 8, art. 3, docet quod Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam et potentiam. Modus existendi per essentiam est idem quod modus existendi per contactum immediate, quo ipsa substantia Dei est in rebus; nam essentia considerata absolute et sine contactu non existit nisi in se tantum; non vero existit in alio, sed in se. Quare ratio

formalis, qua existit in rebus substantia Dei, non potest esse ipsa essentia absolute considerata in se, sed prout importat habitudinem contactus, qui contactus, cum sit divinus, necessario est aliquid sibi inferius, quod immutetur et subjiciatur Deo. Modus autem essendi per potentiam dicit modum existendi in rebus per modum continentis, non continentia contactus, sed continentia potestatis gubernativæ et directivæ effectuum extra se. Sicut rex gubernat et continet in officio subditos, mediis ministris: sic Deus mediantibus causis secundis. Modus existendi in rebus per præsentiam, nihil aliud est quam res ipsas quas produxit in propria mensura facere etiam subjectas conspectui suo per intuitionem, non solum quatenus intuetur in æternitate, tam futuras quam præteritas, sed prout existentes in sua propria mensura non possunt effugere conspectum Dei, sed oculis ejus subjectæ sunt.

73. D. Thomas, 1 p., qu. 8, art. 3, præter istos tres modos, ponit novum et singularem modum existendi in anima per gratiam, quem explicat Dominus, Joan. XIV: Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Quam mansionem explicans D. Thomas, 1 p., q. 43, art. 3, dicit non tantum fieri per immissa dona, sed etiam manente in anima justorum ipso Auctore donorum. Et in I Sent., dist. 14, in prima divisione textus, inquit Sanctus, Magistrum excludere ibi errorem dicentium Spiritum sanctum non dari, sed dona ejus in processione temporali. Et ratio est quia hoc plane Scriptura significat, tum quia dicit personas divinas in nobis habitare et ad nos venire; Joan. XIV: Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus; et de Spiritu sancto dicit postea: Apud nos manebit, et in nobis erit, quod certe de donis creatis non potest verificari, cum de ipsis personis dicatur quod manebunt et venient ad nos: de donis autem creatis verificari non potest; tum quia dicit Spiritum sanctum esse in nobis ut in templo suo; I. Cor. XIII: Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, qui in nobis est, etc.; tum denique, quia expresse distinguit Scriptura inter hoc quod (*est*) dari dona creata gratiæ et dari ipsam personam increatam Spiritus sancti, cum dicitur, Rom. V: Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; quod frustra distingueretur inter charitatem diffusam et Spiritum sanctum datum, si dari Spiritum sanctum

non est aliud quam dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Adstipulatur etiam auctoritas Augustini, De Trinitate, cap. 26, ubi aperte dicit ipsum Deum dari, cum datur Spiritus sanctus. Et Ambrosius, lib. I De Spiritu sancto, cap. 4, ubi Spiritum sanctum qui datur dicit esse ipsum Deum, qui simplex est in substantia et ubique totus. Et concludit: Quis ergo dubitat divinum esse quod infunditur simul pluribus, sed dividitur singulis, prout Spiritus sanctus vult, ut ait Apostolus?

74. Iste autem specialis modus existentiæ Dei in anima justi, dicit D. Thomas, est sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Quod ideo fecit D. Thomas ut per hoc poneret differentiam inter hanc præsentiam et præsentiam immensitatis, per quam est præsens et habet contactum sicut agens suo effectui immediato: per istam vero est præsens Deus, ut objectum cognitum et amatum intra animam; diversa autem præsentia est agentis et objecti. Et hæc præsentia Dei non est ita perfecta et conjuncta sicut in patria, quia ambulamus per fidem, et non per speciem, et ita non unitur Deus realiter nostro intellectui in ratione speciei intelligibilis, neque in ratione objecti quo fruimur de facto et consummate.

75. Deum esse cognitum et amatum dupliciter sumitur. Uno modo pro sola et pura denominatione extrinseca, et hoc modo Deus non existit specialiter in cognoscente et amante, nec requiritur aliqua specialis missio divinarum personarum in animam, imo etiam per naturalem cognitionem et amorem, vel etiam per fidem sine gratia potest Deus denominari cognitus et amatus. Alio modo *ly* cognitum et amatum sumitur non pro denominatione ipsa cogniti et amati præcise, sed prout dicit modum specialem familiaris convictus cum Deo, et communicationis ad possidendum et fruendum ipso; siquidem hæc fruitio et possessio non fit nisi per cognitionem et amorem; et sic Deus ut cognitus et amatus non quomodocumque, sed possessive et fruibiliter, dicit specialem rationem existendi in anima, eo quod possessio et fruitio Dei non potest fieri si esset absens et non intra nos, juxta illud Christi Domini, Luc. XVII: Regnum Dei intra vos est. Ad hoc autem disponit gratia et charitas, quatenus reddit animam elevatam ad amandum et fruendum Deo.

76. Supposita dispositione gratiæ et charitatis in anima, et

contactu Dei per modum operantis et producentis illam, quod pertinet ad modum communem immensitatis, (*patet*) resultare specialem modum præsentiæ realis et physicæ respectu Dei, in quantum existit in anima per modum rei possessæ et fruibilis ab ipsa: consummate quidem in gloria, ubi erit fruitio in actu consummata, et specialis unio divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis; hic autem est unio ista fruitionis inchoata et imperfecta. Vere tamen ratione illius dicitur Deus non solum communi modo suæ immensitatis et contactu operationis esse in anima, sed per modum inhabitantis, et amici conviventis, et finis possessi.

77. Et non solum ratione immensitatis, sed etiam speciali modo Deus fit realiter et physice præsens secundum substantiam animæ habentis gratiam, ad quam præsentiam et conjunctionem gratia et charitas dispositive se habent, ita quod prærequiritur productio ipsius gratiæ in anima, et consequenter contactus et conjunctio Dei per modum operantis, quod pertinet ad immensitatem; sed præter istum contactum, qui prærequiritur et præsupponitur, est alia præsentia Dei et conjunctio qua personaliter inhabitat animam, quia personaliter datur illi, ut diximus, et non solum dantur dona ejus.

78. Et quod hæc inhabitatio et præsentia substantiæ non habeat pro ratione formali contactum immensitatis, licet illum præsupponat quatenus producit gratiam, constat, tum quia ratio formalis præsentiæ immensitatis est per modum operationis et agentis: formalis autem ratio existendi per gratiam est per modum objecti cogniti et amati: sunt autem valde distinctæ rationes per modum objecti et per modum agentis; tum etiam quia ad contactum per modum agentis non præsupponitur aliqua dispositio ex parte alterius extremi, ut Deus habeat contactum et præsentiam, quia hic contactus est et operatio est influxiva et dativa totius esse, et consequenter nullam dispositionem supponit. Inhabitatio vero Dei in anima, et præsentia ejus per modum possessi, præsupponit dispositionem in anima, scilicet gratiam et charitatem: cujus quidem productio supponit præsentiam Dei per modum operantis, et contactum immensitatis habentis; sed tali præsentia præsupposita, redditur sub nova ratione formali, seu nova habitudine et connotatione, Deus ipse præsens, inhabitando ita realiter,

sicut ipsa missio et donatio divinæ personæ realis est, licet qualis sit discursu nostro attingi vix possit.

79. Secundum dona naturalia, vel quæcumque supernaturalia extra gratiam sanctificantem Deus non est in anima isto speciali modo. Ratio est, quia per nulla dona naturalia vel extra gratiam sanctificantem attingi potest Deus, ut finis ultimus possessus et fruibilis, sed solum per gratiam et charitatem, per quam habet homo potestatem fruendi Deo in se ipso immediate. Ergo talis modus specialis existendi Dei per possessionem ac fruitionem in anima non invenitur extra gratiam gratum facientem.

80. In utroque isto modo est gradatio tam in cognitione, unde etiam D. Thomas, 2 2, q. 174, art. 1, plures gradus propheticæ cognitionis tradit: quam etiam in effectu, nam ex eodem Sancto, p. 1, q. 43, art. 2 et 3, ibi non solum cognitio roboratur secundum quod Deus a quocumque cognoscitur atque percipitur pro captu, vel proficientis animæ, vel perfectæ animæ rationalis in Deo, sed etiam cum per affectum proficit in aliquem novum actum et statum gratiæ, secundum quod aliquis proficit in gratia miraculorum, vel prophetiæ, vel ex fervore charitatis exponit se martyrio. — Potest autem deprehendi iste effectus major vel minor dupliciter. Primo ex quadam supereminenti luce et speciali revelatione, secundum quam dicit Apostolus: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei (ad Rom. VIII), absque eo quod potentiæ animæ hanc unionem in gratia cognoscere valeant. Secundo ex parte ipsarum potentiarum, quando intellectus deprehendit se ferri in cognitionem summi veri, et voluntas perfectissime fertur in amorem ad Deum; unde ille actus: Quis separabit nos a charitate Christi? an fames? an gladius? etc., ex cognitione qua noscebat summum bonum, procedebat.

81. Iste modus specialis explicatur amplius; nam novo modo efficitur Deus præsens mediante gratia ut objectum experimentaliter cognoscibile et fruibile intra animam, sicut si anima nostra, quam intime nobis præsentem habemus ut radicem et principium omnium operationum, reddatur nobis præsens et manifestata ut objectum, non quomodocumque cognitum et objective attractum, sed ut objectum nobis intimum, et quod est radix nostri esse, nostræ operationis, ac sic cognoscitur quodam

experimentali tactu et cognitione; sicut etiam substantia angeli dupliciter unitur suo intellectui, et ut subjectum seu radix illius cui intellectus inhæret, sicut omnia accidentia et proprietates quæ uniuntur substantiæ et ab ea dimanant, et ut objectum quatenus informat intellectum vice speciei: et sic est intellectus ut objectum cognitum et amatum, non quomodocumque, sed ut cognitum et amatum intra et per quamdam intimam experientiam sui, sicut id quod est radix et principium sui intrinsecum. Sed hæc experimentalis cognitio suæ substantiæ in angelo est semper manifesta et intuitiva, quia caret corpore, a cujus conversione dependeat in cognoscendo; in nostra autem anima potest esse experimentalis cognitio, sed obscura quantum ad quidditatem, quamdiu sumus dependentes a corpore in cognoscendo. Talis ergo modus experimentalis cognitionis et amoris respectu alicujus objecti cogniti et amati, ut radicis et principii intimi sui proprii esse, necessario exigit realem et substantialem præsentiam in esse objecti, quia aliter non potest esse cognitum experimentaliter et intime, sive hæc experimentalis cognitio sit adhuc inevidens et latens, sive sit intuitiva et clara; quia est cognitio experimentalis rei sibi omnino intimæ, et quæ est radix sui esse, sed non exercet præsentiam solum influendo et agendo, sed influentiam et præsentiam hanc manifestando et ostendendo, et in ratione objecti intimi et præsentis se fruendo.

82. Applicando ergo istam doctrinam præsentiæ divinæ, considerandum est quod Deus ratione suæ immensitatis et contactus, quo intime tangit omnes effectus et dat illis esse, habet se ut radix omnis creaturæ, et ut vitis influens in palmites: non per modum formæ informantis, sicut anima nostra adest nobis, sed sicut agens a quo datur et influit totum esse in creaturas, ut ab universali principio et radice omnium. Sic enim appellatur in Scriptura, ut cum dicitur ad Hebr. I: Portans omnia verbo virtutis suæ; et ad Rom. II: Non tu radicem portas, sed radix te; ad Coloss. I: Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant; Actor. XVII: Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. Hoc modo existit Deus in nobis quasi radix occulta et principium omnibus dans esse magis intimum quam forma quælibet suæ materiæ et substantia accidenti, quia omnia intime implet et

penetrat dando esse; nec se habet secundum hanc considerationem ut amicus convivens, aut particulariter se communicans, sed ut principium universale omnium creaturarum in esse, et sic omnibus præsens et conjunctus intime est. Cum igitur mediante gratia se manifestat, incipit id quod est radix et principium comparari ut objectum manifestans se ipsimet intellectui creato, cui adest ut radix et principium influens esse: et sic manifestat se ipsum ut objectum, non quomodocumque, sed omnino intimum, utpote radix totius illius esse. Unde talis manifestatio, familiaritas et convictus necessario importat novum modum præsentiæ, nempe non solum per modum radicis et principii influentis esse, sed per modum personæ viventis, et se ipsam manifestantis in ratione objecti; sed talis præsentia realis et intima esse debet, quia est manifestatio non cujuscumque objecti, sed objecti nobis maxime intimi, et qui cognoscitur ut radix et principium totius nostri esse, et experientiam et familiaritatem sui cognosci, et amari se faciens, sicut substantia angeli se ipsam manifestat et unit intellectui ut objectum, non qualecumque, sed ipsi intellectui intimum; et tale objectum sic cognitum et amatum, ut intimum et ut principium sui intellectus, etiam in quantum objectum, realiter et non solum intentionaliter præsens est: quia se ipso et sua realitate reddit se manifestum et cognitum, et experimentali sui cognitione attactum.

83. Quod vero istum contactum objectivum, realem et intimum habeat, non solum quando intuitive et clare videtur, et per modum speciei unitur, sicut cum substantia angeli suo intellectui unitur ut objectum, sed etiam cum fide obscura cognoscitur et experimentali quadam cognitione occulta attingitur, sicut cum anima nostra nobis in hac vita manifestatur, constat: quia Deus non solum cognoscitur per fidem, sicut communiter contingit in peccatoribus et justis, sed etiam per donum sapientiæ, quasi per gustum et experientiam quamdam internam, sicut ab omnibus existentibus in gratia, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 4 et 5. Et hæc sapientia habetur ex quadam unione et connaturalitate ad divina, idest ex quadam intima experientia divinorum, sicut de Hierotheo dicit D. Dionysius, cap. 2, De divinis nominibus, quod erat perfectus in divinis, non tantum discens, sed et patiens divina, ut

dicit D. Thomas, art. 2. Pati autem divina, et experimentalem cognitionem de Deo habere, non solum pertinet ad statum gloriæ, ubi intuitive Deus videtur, sed etiam ad statum viæ, ubi adhuc Hierotheus erat, et ubi Deus, etsi obscure et per fidem cognitus, tamen quasi experimentali quodam tactu cognoscitur, etsi non visu; sicut animam nostram non videmus, et tamen experientia animationis sentimus quasi objectum præsens, quia informat nos realiter, et informationis indicia nobis præsentat: sic Deus suæ intimæ præsentiæ, quam habet ut agens et principium totius esse per immensitatem, nobis specialiter per gratiam demonstrat, tamquam objectum intime et experimentaliter cognoscibile, hic occulte et per indicia, in patria per visionem: sed tamen jam nobis specialiter et realiter præsens, quasi stans post parietem.

84. Unde D. Thomas, qui hunc specialem modum existendi Deum in nobis per gratiam, dixit esse inquantum est objectum cognitum et amatum, tantum id reducit ad cognitionem, non qualemcumque, sed experimentalem ipsius Dei, quæ solum habetur per gratiam et per donum sapientiæ: quo cognoscimus de Deo per quamdam connaturalitatem et conjunctionem cum eo tamquam vivificante nos, sicut si esset vita nostra et anima animæ nostræ, per intimam præsentiam sui, qua influit nobis non solum esse naturale, sed etiam esse gratiæ, quo ipsas personas in nobis tamquam præsentes cognoscimus, etiamsi nondum videamus. Dicit enim sic in 1 Sent., dist. 14, q. 2, art. 2 ad 3, quod non qualiscumque cognitio sufficit ad rationem missionis, sed solum illa quæ accipitur ex aliquo dono appropriato personæ, per quod efficitur nobis conjunctio ad Deum secundum modum proprium illius personæ, scilicet per amorem, quando Spiritus sanctus datur: unde cognitio ista est quasi experimentalis. Non ergo quolibet modo esse objectum cognitum et amatum, sed esse cognitum experimentaliter et per ipsius præsentiæ tactum, pertinet ad hunc specialem modum quo persona dicitur missa. Non potest autem cognosci experimentaliter nisi ut habitus, possessus et conjunctus intime, nec conjunctus esse intime nisi supponendo contactum immensitatis, quo influit esse in animam: non solum esse naturale, quod est commune omnibus, sed etiam esse gratiæ supernaturale, quo ita dat esse supernaturale, quod se manifestat ut objectum

præsens; atque adeo speciali modo dicitur ibi esse tamquam non solum vivificans influendo et agendo, sed etiam vivificationem ipsam præsentem prodens, manifestans nunc per indicia et experimentalem conjunctionem ad animam, licet obscuram, et in patria per intuitionem.

85. Iste specialis modus existendi per gratiam in nobis præsupponit et requirit necessario præsentiam Dei per immensitatem, et sine ipsa salvari non posset, licet sit distincta ab ipsa; quia hæc specialis præsentia supponit ipsam creaturam habere in se esse productum a Deo, tum naturale quoad suam naturam, tum supernaturale quoad gratiam. Omnis autem productio Dei et influxus quoad esse, fit per contactum operationis, qui pertinet ad immensitatem, ita quod etiam ipsa productio gratiæ in anima, quatenus fit per operationem Dei, contactum immensitatis ejus requirit, per quem Deus est intime in ipsa gratia, et in anima ubi illa producitur tamquam in effectu suo. — Deinde præsupponitur iste contactus operationis Dei, seu contactus immensitatis, tam prout dat esse naturale, quam supernaturale per gratiam; quia per gratiam manifestatur Deus et personæ non quomodocumque, sed ut experimentaliter cognitus, et ut intima radix et principium vitæ animæ, tam in esse naturali, quam supernaturali, quatenus ex ejus influxu dependet et derivatur omne esse: hæc autem derivatio et operatio constituit contactum immensitatis. Ut ergo manifestentur Personæ non quomodocumque cognitæ, sed ut intime præsentes et experimentali conjunctione conjunctæ, oportet quod ista manifestatio fiat secundum aliquem contactum præsentialem quo Deus tangit interius. Et sicut contactus animæ, quo experimentaliter sentitur, etiamsi in sua substantia non videatur, est informatio et animatio, qua corpus redditur vivum et animatum: ita contactus Dei, quo sentitur experimentaliter et ut objectum conjunctum, etiam antequam videatur intuitive in se, est contactus operationis intimæ; quia operatur intra cor, ita ut sentiatur et experimentaliter manifestetur, eo quod unctio ipsa docet nos de omnibus, ut dicitur I. Joan. IV. Et sic in illo affectu et cognitione sentit Deum ut sibi intime conjunctum et experimentaliter notum: quæ experientia sola cognitione non habetur, sed etiam affectu et gustu; quia est per fruitionem, licet imperfectam, qualis haberi potest in hac

vita. Hoc enim donum nemo scit nisi qui accipit, ut dicitur Apoc. II.

86. D. Thomas explicans intimius quomodo fit ista unio ad Personas missas in animam, dicit in I, dist. 14, q. 2, a. 2, ad 2, quod non sufficit nova relatio qualiscumque creaturæ ad Deum, sed oportet quod referatur ad ipsum sicut ad habitum: quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab ipso. Persona autem divina non potest haberi a nobis, nisi vel ad fructum perfectum, et sic habetur per donum gloriæ; aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum gratiæ gratum facientis: vel potius sicut id per quod fruibili conjungimur, in quantum ipsæ personæ divinæ quadam sui sigillatione relinquunt in nobis dona quædam, quibus formaliter fruimur; scilicet amore et sapientia: propter quod Spiritus sanctus dicitur esse pignus hæreditatis nostræ. Quibus verbis manifeste explicat D. Thomas quomodo personæ divinæ dicantur habitæ et possessæ ab anima, sicut aliquid fruibile ab ipsa, quatenus sua sigillatione relinquunt in nobis quædam dona. Hæc autem sigillatio personarum operatio est, qua personæ manifestantur nobis experimentali quadam cognitione et tactu sui, qua cognoscimus animam nostram vivere vita superiori sibi conjuncta, et altiori modo agi, tam in intellectu quam in affectu, seu gustu; unde et Apostolus dicebat: An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Et iterum: Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus; et iterum, Rom. VIII: Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quod totum pertinet ad sigillationem quamdam seu experimentalem tactum, quo personæ ipsæ per aliquam operationem intimam ita tangunt cor, quod se manifestant ut præsentes tamquam illius vivificationis principium. Operatio autem pertinet ad contactum Dei ut agentis, quod pertinet ad immensitatem; sed contactus quo se faciunt sentire personæ divinæ ut præsentes, addit supra præsentiam agendi, quæ est præsentia Dei ut est opus, præsentiam manifestandi personas: non manifestatione quomodocumque, sed experimentali et intima, licet nondum intuitiva, sicut anima sentitur modo a nobis. Et hoc est esse Deum ut cognitum et amatum, scilicet cognitione et amore experimentali, et contactum intimum operantem in nobis.

87. Ad amorem et cognitionem finis, cognitione quasi spe-

culativa et pure intrinsece se habente ad rem cognitam et amatam, parum conducit ejus realis præsentia intra cognoscentem et amantem, sed sufficit intentionalis præsentia: sed ad cognoscendum et amandum cognitione et affectu quodam experimentali et quasi spiritum intus vivificante, non sufficit intentionalis præsentia cum reali distantia, sed requiritur connaturalitas quædam et unio interior, ex cujus gustu et tactu nascitur illa experimentalis cognitio spiritus divini vivificantis cor, sicut ex unione informativa animæ nascitur experimentalis cognitio ipsius animæ, ut objecti, quod est forma interne vivificans et informans. Quod autem hoc fiet cognoscendo Deum per alienas species, ut hic in via, vel per intuitivam et propriam, ut in patria, non interest, quia non loquimur solum de manifestatione personarum, ut intuitiva, vel non intuitiva, sed ut experimentali, sicut dicit D. Thomas in I, dist. 14, q. 2, art. 2 ad 3. Et hæc datur etiam si res intuitive non videatur in se.

2. (Pag. 64) Quæst. 2, Disp. 1, post art. 2.

Quid sit purgatio activa, quid peccatum, quibus nominibus nominetur et a quo sumat gravitatem.

88. Purgatio activa, ut colligitur ex D. Thoma multis in locis, præcipue ex IV, dist. 47, a. 1 et 2, definitur: Mundatio a sordibus, et reductio ab immundis ad puritatem. Sicut enim medicus purgat corpus, ut sanitas introducatur; ancilla purgat domum, ut munda reperiatur; aliqui fabri metalla, ut tinctura recipiatur: sic vere homo debet purgare cor suum ut possit sanitatem gratiæ recipere; et ut possit mundus coram Domino comparere, et ut possit tincturam bonæ conversationis recipere et habere. Ideo dicitur Jac. I: Emundate manus, peccatores; purificate corda, duplices animo.

89. Christus purgavit peccata. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Hebr. I: Purgationem peccatorum faciens, dicit: Christus purgavit peccata, ratione divinæ naturæ, et ratione proprietatis Filii. Ratione divinæ naturæ, quia culpa, seu pec-

catum proprie est malum rationalis naturæ; hoc autem malum, sive peccatum, non potest reparari nisi per Deum, nam peccatum in voluntate consistit, voluntatem autem solus Deus potest movere. Jerem. LII: Pravum est cor hominis et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus, etc. Et hujusmodi ratio est, quia quod est immediatius fini, non reducitur ad ipsum finem, nisi a prima causa agente. Voluntas autem est ultimi finis, quia scilicet ad fruendum Deo: et ideo a Deo tantum movetur et reducitur. Cum ergo Christus sit verus Deus, manifestum est quod purgationem peccatorum facere potest. Isa. XLII: Ego sum qui deleo iniquitates vestras propter me; Matth. IX: Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?

90. Ratione vero proprietatis competit etiam Christo. Ad cujus evidentiam sciendum est quod in peccato primo quidem est transgressio legis æternæ et juris divini, cum omne peccatum sit iniquitas, quæ est transgressio legis. Isa. XXIV: Mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Cum ergo lex æterna et jus divinum sit a Verbo æterno, manifestum est quod ad Christum competit purgatio peccatorum in quantum est verbum. Psal. CVI: Misit verbum suum, et sanavit eos. Secundo est in peccato amissio luminis rationis, et per consequens sapientiæ Dei in homine, cum hujusmodi lumen sit participatio quædam divinæ sapientiæ. Baruch IV: Et quia non habuerunt sapientiam, ideo perierunt; Prov. XIV: Errant omnes qui operantur malum; et, secundum Philosophum, omnis malus est ignorans. Rectificatio autem ad divinam sapientiam competit ei qui est divina sapientia. Hic autem est Christus; I. Cor. I: Prædicamus Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam.

91. D. Thomas, Dominica 21, ex Evangelio, dicit quod peccatores debent purgari, quia laborant septem febribus. — Prima est continua, quæ est luxuria. Osee IV: Fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Deum dereliquerunt in non custodiendo. — Secunda, quotidiana, quæ est gula, in qua quotidie peccatur; Isa. LVI: Comedamus et bibamus, et erit sicut in die, sic et cras multo amplius. — Tertia laborat tertiana, quæ significat iracundiam ex accessione caloris; Eccli. XXVIII: Secundum enim ligna sylvæ, sic exardescit ignis, secundum virtutem suam

exaltabit iram suam. — Quarta, febris quartana, quæ significat accidiam, quæ provenit ex melancholia; Prov. XXV: Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi; Deut. XXVIII: Percutiet te Dominus egestate, febri et frigore, ardore, æstu et aere corrupto rubigine. — Quinta, etica, quæ est avaritia, quæ difficile vel nunquam curatur; Hieronymus: Cum cætera vitia senescant in homine, sola avaritia juvenescit. — Sexta, ephimera, quæ est superbia, quia cito deficit; Ps. LXXII: Dejecisti dum allevarentur; Job XXIV: Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. — Septima, putrida, quæ est invidia; Prov. XIV: Vita carnis, sanitas cordis, putredo ossium invidia. Hæc ille.

92. D. Thomas, 1 p., q. 63, art. 1, et 1 2, q. 21, art. 1 et 2, definit peccatum: Actus devians ab ordinatione debiti finis, contra regulam naturæ, rationis vel legis æternæ. Et q. 71, a. 6, adducit definitionem D. Augustini: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Et qu. 109, art. 4, et in aliis locis, adducit definitionem D. Ambrosii: Peccatum est prævaricatio legis æternæ, et cœlestium inobedientia præceptorum. — Peccatum, ex eodem D. Thoma, sumitur tripliciter, scilicet pro actu, macula et reatu. Macula est defectus nitoris animæ, scilicet luminis divini, et rationis, et gratiæ. Reatus est obligatio ad pœnam propter peccatum. Cessante macula peccati, remanet reatus, non quidem ut reatus pœnæ simpliciter, sed ut pœnæ satisfactoriæ. — Peccatum duplex, scilicet transgressionis et omissionis. Omissio est prætermissio boni debiti. Et tunc aliquis peccat peccato omissionis, quando potest, tenetur, et non facit. — Peccatum triplex: cordis, oris et operis. — Tria inducunt ad peccatum, scilicet inane gaudium, induratio ad spiritualia, et abundantia temporalium. Ita sanctus Thomas in Psal. L, super illa verba: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, etc. — Ad peccatum impellunt octo, scil. debilitas virium per tepiditatem et instabilitatem bene operandi, onus peccatorum per negligentiam pœnitendi, multitudo hostium, lubricitas viarum per incuriam, varietas offendiculorum, ignorantia, exempla malorum, et pondus corporum per delicias.

93. Peccatum vocatur mors animæ, in quantum est privatio gratiæ per quam anima Deo uniebatur. Ita D. Thomas, q. 2,

De malo, art. 9 ad 2. Privatio autem gratiæ non est essentialiter ipsa culpa, sed effectus culpæ et pœnæ. Unde peccatum dicitur mors animæ, non essentialiter, sed effective. — Peccatum vocatur induratio. D. Thomas explicans illud ad Hebr. III: Nolite obdurare corda vestra, dicit sic: Cor durum sonat in malum. Durum est quod non cedit, sed resistit impellenti, non recipit impressionem. Et sic dicitur cor hominis durum, quando non cedit divinæ jussioni, nec de facili recipit divinas impressiones. Eccli. III: Cor durum male habebit in novissimo; ad Rom. II: Secundum duritiam tuam, et cor tuum impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Hæc autem induratio ex duobus causatur. Ex uno quasi negative, scilicet ex Deo non apponente gratiam; Rom. IX: Cujus vult Deus miseretur, et quem vult indurat. Ex alio positive, et hoc modo indurat peccator se ipsum, non obediendo Deo, et non aperiendo cor suum gratiæ; Zach. VII: Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba quæ misit Dominus exercituum spiritu suo per manum prophetarum priorum. Nolite ergo obdurare corda vestra, idest, nolite corda claudere Spiritui sancto; Actor. VII: Vos semper Spiritui sancto restitistis.

94. Peccatum vocatur funiculus, vanitas, vinculum, plaustrum. Ita D. Thomas in expositione Isaiæ, super c. 5. — Vocatur funiculus, et hoc quia trahit. Primo, ad peccati exemplum; Prov. VII: Statim eum sequitur, quasi bos ductus ad victimam; et ignorat quod ad vincula stultus trahitur. Secundo, ad peccati usum; Jerem. II: Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum, scilicet amoris. Tertio, ad æternæ mortis interitum; Prov. XXIV: Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. — Peccatum dicitur vanitas, et hoc quia deficit. Primo, ab imitatione divinæ veritatis; Sap. XIII: Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. Secundo, a consecutione sperati finis; Eccle. II: Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo. Sed hoc vanitas, et cassa sollicitudo mentis. Tertio, a longa duratione temporis; Eccli. XVII: Non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. — Peccatum dicitur vinculum, et hoc quia nectit. Primo intellectum, ne videat; Sap. XVII: Cum enim persuasum habeant iniqui

posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt. Secundo, manum, ne bona faciant. Tertio, pedes, ne proficiant. De his duobus Matth. XXII: Ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores. — Peccatum dicitur plaustrum, et hoc quia opprimit. Primo, servitutis onere; Jerem. XVII: Et servitis ibi diis alienis, die ac nocte; qui non dabunt vobis requiem. Secundo, cordis timore; Sap. XVII: Cum sit enim timida nequitia, data est in omnium condemnationem. Tertio, conscientiæ inquietudine; Isa. LVII: Impium autem cor, quasi mare fervens, quod quiescere non potest.

95. Peccatum dicitur potio amara. D. Thomas, explicans illud Isa. XXIV: Amara potio, dicit: Potio peccati amara est. Primo propter conscientiæ remorsum; Prov. V: Novissima illius amara sunt. Secundo, propter mortis metum; Eccli. XLII: O mors, quam amara est memoria tua! Tertio, propter divinæ dilectionis defectum; Jerem. II: Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Quarto, propter pœnitentiæ planctum; Isa. XXXVIII: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. — Peccatum vocatur venditio. Explicans D. Thomas illud Isaiæ L: Iniquitatibus venditi estis, dicit sic: Homo pro peccato vendit multa. Primo, animi virtutem; Thren. I: Dederunt pretiosa quæque pro vili. Secundo, cœlestem hæreditatem; III. Reg. XXI: Propitius sit mihi Dominus, ne vendam hæreditatem patrum meorum. Tertio, animæ libertatem; Eccli. X: Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Quarto, divini amoris honorem; Osee III: Diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum. — Peccatum vocatur onus. D. Thomas explicans illud Isaiæ XLVI: Onera vestra pondere gravi, dicit: Peccatum quemadmodum onus fatigat. Primo, propter sollicitudinem in excogitando; Prov. IV: Non enim dormiunt, nisi male fecerint. Secundo, propter laborem in exequendo; Sap. V: Lassati sumus in via iniquitatis. Tertio, propter confusionem in recogitando; Rom. V: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Quarto, propter frustrationem in expectando; Prov. II: Expectatio sollicitorum peribit.

96. Peccata sumunt gravitatem ab objectis. Ita D. Thomas, 1 2, q. 73, a. 3: Peccata differunt eo modo quo una ægritudo est altera gravior. Tanto est gravior ægritudo, quanto tollitur debita humorum commensuratio, per incommensurationem prioris principii: sicut ægritudo quæ provenit in corpore humano ex corde (quod est principium vitæ), vel ex aliquo, quod appropinquat cordi, periculosior est. Unde oportet quod peccatum sit tanto gravius, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium quod est prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine: et ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est gravius. Objecta autem actuum sunt fines eorum; et ideo secundum diversitatem objectorum attenditur diversitas gravitatis in peccatis. Sicut patet quod res exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem, homo autem ordinatur ulterius ad Deum sicut ad finem. Unde peccatum quod est circa substantiam hominis, sicut homicidium, est gravius peccato quod est circa res exteriores, sicut furtum; et adhuc est gravius peccatum quod immediate contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia et hujusmodi; quia peccata habent differentiam ex objectis, et differentia quæ attenditur penes objectum, est prima et principalis. Hæc ille.

97. Gravitas peccati, ex D. Thoma, 2 2, q. 20, art. 3, desumitur ex contemptu Dei in se ipso. Hoc probat, quia peccata quæ opponuntur virtutibus theologicis sunt graviora, quia habent Deum pro objecto; virtutibus theologicis opponuntur infidelitas, desperatio et odium Dei: inter quæ odium Dei et infidelitas, si desperationi comparentur, sunt graviora. Infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit. Odium vero Dei provenit ex hoc quod voluntas hominis ipsi divinæ bonitati contrariatur. Desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, secundum quod ejus bonum participatur a nobis, et ideo sunt graviora. Hæc ille.

98. Gravitas peccati, ex D. Thoma, 2 2, qu. 162, art. 6, sumitur ex aversione a Deo. In peccato duo attenduntur, scilicet conversio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato; et aversio a bono incommutabili, quæ est formalis

et completiva ratio peccati. Ex parte autem conversionis non habet superbia quod sit maximum peccatorum: quia celsitudo, quam superbus inordinate appetit, secundum suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis. Sed ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem, quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni: sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo et ejus regulæ subjici. Unde Boetius dicit quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. Propter quod etiam specialiter dicitur Jac. IV, quod Deus superbis resistit. Et ideo averti a Deo et ejus præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus. Et quia id quod est per se, semper potius est eo quod est per aliud, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum, secundum suum genus: quia excedit in aversione, quæ formaliter complet peccatum. Hæc ille.

99. Graviora sunt peccata quæ consistunt in actuali contemptu Dei. Ita D. Thomas in IV, dist. 9, qu. 7, art. 3, qu. 3: Sicut meritum præcipue consistit penes charitatem, ita demeritum præcipue consistit penes contemptum Dei: unde secundum quod aliquis Deum peccatis magis contemnit, secundum hoc majorem reatum incurrit: et ideo illa peccata quæ in actuali contemptu consistunt, sunt graviora illis in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti. Peccatum blasphemiæ in contemptu principaliter consistit; et similiter peccatum accedentis indigne ad Corpus Christi, irreverentia quædam et contemptus essentialiter est. Et peccatum indigne Corpus Christi manducantium comparatur peccato Corpus Christi occidentium, inquantum utrumque peccatum in ipsum Christum committitur: sed tamen peccatum Christum occidentium majus est, quia illud peccatum fuit commissum in ipsam Christi personam, hoc autem peccatum committitur in ipsum secundum quod est sub Sacramento, secundum quod longius a debito usu Sacramenti recedit, quo ab homine justo sumendum est. Hæc ille. — Gravitas peccati ex parte Dei infinita est. Ita D. Thomas, III, dist. 1, q. 1, art. 3 ad 5. Quantitas peccati ex duobus potest pensari, scilicet ex parte Dei in quem peccatur: et sic infini-

tatem quamdam habet, prout est offensa Dei, quia quanto major est qui offenditur, tanto culpa est gravior; vel ex parte boni quod corrumpitur per peccatum: et sic quantitas culpæ finita est, inquantum corruptio naturæ. — Circumstantiæ etiam aggravant peccatum. Ita D. Thomas, 1 2, qu. 73. — Et gravitas peccatorum in proximum est per se ex majori nocumento. Ita D. Thomas, 2 2, q. 34, art. 3, in corp.

Peccata purgantur sacramento Pœnitentiæ.

100. Sacramentum pœnitentiæ habet tres partes: Confessionem, contritionem et satisfactionem. Explicans D. Thomas Psalm. XXXVII, in illis verbis: Et dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo, dicit sic: In his verbis reperiuntur partes Sacramenti pœnitentiæ. " Et dolor meus „ refertur ad contritionem; " iniquitatem meam annuntiabo, „ ad confessionem; " Et cogitabo pro peccato meo, „ idest satisfactionem pro peccato. Sacramentum novæ legis suave; Matth. XI: Jugum meum suave est et onus meum leve. Cujus præcepta graviora non sunt; et confessio non fit angelo, sed homini; et qui dicit hominem, abyssum dicit infirmitatis, qui in similia vel pejora peccata cadit, aut, Deo tantillum se absentante, potuit cadere, et majoribus miseriis fœdari. Et homo iste, cui peccata pandimus, locum Dei tenet, cujus potestatem agit et personam refert; atque adeo divinitus viscera benignitatis induit, et sine ullo contemptu, imo cum magna miseratione casus peccatoris confitentis excipit; et cum tam inviolabili secreti sigillo ut debeat omnes mundi cruciatus pati, et ipsam mortem optare quam vel minimum peccatum confessione acceptum aperire.

101. Si morbo gravi laborat infirmus, medicum peritissimum et expertissimum, si potest, accersit, cujus ope salutem amissam recuperet; ita gravissimo vulnere peccati saucius doctum et expertum et sanctum confessarium adeat, zelum Dei et salutis animarum habentem, cujus potestate et consilio animæ vulneribus medeatur. Dicit D. Thomas loquendo de confessario, Opusc. LXIV: Sit ille charitativus et humilis, discretus et intelligens, sic quod possis ad ipsum confidenter recurrere, et

sciat tibi remedium adhibere. Aliter autem si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Audivi a quodam confessore experto, quod nullum vidit conversum et tactum divinitus, qui viros doctos et spirituales fugeret, et idiotis et zelo religionis carentibus et amatoribus libertatis peccata manifestaret. Illum confessarium debent eligere qui ad Dominum in veritate volunt converti, qui illos non palpet, sed curet; non decipiat, sed doceat; non in occasione manenti pacem de ore Dei adhuc irati promittat. Quamvis expressa institutio hujus sacramenti non legatur, tamen quædam præfiguratio ipsius invenitur in hoc quod Joanni confitebantur peccata qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præparabantur; et in hoc etiam quod Dominus sacerdotibus leprosos transmisit, qui quamvis non essent novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis sacerdotium significabatur. Ita D. Thomas in IV, dist. 17, q. 3, art. 1, qu. 5 ad 3. Et in eadem dist. et qu., art. 3 ad 1, dicit quod confessio præfigurabatur in Lazari mortui vivificatione. Et Dominus suis discipulis præcepit ut Lazarum solverent, ut patet Joan. XI. Et sic sacerdotibus est facienda confessio. Materia remota hujus sacramenti sunt peccata; non materia ex qua, cum ex eis non componatur hoc sacramentum; nec materia in qua introducatur forma: sed materia circa quam destruendam versatur pœnitentia; sicut misericordia circa (*miseriam*) repellendam, et ignis circa lignum comburendum. — Peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ, venialia sufficiens.

De Confessione.

102. Materia proxima est confessio. Audiamus D. Thomam in expositione Psal. XXXI. Dicit Propheta: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; dicit Sanctus: Sed quia duo debet homo confiteri, scilicet bona omissa et mala commissa, quantum ad primum dicit Propheta: " Delictum meum, „ scilicet quod dimisi facere quod debui, " cognitum tibi feci; „ non quod Deus non cognoscat, sed quando homo cognoscit peccatum suum, tunc vult etiam quod Deus cognoscat ut ignoscat. Justitiam meam non abscondi; Job XXXI: Si abscondi quasi homo peccatum meum; Prov. XXIV: Quis abscondit sce-

lera sua? Efficacia confessionis ostenditur cum dicit: " Dixi: Confitebor, „ idest, proposui in corde meo. " Confitebor Domino, „ idest ad honorem Domini; Jos. VII: Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere. " Injustitiam meam, „ non bona mea; " adversum me, „ non pro me. Aliquis confitetur peccatum suum, sed contra proximum, dicens: Alius induxit me contra naturam, ex fragilitate sic accidit. Contra eum non potui resistere; II. Reg. ult.: Ego sum qui peccavi. Ego sum qui inique egi. Hæc ille.

103. Confessio debet habere multas conditiones, quæ referuntur a D. Thoma in IV, dist. 17, qu. 3, art. 4, qu. 4, et sunt quæ continentur in his versiculis:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis accelerata,
Fortis et accusans.....

Dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius. — Eæ quæ sunt de necessitate confessionis, vel competunt ei, secundum quod est actus virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis; vel secundum quod est pars sacramenti. Secundum rationem virtutis in genere sunt quatuor conditiones. Prima ut aliquis sit sciens, et quantum ad hoc confessio dicitur " discreta. „ Est autem hæc discretio ut majora cum majori pondere confiteantur. Secunda conditio est ut sit eligens, quia actus virtutum debent esse voluntarii, et quantum ad hoc dicitur " libens. „ Tertia conditio est ut propter hoc secundum debitum finem operetur, et quantum ad hoc dicitur quod debet esse pœnitentia " pura, „ ut scilicet recta sit intentio. Quarta est ut immobiliter operetur; et quantum ad hoc dicit quod debet esse " fortis, „ ut scilicet propter verecundiam non dimittat. Est autem confessio actus pœnitentiæ virtutis. Quæ quidem primo initium sumit in horrore turpitudinis peccati, et quantum ad hoc confessio debet esse " verecunda, „ ut scilicet non se jactet de peccatis propter aliquam sæculi vanitatem admixtam. Secundo, progreditur ad dolorem de peccato commisso, et quantum ad hoc debet esse " lacrymabilis. „ Tertio, in abjectione sui terminatur, et quantum ad hoc debet esse " humilis, „ ut se mise-

rum confiteatur et infirmum. — Sed ex propria ratione hujus actus, qui est confessio, habet quod sit manifestativa, quæ quidem manifestatio per quatuor impediri potest. Primo, per falsitatem, et quantum ad hoc dicitur " fidelis et vera. „ Divus Thomas in Opusc.: Certa ut certa, et dubia ut dubia; appetivi sic, et sic habui voluntatem deliberatam faciendi tale peccatum. Et non dimisi nisi quia non potui, vel quia nescivi, vel quia timui verecundiam aut pœnam temporalem. Secundo, per obscuritatem, et contra hoc dicitur " nuda, „ ut non involvatur obscuritate verborum. Tertio, per multiplicationem verborum, et contra hoc dicitur quod sit " simplex, „ ut non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. Quarto, ut non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt, et quantum ad hoc dicitur " integra. „ — Secundum autem quod confessio est pars sacramenti, sic concernit judicium sacerdotis, qui est minister sacramenti. Circuire debet homo triplicem civitatem. Primo, propriæ conscientiæ, recogitando peccata; Eccli. XII: Circuibunt in plateis plangentes antequam rumpatur funiculus argenteus. Secundo, militantis Ecclesiæ, imitando justorum exempla; Psal. XLVII: Circumdate Sion, et complectimini eam. Tertio, cœlestis patriæ, cogitando Sanctorum præmia; Cant. III: Surgam, et circuibo civitatem. D. Thomas super Isaiam XXIII.

104. Redeamus ad expositionem Psalmi secundum D. Thomam. " Beati quorum remissæ sunt iniquitates. „ In peccato est offensa Dei, macula, reatus pœnæ. Contra hæc tria ordinat tria, quia Deus remittit offensam, maculam tegit, reatum pœnæ tollit, non imputando peccatum. — Quantum ad primum dicit: " Beati quorum remissæ sunt. „ Sed quia beatitudo est duplex, scilicet una rei et spei, isti tales, quorum remissæ sunt iniquitates, sunt beati in spe, qui tandem erunt beati in re. Beatus enim ille est spe in quo præcedit causa beatitudinis, et via quæ est virtus, et præcipue perfecta; unde in quo virtus perfecta apparet, potest dici beatus in spe: sicut arbor bene florens, potest dici fructificans. Post corruptionem primi hominis isti flores non erant, sed spinæ peccatorum. Et ideo beatitudo peccatoris, quæ est in spe, non est hujusmodi, sed quod Deus remittat peccatum, et sic fructificat; Jerem. IV: Novate vobis novale, etc. " Remissæ; „ Isa. XL: Dimissa est iniquitas illius;

Luc. VI: Dimittite, et dimittetur vobis. — Quantum ad secundum dicit: " Et quorum tecta sunt peccata. „ Peccata sunt maculæ animæ; Jerem. II: Quam vilis factus es. Quando quis habet in se turpe, et illud tegitur, tunc oculos intuentis turpitudo non offendit. Deus autem tegit turpitudinem peccatorum. Sed quomodo? Totaliter, scilicet abluendo animam. In peccato duplex est deformitas: una scilicet ex privatione gratiæ qua privatur peccator: et hæc totaliter tollitur et non tegitur, quia datur ei gratia; alia macula est ex actu peccati præterito, et hæc non deletur, quia non datur ei quod non fecerit, sed quod non imputatur ei ad culpam: et hæc tegitur. — Quantum ad tertium dicit: " Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. „ De reatu pœnæ intelligitur, quia pœna non ei reservatur pro peccato; Dan. III: Omnia induxisti super nos. Secundum Glossam, triplex peccatum hic insinuatur. Peccatum originale, actuale mortale, et actuale veniale. Primum significatur per iniquitatem, quæ est quædam inæqualitas: et hoc est in originali in quantum in ea vires animæ recedunt ab æqualitate innocentiæ: et hoc dimittitur et diminuitur, quia aufertur reatu et remanet actu. Dicit autem pluraliter " iniquitates, „ quia in diversis diversa originalia, et in uno unum. Secundum significatur per peccatum actuale mortale. Actualia enim peccata mortalia dicuntur tegi, quando non imputantur peccatori jam ad culpam. Tertium significatur per peccatum veniale, quod non imputat Dominus: peccatum autem veniale non imputatur ad pœnam æternam. Sed ex parte hominis requiritur quod non ficte confiteatur, alias non consequetur gratiam; Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et ideo non est in spiritu ejus dolus. Hæc ille.

105. Ps. XXXI: " Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die. „ Contradictio videtur hic. Cum enim clamaret tota die, dicit se tacere. Tacebat ab eo quod dicendum erat, sed clamabat quod dicendum non erat. In utroque est peccatum. De primo Isa. VI: Væ mihi, quia tacui! Debet enim peccator dicere peccata sua; Job XVII: Si tacuero, non recedet a me, nunc autem, etc. Ergo, quoniam tacui peccata, inveteraverunt ossa mea, idest inferior fortitudo defecit; Baruch III: Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti. De secundo Isa. V: Expectavi ut faceret judicium, et ecce iniqui-

tas; justitiam, et ecce clamor. Et hoc est quod dicit: " Dum clamarem tota die. „ Clamabat enim se justum, clamabat de pœna, et tacebat de culpa. Hæc ille.

106. " Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. „ Pro remissione peccatorum orabit; Eccli. XXXVIII: Ora Dominum, et ipse curabit te; Matth. VI: Dimitte nobis debita nostra. " Omnis sanctus in tempore opportuno, „ scilicet gratiæ et præsentis vitæ, quia novissime clausa est janua; II. ad Cor. VI: Ecce nunc tempus acceptabile; Joan. IX: Venit nox, quando nemo potest operari. " Verumtamen in diluvio aquarum multarum. „ Aqua potest accipi tripliciter: uno modo voluptatis, Gen. penult: Effusus es sicut aqua; alio modo falsæ doctrinæ; Prov. IX: Aquæ furtivæ dulciores sunt; tertio, tribulationis; Psal. LXVI: Intraverunt aquæ usque ad animam meam. " Ad eum non approximabunt. „ Qui sunt in diluvio aquarum multarum non appropinquabunt ad Deum. Hæc ille.

De Contritione.

107. D. Thomas in IV, dist. 17, q. 2, art. 1, q. 1, quatuor adducit definitiones contritionis. Prima est: Dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi. Secunda D. Isidori: Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lachrymis ex recordatione peccati et timore judicii. Alia est Augustini: Contritio est dolor remittens peccatum. Alia divi Gregorii: Contritio est humilitas spiritus annihilans peccatum inter spem et timorem. — In contritione, ex D. Thoma, 3 p., q. 34, art. 8 et 9, et q. 85, art. 1; et in IV, dist. 27, q. 2, art. 3, q. 1, est duplex dolor. Unus in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quæ nihil aliud est quam displicentia præteriti peccati; et talis dolor in contritione excedit alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet. Finis autem super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur, et ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore vel ex necesitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum, vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in se

ipso habet dolorem, excitatur ut de præterito doleat: et neutro modo oportet quod sit maximus dolorum, quia vires inferiores vehementius moventur ab objectis propriis quam ex redundantia superiorum virium; et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum: et ideo major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsa redundat ex ratione: et similiter major qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato, non est major aliis doloribus, qui in ipsa sunt; et similiter nec dolor qui est voluntarie assumptus, tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut passio tanta sequatur in inferiori appetitu qualem ordinat superior; tum etiam quia passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam, quam quandoque dolor qui est sine virtute non servat, sed excedit. Primus dolor non debet moderari, sed debet esse maximus. Contritus debet magis velle omnem pœnam, etiam pœnam inferni, quam peccare. Omnis dolor in habente gratiam est contritio. Contritio quoad ejus formam, scilicet gratiam, est tantum a Deo: sed quoad substantiam actus est a Deo et a libero arbitrio.

108. Audiamus D. Thomam pro practica contritionis in expositione Psal. VI: Domine, ne in furore tuo arguas me. Argutio quandoque fit ad emendationem, et hoc est in misericordia; Psal. CXL: Corripiat me justus, etc. Quandoque ad condemnationem, et hoc est iræ; dicit: " Domine, arguas me, „ sed non in furore, quia hoc est vindictæ: sed ad emendandum. Et hoc insinuat cum dicit: " Neque in ira tua, etc. „ Corripe me per flagella temporalia. Augustinus: Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. — " Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. „ Peccatum est spiritualis infirmitas. Infirmus sum natura et vitio, dicit Glossa, adeo quod justitiam tuam sustinere nequeo; minor ad intellectum judicii et legum, amisi meam fortitudinem, perdidi meam discretionem. — " Sana me, Domine, „ quia si homo est liber a peccato, aptus est ad retinendam gratiam et virtutes, quæ sunt fortitudo hominis; et ideo " sana me, Domine, „ et hoc oro quia " ossa mea, „ idest forti-

tudo mea, animæ scilicet meæ virtus et fortitudo est turbata. — Turbatur discretio in quantum peccatori videtur recte agere, cum peccat; et ideo dicit: " Et anima mea turbata est valde, „ quia perversum habet judicium de agendis, ut scil. quod bonum est judicet esse malum, et e converso. — " Sed tu, Domine, usquequo? Convertere, et eripe animam meam. „ Infirmus sum, non possum per me resurgere, sed tu, Domine, qui potes, usquequo non exaudies? Psal. XII: Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? In hoc videbatur periculosum sibi, quod non convertebatur; Eccli. V: Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. " Convertere, Domine. „ Thren. IV: Convertere nos, Domine, et convertemur ad te. Si aliquis impeditus traheretur ad supplicium, et videret aliquem de quo confideret, rogaret attente ac diceret, eripe me: hoc modo orat dicens: " Eripe animam meam, „ quasi dicat: Eripe me tractum ad peccatum, ductum ad mortem; Prov. XXIV: Erue eos qui ducuntur ad mortem. — " Laboravi in gemitu meo, „ scilicet suspirando; Thren. I: Multi gemitus mei, et cor meum mœrens; Ps. XXXVII: Rugiebam a gemitu cordis mei. — Dicit autem: " Laboravi, „ quia labor est pugnare contra se; et tamen labor iste bonum fructum habet; Sap. III: Bonorum laborum gloriosus est fructus. — " Lavabo per singulas noctes lectum meum, stratum meum rigabo. „ Ubi duo ponit: lectum, stratum; et hæc duo licet pro eodem accipiantur, tamen proprietatem sequimur: stratum dicuntur panni qui sternuntur in lecto, lectus illud quod subtus ponitur; et dicitur lectus ab eligendo, scilicet stramina et similia, unde fit lectus. Per hoc ergo quod dicit " lavabo per singulas noctes lectum meum, „ dat intelligere quod qualibet nocte surgebat, et appodiatus juxta lectum plorabat. Littera Hieronymi est: Natare faciam lectum meum; et est parabolica locutio. Vel " natare faciam, „ id est ad modum natantis faciam habere ex inquietudine mea in eo. Dicit autem " lacrymis stratum meum rigabo, „ quia etiam in lecto jacens, plorando perfundebat pannos lecti quasi irriguum lacrymarum. Moraliter lectus in quo homo quiescit est conscientia: hanc lavat homo per lacrymas in pœnitentia; Jerem. IV: Lava a malitia cor tuum. Per stratum significantur peccata quæ supersternuntur conscientiæ, quæ quidem abluenda

sunt lacrymis. Nam lacrymæ lavant delictum, quod pudor est confiteri. Facies avertitur non mutatione Dei, sed nostri, facto velamine in corde. Hæc ille.

109. D. Thomas explicans illud Psal. XXVI: Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo, dicit sic: Rogo " ne avertas faciem tuam a me; „ quasi dicat: Sicut avertit homo ab homine, quando non vult eum audire. Sed aliter est in Deo et in homine. Homo enim avertens faciem, mutatur: ipse autem Deus immobilis est, sed dicitur avertere faciem, in quantum nos avertimur et immutamur, et per hoc quod in corde nostro sit aliquod velamen quo inepti reddimur ad videndum faciem suam. Et ideo littera Hieronymi habet: " Ne abscondas. „ Isa. VIII: Expectabo Dominum, quia abscondit faciem suam a domo Jacob. Causa vero aversionis est ira Dei in pœnam peccati. Et hæc aversio est maxima pœnarum, et hoc est quod dicit: " Et ne declines in ira a servo tuo, „ idest ne irascaris mihi in hoc quod declines faciem tuam a me. Et dixit " in ira, „ quia aliquando declinat in misericordia, cum scilicet non respicit peccata; Psal. LIII: Averte faciem tuam a peccatis meis. Aliquando declinat in providentia, quando scilicet permittit aliquem cadere, ut fortius resurgat, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. VIII. Hæc ille.

De satisfactione.

110. Satisfactio definitur a D. Thoma in IV, dist. 15, q. 1, art. 1, quæst. 3: Est injuriæ illatæ recompensatio secundum justitiæ æqualitatem. Et eadem est definitio Anselmi: Satisfacere est Deo debitum honorem impendere, ut consideretur debitum ratione culpæ commissæ. Satisfactio est actus virtutis materialiter et formaliter: elicitive quidem justitiæ vindicativæ, imperative vero est actus charitatis. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, quæst. 1, art. 1, quæst. 1 et 2. Confessor laudabiliter imponit pœnitenti: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum, quia dupliciter valet talis injunctio, scilicet ex natura operis et ex vi clavium. Ideo est satisfactio sacramentalis. Satisfactio gravis non debet imponi, ne spiritus frangatur; sed notificari debet pœnitenti, ut bene agendo assuefiat ad majora. Ita D. Thomas

in IV, dist. 18, q. 1, art. 3, quæst. 4: Unus homo potest satisfacere pro alio, in quantum sunt unum in charitate. D. Thomas, 3 p., qu. 14, art. 1, et Opusc. LVIII, explicat illud Cant. V: Aperi mihi, soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Dicit Sanctus: " Aperi mihi, „ id est, suscipe me in mentem tuam, in memoriam et dilectionem tuam, " quia caput meum, „ scilicet divinitas, " plenum est rore, „ idest misericordia ad dimittendum peccata; " et cincinni mei, „ id est humanitas, " guttis noctium, „ id est effusione sudoris lacrymarum et sanguinis passionum, ad redimendam hæreditatem tuam, pro satisfactione peccatorum impignoratam.

111. Purgantur etiam peccata per virtutem pœnitentiæ. De pœnitentiæ virtute disputat D. Thomas, 3 p., per multas qq. In q. 85, art. 1, definit quod est virtus, et est specialis virtus. In 2 art., quod est species justitiæ. In 3, quod subjectatur in voluntate; idem dicit in 4. In quæst. 86 definit quod per pœnitentiam, in quantum est virtus, omnia peccata delentur. Et probat ex illo Ezech. XVIII: Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor amplius. Et in art. 2 probat quod est impossibile deleri peccata sine virtute pœnitentiæ. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatori remittit quo remittit offensam in se commissam: offensa autem directe opponitur gratiæ; ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum a gratia sua; offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile; unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis immutetur et convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum quod est virtus.

Peccata purgantur mediante virtute pœnitentiæ.

112. Quamplurimas definitiones pœnitentiæ adducit D. Thomas in IV, dist. 14, art. 1. Ambrosius definit pœnitentiam: Mala præterita plangere, et plangendo iterum non committere. Di-

vus Gregorius: Pœnitere est anteacta peccata deflere, et flenda non committere; Augustinus: Pœnitentia est quædam vindicatio dolentis; Damascenus: Pœnitentia est remotio ab eo quod est contra naturam, in id quod est secundum naturam. Item: Pœnitentia est virtus qua commissa mala cum emendationis proposito plangemus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus. Omnes istæ definitiones non sunt intelligendæ de dolore sensibili, qui est passio, sed de intelligibili. Et dolor interior est simpliciter major dolore exteriori, ut definit divus Thomas, 1 2, q. 35, art. 7, et q. 37, art. 1 ad 3.

113. D. Thomas, 3 p., quæst. 85, art. 3 in corpore, dicit: Pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato: ad hoc enim sufficit charitas; sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio: nisi quod recompensatio est ex parte ejus qui offendit, utpote cum satisfacit, retributio autem est ex parte ejus in quem est offensa commissa. Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet, quia utrumque est commutatio quædam. — Idem Sanctus in IV, dist. 16, q. 1, art. 2, quæst. 1, dicit quod pœnitentia potest accipi dupliciter, scilicet ut est virtus, et ut est sacramentum. Secundum autem quod est virtus, importat detestationem peccati, cum proposito abolendi ipsum secundum conditionem status peccantis. Et quia quicumque non detestatur peccatum, adhuc voluntatem in peccato fixam habet, cum voluntas semel ad aliquid fixa, ab illo non devellatur quin actu vel habitu in eo maneat, nisi per actualem dissensum ab illo, vel in speciali, vel saltem in genere; voluntas autem in peccato fixa manens, non est susceptiva gratiæ baptismalis, ideo requiritur, quasi removens prohibens, peccati commissi detestatio, et detestationis ejus propositum.

114. D. Thomas explicans illud Isaiæ L: In doloribus dormietis, dicit: Peccatores dolent in morte sua quadrupliciter. Primo, propter corporalium amissionem; Job XXVII: Dives, cum dormierit, nihil secum afferet. Secundo, propter conscientiæ contradictionem; Sap. V: Pœnitentiam agentes et præ angustia

spiritus gementes. Tertio, propter futuræ gloriæ desperationem; Thren. ult.: Cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccavimus. Quarto, propter pœnæ timorem; Psal. XLVII: Ibi dolores ut parturientis. Et quia peccatores dolent in morte, ideo, etc. — Idem Sanctus explicans illud Psal. L: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: Prov. XIV: Miseros facit populos peccatum. Sicut enim non est vere felix qui abundat divitiis, fruitur voluptatibus, pollet honoribus; sed qui fruitur Deo: ita non est miser qui est pauper, miser et debilis et infirmus, sed qui est peccator; et ideo iste qui est peccator dicit: " Miserere mei, Deus, „ tu scilicet qui misereris omnium, et nihil odisti eorum quæ fecisti; Sap. II. Rom. IX: Miserebor cui voluero. Ergo si voluntati tuæ subest misereri, " miserere mei, „ scilicet peccatoris. Non allegat misericordiæ causam, non servitia quæ fecit Deo, non pericula quæ sustinuit pro eo; sed solum Dei misericordiam implorat. Unde dicit: " Secundum magnam misericordiam tuam. „ Dan. IX: Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis.

115. Notandum quod aliquis potest sperare de misericordia divina duplici ratione. Una ratio est ex consideratione divinæ naturæ; alia ratio est ex consideratione et secundum multitudinem effectuum ejus. Primo ergo ostendit quod sperat de misericordia Dei ex consideratione naturæ divinæ, quia naturæ divinæ proprium est quod ipsa sit bonitas. Unde Dionysius dicit quod Deus est ipsa substantia bonitas. Et Boetius de Trinitate similiter. Unde nihil aliud est hæc Dei misericordia, nisi bonitas relata ad depellendam miseriam. Ergo cum considero quod miseriam repellere est proprium bonitatis, et tamen est ipsa bonitas, confidenter ad misericordiam recurro. Item dicitur magna sublimitate, quia miserationes ejus super omnia opera ejus. Item, magna duratione; Isa. LIV: In misericordia sempiterna misertus sum tui. Item, magna virtute, quia Deus hominem fecit, de cœlo Deum ad terram deposuit, et immortalem mori fecit. Item magna per effectum, quia ex omni miseria potest homo per misericordiam elevari; Psal. LXXXV: Misericordia tua magna est super me. — Secundo, quia in omnibus a principio mundi inveni effectus misericordiæ tuæ. Et ideo dicit: " Secundum multitudinem miserationum tuarum

dele iniquitatem meam; „ quasi dicat: Miserere mei secundum quod multipliciter et in diversis misertus es omnibus hominibus. Unde Isa. LXIII: Miserationum Domini recordabor; Ps. XXIV: Reminiscere miserationum tuarum. “ Dele iniquitatem meam. „ Hic ponit effectum miserendi; Nathan dixit: Dominus transtulit peccatum tuum; et sic erat securus de venia. Hæc ille.

116. D. Thomas, Opusc. LX, art. 4, dicit: Possumus autem mystice notare, quod partus beatæ Mariæ significat partum pœnitentis animæ, de quo dicitur Isa. XXVI: A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus spiritum salutis. Huic partui conveniet mystice locus nativitatis Christi, scilicet Bethleem. Unde Bernardus: Tu quoque si fueris Bethleem per cordis contritionem, ut sint tibi lacrymæ tuæ panes die ac nocte, et in earum refectione jugiter delectaris (interpretatur Bethleem domus panis), et si fueris Juda per confessionem, nascetur in te Christus, et dabit cordi tuo gaudium per gratiam in præsenti, et per gloriam in futuro. — Notandum vero quod post partum pœnitentiæ debet anima pœnitentis involvi pannis charitatis contra turpitudinem peccati; reclinari per affectum humilitatis contra superbiam, quæ consistit in aversione; et poni in præsepio asperitatis per condignam pœnitentiam contra peccati delectationem quæ est in conversione.

117. Per istum dolorem consequitur anima regenerationem spiritualem. D. Thomas explicans illud Joan. III: Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est, dicit sic: Nullus potest pervenire ad regnum, nisi spiritualis efficiatur: sed aliquis non efficitur spiritualis, nisi per Spiritum sanctum; ergo nullus potest intrare regnum Dei, nisi renatus ex Spiritu sancto. Dicit ergo: “ Quod natum est ex carne, caro est, „ idest nativitas secundum carnem facit nasci in vitam carnalem. I. Cor. XV: Primus homo de terra, terrenus, etc. “ Et quod natum ex spiritu, „ idest ex virtute Spiritus sancti, spiritus est, idest spiritualis. — Nota autem quod hæc præpositio *ex*, quandoque designat causam materialem, sicut cum dico: Cultellus est ex ferro; quandoque causam efficientem, sicut: Domus est ex ædificatore. Et secundum hoc, quod dicitur: “ quod natum est ex carne, „ potest intelligi dupliciter: effective et materialiter. Effective quidem, quia virtus quæ est in carne, est effectiva generationis. Materialiter vero, quia ali-

quid carnale in animalibus est materia generati. Sed ex spiritu non dicitur aliquid nasci materialiter, sed effective; secundum quam regeneramur in filios Dei per gratiam Spiritus sancti, et efficimur spirituales. Hæc ille.

118. D. Thomas explicans illud ad Rom. II: Sed factores legis justificabuntur, dicit justificari tripliciter accipi: Uno modo potest accipi quantum ad reputationem; et tunc aliquis justificari dicitur quando justus reputatur; Ezech. XVI: Justificasti sorores tuas, scilicet per reputationem. Et secundum hoc potest intelligi: " Factores legis justificabuntur, „ idest justi apud Deum et homines reputabuntur. Secundo, per executionem justitiæ, inquantum scilicet opera justitiæ exequuntur; Luc. XVIII: Descendit hic justificatus in domum suam, quia scilicet publicanus opus justitiæ fecerat confitendo peccatum. Et hoc modo verificatur quod dicitur: " Factores legis justificabuntur, „ scilicet legis justitiam exequendo. Tertio modo potest accipi justificatio quantum ad causam justitiæ, ut scilicet ille dicatur justificari, qui justitiam de novo accipit; ad Rom. V: Justificati igitur ex fide.

119. D. Thomas explicans illud Joan. V: Surge, tolle grabatum tuum et ambula, dicit: Hæc tria in justificatione Dominus præcepit. Primo, quod surgat recedendo a peccato; Ephes. V: Surge, qui dormis, et exurge a mortuis. Secundo accipitur: " Tolle grabatum tuum, „ satisfaciendo de commissis; per grabatum enim, quo homo requiescit, significatur peccatum. Tollit ergo homo grabatum suum quando fert onus pœnitentiæ sibi pro peccato impositum; Mich. XVII: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. Tertio, ut ambulet proficiendo in bono, secundum illud Psal. LXXXIII: Ibunt de virtute in virtutem.

120. D. Thomas, Opusc. LX, art. 22, adducit admirabilem doctrinam, ut cognoscamus nostram resurrectionem spiritualem. Sicut Christus resurrectionem suam probavit tripliciter, videlicet aspectu, Luc. ult.: Videte manus meas et pedes meos; tactu, unde sequitur: Palpate et videte, quia spiritus carnem, etc.; gustu, ut ibidem infert: Adhuc illis dubitantibus et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? sic etiam resurrectio spiritualis nostra demonstratur tripliciter. Primo quidem aspectu sanctitatis; Matth. V: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Quod autem Dominus ostendit manus

et pedes, designat quod resurrectio spiritualis per effectum divinæ dilectionis, et effectum bonæ operationis declaratur; Apoc., c. III: Nomen habes quod vivas, et mortuus es, scilicet propter defectum divinæ dilectionis, et defectum bonæ operationis. Secundo, tactu adversitatis; Eccli. XXXIII: Aurum probat fornax; idest, homo tentatur tribulatione; Genes. XXVII: Accede ad me, fili mi, ut tangam te; Job VI: Quæ prius nolebat tangere anima mea. Quod autem Dominus dixit: " Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, „ mystice designat quod spiritualis homo carnalibus consolationibus non innititur, sed spe cœlestis patriæ etiam aspera pati non formidat. Tertio, gustu internæ et æternæ suavitatis; Coloss. III: Quæ sursum sunt sapite. Unde Bernardus: Quicumque post lamenta pœnitentiæ, non ad carnales redit consolationes, sed in fiducia quadam divinæ miserationis excedit, ingreditur devotionem quamdam novam et gaudium in Spiritu sancto; nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quam delectatur memoria et inflammatur æternorum desiderio præmiorum. Quod autem Dominus comedit partem piscis assi et favum mellis, mystice designat quod spiritualiter resuscitati debent dulcedinem divinitatis et humanitatis ipsius prægustare, quæ quidem per piscem assum et favum mellis designatur.

Peccata purgantur per fervores amicitiæ.

121. D. Thomas, explicans illud Joan. IV: " Si scires donum Dei, et qui est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam, „ dicit sic: Per aquam intelligitur gratia Spiritus sancti. Quæ quidem quandoque dicitur ignis, quandoque aqua, ut ostendat quod nec hoc nec illud dicitur secundum substantiæ proprietatem, sed secundum similitudinem actionis. Nam ignis dicitur quia elevat cor per fervorem et calorem; Rom. XII: Spiritu ferventes, etc., et quia consumit peccata; Cant. VIII: Lampades ejus, lampades ignis, etc. Aqua vero dicitur propter purgationem; Ezech. XXXVI: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini, etc.; et propter refrigerationem ab æstibus tentationum; Eccli. III: Ignem ardentem extinguit aqua; et propter satietatem contra

sitim terrenorum et quorumcumque temporalium; Isaiæ LV: Omnes sitientes, venite ad aquas.

122. D. Thomas explicans illud Cant. IV: Cypri cum nardo; nardus, etc., dicit sic: Cyprus arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, idest album et sublucidum, quod oleo coquitur et inde exprimitur; quod cyprus vocatur, unde regium unguentum paratur. Legimus in Exod. c. XVI, quod manna erat quasi semen coriandri album. Cyprus ergo et manna unam habent significationem. Significat enim cœlestem gratiam tamquam mannam de cœlis venientem. Cyprus ergo noscitur cum fideles docentur gratiam spiritualem omnibus præferre, et per illam salutem sperare. Nardus typus est Dominicæ passionis. Unde et Maria nardo pistico caput et pedes Domini unxit. Nardus in anima justi est cum memoriam Dominicæ passionis veneratur, seu recolitur, per quam purgantur peccata. Crocus aurei coloris habet florem, ideo significat charitatem, seu amicitiæ fervorem. Crocus ignitas febres refrigerat: sic charitas et amicitiæ fervor purgat peccata.

123. Charitas, ut dicit D. Thomas, est amicitia et fervor; et propterea dicitur ignis, ut habet in cap. XXX Isaiæ, explicans illud: Lingua ejus quasi ignis devorans. Charitas dicitur ignis. Primo, quia illuminat: Eccli. II: Qui timetis Deum, diligite eum, et illuminabuntur corda vestra. Secundo, quia exæstuat; Cant. II: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Tertio, quia ad se omnia convertit; Rom. VIII: Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Quarto, quia expeditum facit; Joan. XIV: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Quinto, quia sursum trahit; Cant. III: In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum et non inveni. Si illuminat, exæstuat, et omnia in se convertit: ergo purgat.

124. Ista purgatio per amorem et charitatem et amicitiæ fervorem est quædam conceptio fidelis animæ, quæ fuit significata mystice in conceptione Virginis. Hoc docet D. Thomas, Opusc. LX, art. 4. col. 3. Omnis enim anima concipit Verbum Dei, si tamen immaculata et immunis a vitiis, intemerato castimonia pectore custodiat. Huic conceptioni congruit mystice locus conceptionis Virginis, scilicet Nazareth. Sit tibi honestas conversationis tamquam floris species, vel odor bonæ opinionis

tamquam fragrantia, vel intentio æternæ retributionis tamquam is cui fructus non desit. — Notandum vero quod B. Virgo post conceptionem tria legitur fecisse; per quæ tria significantur mystice quibus quælibet anima sancta post conceptum spiritualem Verbi Dei debet insistere, videlicet quod montana conscendit, quod Elisabeth salutavit, et quod Dominum magnificavit. Per primum significatur virtutum perfectio; per secundum, fraterna dilectio; per tertium, laus et exultatio.

125. Primum tangitur Lucæ II: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, ubi dicit Glossa: Accepto Virginis consensu, cœlestia petit angelus, quem Virgo sequitur, quæ in montana progreditur. Sic anima, quæ Verbum Dei concepit, virtutum cacumina gressu amoris conscendit, et civitatem Judæ, idest confessionis et laudis arcem penetrat, et usque ad perfectionem fidei, spei et charitatis, quasi tribus mensibus in ea commoratur. In hoc autem ascensu sunt tria: videlicet vallis timoris et humilitatis, ascensus laboris et difficultatis, cacumen amoris, sive charitatis. Unde Bernardus: Virtus vult cum humilitate doceri, cum labore acquiri, cum amore possideri. Et cum his omnibus digna sit, non aliter doceri, acquiri vel possideri potest.

126. Secundum tangitur ibi: Et intravit domum Zachariæ et salutavit Elisabeth. Salutatio enim est salutis optatio. Salutem autem optare proximo pertinet ad fraternam dilectionem: quia hæc est vera forma diligendi proximum, quæ exprimitur Matth. XXII: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Glossa: Ad id quod te ipsum. Augustinus: Quisque recte proximum diligit, hoc cum eo agere debet, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente Deum diligat. Hanc etiam formam diligendi Christus tradidit discipulis suis; Joan. XV: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut, etc.; ubi dicit Augustinus: Ad quid dilexit nos Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? Ad hoc ergo et nos invicem diligamus. Huic ergo dilectioni anima sancta, postquam spiritualiter Verbum Dei concepit, debet insistere; quia dicitur I. Joan. IV: Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. Augustinus: Beatus est qui amat et amicum in te, et inimicum propter te. Idem: Ubi vera dilectio est, quid est quod possit deesse? Ubi vero non est, quid est quod potest prodesse?

127. Tertium sequitur Lucæ II: Magnificat anima mea Dominum. Canticum illud est canticum laudis et exultationis, quod quælibet sancta anima concepto Verbo Dei potest decantare. Unde dicit Ambrosius: Sicut in singulis anima Mariæ Deum magnificat, sic in singulis spiritus Mariæ in Deo exultat. Quid autem sit Deum magnificare, dicit Ambrosius: Magnificatur Dominus, non quod ei aliquid humana laus adjungat, sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra, quæ ad imaginem Dei est creata, per justitiam se Christo conformat, qui est imago Patris. Et sic dum ipsum Christum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis ejus sublimior fit, ut ipsam imaginem splendido bonorum factorum colore, et quadam æmulatione virtutis videatur in se exprimere. Origenes: Quando magnificavero animam meam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cujus imago est in anima mea, magnificatur.

128. In hac purgatione mediante charitate et amore per amicitiæ fervorem declaratur illa spiritualis generatio, de qua loquitur D. Thomas super cap. IV epist. D. Pauli ad Galat.: Generatio spiritualis est, quæ fit per semen spirituale transmissum in locum spiritualis generationis, qui quidem locus est mens, seu cor hominis, quia in filios Dei generamur per mentis renovationem. Semen autem spirituale est gratia Spiritus sancti; I. Joan. ult.: Qui natus est ex Deo, non peccat; quoniam generatio Dei conservat eum, etc. Et hoc semen est virtute continens totam perfectionem beatitudinis. Unde dicitur pignus et arrha beatitudinis Ephes. I; Ezech. XXXIX: Dabo Spiritum meum clamantem, idest clamare facientem: Abba, Pater; non magnitudine vocis, sed magnitudine et fervore affectus. Tunc enim clamamus: Abba, Pater, quando per affectum accendimur calore Spiritus sancti ad desiderium Dei; Rom. VIII: Non accepistis spiritum servitutis, etc. Abba, Pater, etc.

Peccata purgantur per dulcores eleemosynæ.

129. Eleemosyna definitur a D. Thoma in IV, dist. 15, qu. 2, art. 1, hac ratione: Eleemosyna est opus in quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. D. Thomas, Opusc. XX,

cap. 15, dicit: Per Danielem prophetam dictum est illi principi ethnico regi Babylonis Nabuchodonosor, qui in toto Oriente generalis erat monarcha: Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Sunt ergo ipsæ eleemosynæ quas faciunt principes indigentibus, quasi quidam fideijussor coram Deo pro ipsis ad solvendum debita peccatorum, ut Philosophus dicit de numismate respectu rerum venalium. Et sicut numisma est mensura in permutationibus pro vita temporali, ita eleemosyna in vita spirituali; propter quod in Eccli. XVII dicitur: Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam oculi conservabit. Eamdem doctrinam tenet D. Thomas, I. Tim. IV, explicans illa verba: Pietas autem ad omnia utilis. Præfert abstinentiæ pietatem, et accipitur hic utroque modo, scilicet pro cultu Dei et misericordia. Et est ad omnia utilis, quia ad omnia peccata delenda. Eccli. III: Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. Item ad bona promovenda; Eccli. XVII: Eleemosyna hominis quasi sacculus, etc.

130. D. Thomas in IV, dist. 15, q. 2, art. 2, docet modum quo mediante purgantur peccata per eleemosynam. In quæstiuncula prima dicit quod causa pœnæ infernalis est culpa mortalis; immanente autem causa, manet effectus. Unde cum ab eo qui in peccato mortali moritur, non possit ulterius culpa mortalis tolli, sicut nec a dæmonibus, quia, ut dicit Damascenus, De fide orthodoxa, cap. 4 in fine, quod est hominibus mors, est dæmonibus casus, patet quod neque eleemosyna ab eo prius facta, neque post mortem ejus facta ab alio, potest eum qui in peccato mortali decidit, a pœna inferni liberare. Eleemosyna autem liberat a peccato mortali hominem adhuc in statu viæ existentem, dupliciter, vel impediendo futurum peccatum, sicut et alia opera meritoria quæ hominem in gratia confirmant; vel a præterito liberando, inquantum disponit eum qui jam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam, sicut et alia opera de genere bonorum recta intentione facta.

131. Et quamvis D. Ambrosius, I. Tim. IV, super illa verba: Pietas ad omnia valet, dicat: Pietatem autem sequens, si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit; ergo in peccato mortali decedentes, per eleemosynam liberantur a perditione inferni. Respondet sanctus Doctor quod in-

telligitur de lubrico mortali. Quod autem dicitur: Non peribit, non est secundum necessitatem intelligendum, sed secundum quamdam dispositionem; quia per hoc quod operibus pietatis aliquis vacat in peccato mortali existens, disponit se ad gratiam, ut non facile permittatur in perditionem ire. Vel si intelligatur de veniali, efficacia eleemosynæ in hoc ostenditur, quod pœna vapulationis diminuitur per eam, vel per ipsam veniale impeditur ne in mortale retrahere possit.

132. D. Thomas in IV, dist. 15, q. 2, art. 2, quæstiunc. 2, dicit quod efficacia satisfactionis invenitur in tribus satisfactionis partibus, sicut virtus totius potentialis in partibus ejus; quæ quidem complete in una unitate, et in aliis diminute, sicut tota virtus animæ invenitur in rationali. Sed in sensibili anima invenitur diminute, et adhuc magis diminute in vegetabili, quia anima sensibilis includit in se virtutem animæ vegetabilis, et non convertitur. Eleemosyna enim includit virtutem orationis et jejunii duplici ratione. Primo, quia eleemosyna eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum, et jejunandum, et alia bona, quæ potest, facienda pro eo qui dedit. Secundo, quia eleemosyna propter Deum data, est quasi quædam oblatio Deo facta. Unde Philosophus etiam dicit in II. Ethic., cap. XIV, quod dona habent aliquid simile Deo sacratis. Oblatio autem ipsi Deo facta vim orationis habet. Et similiter inquantum bona exteriora ad corporis conservationem ordinantur, subtractio exteriorum bonorum per eleemosynam quasi virtute continet jejunium, quia extensio intellectus ad Deum debilitatem corporis parit, ut dictum est. Unde eleemosyna completius habet vim satisfactionis quam oratio, sicut et oratio quam jejunium. Et ideo dicit D. Thomas, II. Tim. IV: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Et propter hoc eleemosyna magis judicatur ut universalis medicina peccati quam oratio; sicut Lucæ XII: Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis; et Dan. IV: Peccata tua eleemosynis redime; et Tobiæ IV: Eleemosyna ab omni peccato liberat; et II. Tim. IV: Pietas ad omnia valet.

133. D. Thomas in IV, dist. 15, qu. 2, art. 2, quæstiunc. 3, dicit quod eleemosyna habet efficaciam et ex ipso faciente, inquantum est quoddam opus meritorium; et ex recipiente, inquantum obligatur ad orandum pro illo qui eleemosynam dedit.

Si ergo consideretur eleemosynæ efficacia ex parte recipientis, sic major efficacia in majori dato consistit, inquantum per hoc plures et magis debitores efficiantur ; ex parte autem dantis et respectu præmii essentialis efficacia eleemosynæ magis pensatur ex affectu quam ex dato : contra vero ex parte præmii accidentalis.

Peccata purgantur per justitiæ rigores, et per fidei et misericordiæ splendorem.

134. Judic. VI dicitur de Gedeone: Ipse purgabit triticum in torculari ; et torcular designat pressuram justitiæ, et rigor justitiæ Dei premit et angustiat, et sic purgat. D. Thomas, II. Corinth. IV, explicans illa verba D. Pauli: " Tribulamur, sed non angustiamur, „ dicit: Loquitur ad similitudinem viatoris, qui quando non patet ei via qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur; quasi dicat: Homines, qui solum in mundo confidunt, angustiantur si undique a mundo tribulantur: quia non patet eis via remedii, cum non sperent nisi de mundo. Sed nos, licet tribulemur in mundo , quia tamen confidimus de Deo, et speramus in Christo, patet nobis via evasionis et auxilii a Deo, et ideo non angustiamur. Peccatores angustiantur considerando justitiam Dei, et ideo purgantur.

135. D. Thomas , 1 2, q. 35, art. 8 in corp. , adducit species tristitiæ, et inter eas enumerat anxietatem , quæ sic aggravat animum ut non appareat aliquod refugium: unde alio nomine dicitur angustia. Idem Sanctus explicans illud Ps. XLI : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum , dicit: Sitis designat desiderium cum anxietate. Ita ista designat se pati anxietatem non solum ex dilatione rei desideratæ, sed propter mala quæ hic affligunt. Mali ita timent justitiam Dei, ut angustientur et aggraventur , et sic purgantur. D. Thomas , explicans illud Isaiæ XXVI: Semita justi recta est, dicit quod est via justitiæ recta tripliciter. Primo, propter itineris brevitatem; Sap. VI: Ambulavimus vias difficiles. Secundo, propter situs æqualitatem, quia rectum est illud cujus medium non discrepat ab extremis; Joan. XIII: Sciens quia a Deo exivit et ad Deum vadit. Tertio, propter pulchritudinem; Jerem. XXXI: Benedicat tibi Dominus,

pulchritudo justitiæ, mons sanctus. Peccatores considerant viam justitiæ rectam propter itineris brevitatem, propter situs æqualitatem, propter pulchritudinem; et timent, et per istum timorem purgantur.

136. Purgantur peccata per fidei et misericordiæ splendorem; Prov. xv: Per misericordiam et fidem purgantur peccata. Per misericordiam Dei condonantis, et hominis animæ suæ miserentis. Per fidem virtute formatam purgantur peccata quoad culpam. Vel per misericordiam qua miseremur proximo affectu et effectu, et per fidem justificantem purgantur peccata, per misericordiam Dei condonantis. D. Thomas, 1 p., q. 25, art. 3 ad 3, dicit quod Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo et miserendo, quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem quod libere peccata dimittit. Ejus enim qui superioris legis (*vi*) astringitur, non est libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus et miserendo perducit eos ad participationem infiniti boni qui est ultimus effectus divinæ virtutis. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Rom. ix: " Miserebor cui misertus sum, „ dicit: Dei misericordia secundum tria ostenditur. Primo quidem secundum prædestinationem, qua ab æterno proposuit aliquos liberare; Ps. ciii: Misericordia ejus ab æterno, et usque in æternum. Secundo, secundum vocationem et justificationem, quibus homines salvat ex tempore; Tit. iii: Secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Tertio, magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria; Psal. cii: Qui coronat te in misericordia et miserationibus. Et hominis animæ suæ miserentis; Psal. l: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam.

137. Et per fidem virtute formatam purgantur peccata; ita D. Thomas, 2 2, q. 7, art. 2 ad 2: Fides per charitatem formata, nullam impuritatem secum compatitur, quia universa delicta operit charitas, ut dicitur Prov. x. Eamdem doctrinam tenet 3 p., q. 49, art. 1 ad 5: Per fidem etiam applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius, secundum illud Rom. iii: Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus. Fides autem per quam a peccato mundamur, non est fides informis, quæ potest etiam esse cum peccato: sed fides formata per charitatem, ut sic passio Christi nobis applicetur non solum quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad affe-

ctum. Idem dicit art. 5 ad 1: Sancti Patres operando opera justitiæ, meruerunt introitum regni cœlestis per fidem passionis Christi, secundum illud Hebr. xi: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam; per quam etiam unusquisque a peccato purgabatur, quantum pertinet ad emundationem propriæ personæ.

138. Peccata purgantur per misericordiam qua miseremur proximo affectu et effectu, per eleemosynas corporales et spirituales. Defectus proximi aut est in vita, aut post vitam; si in vita, aut est interior, aut exterior. Interior est duplex: unus quidem qui subvenitur per elementum siccum, scilicet fames, et secundum hoc ponitur pascere esurientem; alius est cui subvenitur per alimentum humidum, scilicet sitis, et secundum hoc dicitur potare sitientem. Defectus autem communis respectu exterioris auxilii est duplex: unus respectu tegumenti, et quantum ad hoc ponitur vestire nudum; alius autem respectu habitaculi, et quantum ad hoc ponitur suscipere hospitem. Si est defectus specialis, aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas, et quantum ad hoc ponitur visitare infirmum; aut est ex causa extrinseca, et quantum ad hoc ponitur redemptio captivorum. Post vitam autem exhibetur mortuis sepultura. — Defectibus spiritualibus subvenitur dupliciter. Uno modo, poscendo auxilium a Deo, et quantum ad hoc ponitur oratio, qua quis pro aliis orat; alio modo impendendo humanum auxilium, et hoc tripliciter. Uno modo contra defectum intellectus: et si quidem sit defectus speculativi intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam; si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per consilium. Alio modo est defectus ex passione appetitivæ virtutis, inter quos (*defectus*) maximus est tristitia, cui subvenitur per consolationem. Tertio modo ex parte inordinati actus: qui quidem tripliciter considerari potest. Uno modo ex parte ipsius peccantis, inquantum procedit ab ejus inordinata voluntate, et sic adhibetur remedium per correctionem. Alio modo ex parte ejus in quem peccatur; et si quidem sit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offensam: si autem sit in Deum vel proximum, non est nostri arbitrii remittere. Tertio modo ex parte ipsius actus inordinati, ex quo gravantur ei conviventes, etiam præter peccantis intentionem: et sic remedium adhibetur supportando maxime in his qui ex infirmitate peccant.

139. Per fidem justificantem purgantur peccata; hoc docet D. Thomas 2 2, q. 7, art. 2, in corp.: Impuritas cujusque rei consistit in hoc quod rebus vilioribus immiscetur. Non enim dicitur argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi vel stanni. Manifestum est autem quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus et corporalibus creaturis: et ideo impura redditur ex hoc quod temporalibus se subjicit per amorem. A qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id quod est supra se, scilicet in Deum: in quo quidem motu primum principium est fides. Accedentem enim ad Deum oportet credere, ut dicitur Hebr. XI. Et ideo primum principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris; quæ si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat. Hæc ille.

Peccata purgantur per correctiones et timores et per compunctionis fluores.

140. D. Thomas, explicans illud Job XLI: Timebunt angeli et territi purgabuntur, dicit: Admirando divinam virtutem; in qua admiratione multi effectus divinæ virtutis eis innotescunt, et ideo subdit: Et territi purgabuntur. Ut enim (*dicit*) Dionysius, c. 5 De divinis nominibus, angeli purgari dicuntur non ab immunditia, sed a nescientia. Sed quia omnis creatura corporalis modicum quid est in comparatione sanctorum angelorum, ideo videtur principaliter hoc esse dictum ad significandum quod cœlestes angeli multum admirentur de occasione alicujus corporalis ceti, nisi forte per angelos, sanctos homines intelligamus. Sed melius est ut principaliter referatur ad spiritualem leviathan, scilicet diabolum, qui sublatus fuit virtute divina, quando de cœlo cecidit per peccatum: et tunc angeli admirantes divinam majestatem, sunt purgati per separationem ab ejus societate. Similiter etiam in die judicii, quando diabolus cum omnibus membris suis detrudetur in infernum, angeli sancti admirabuntur divinam potestatem, et erunt de cætero purgati per totalem separationem a malis: et hoc significatur Apoc. XII, ubi postquam projectus est diabolus, auditur magna vox in

cœlo dicens: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri. Sic peccatores timent admirando divinam virtutem corripientem; in qua admiratione multi effectus divinæ correctionis eis innotescunt, et territi purgantur a peccatis.

141. Peccata purgantur per compunctionis fluores, ut habetur Levit. XIV: Purificatus aqua ingreditur castra. Purificatus aqua lacrymarum pœnitentiæ ingreditur castra, consortium sanctorum, a quo excluduntur peccatores. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Rom. II, dicit: Compunctio importat quamdam cordis punctionem.

3. (Pag. 132) Quæst. 2, post Disput. 2.

I. *Quid sit mortificatio, quotuplex et quibus nominibus nominetur.*

142. Mortificatio, secundum etymologiam nominis, componitur a *mortuus* et *facio*, quia mortificatio est quoddam genus mortis. Ita D. Thomas. Explicans illud D. Pauli ad Rom. VIII: Quia propter te mortificamur tota die, dicit sic: Idest morti tradimur. Esther VII: Traditi sumus ego et populus meus ut conteramur, et jugulemur, et pereamus. "Tota die, „ idest per totum tempus vitæ; II. Cor. IV: Semper nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum. — Secundum suam naturam et essentiam definitur: Voluntaria liberaque separatio animæ a vita carnali, et virium tum externarum, tum internarum ab illicitis operibus sejunctio. Hæc colligitur ex pluribus locis divi Thomæ, quos adducemus in hoc articulo. — Ut autem sciamus in quo consistat hæc separatio et sejunctio, sciendum est duas esse hominis partes substantia officioque distinctas, quæ quidem partes diversis nominibus declarantur.

143. A D. Thoma super illud D. Pauli ad Galat. V: Caro concupiscit adversus spiritum, vocantur caro et spiritus. Et movet dubium sanctus Doctor, quia cum concupiscere sit animæ tantum, non videtur quod competat carni. Et respondet quod caro dicitur concupiscere, inquantum anima secundum ipsam car-

nem concupiscit, sicut oculus dicitur videre, cum potius anima per oculum videat. Sic ergo anima per carnem concupiscit, quando ea quæ delectabilia sunt secundum carnem appetit. Per se vero anima concupiscit quando delectatur in his quæ sunt secundum spiritum, sicut sunt opera virtutum, et contemplatio divinorum, et meditatio sapientiæ. Sed si caro concupiscit per spiritum, quomodo concupiscit adversus eum? In hoc scilicet quod concupiscentia carnis impedit concupiscentiam spiritus. Cum enim delectabilia carnis sint bona, quæ sunt infra nos; delectabilia vero spiritus bona quæ sunt supra nos, contingit quod cum anima circa inferiora, quæ sunt carnis, occupatur, retrahitur a superioribus quæ sunt spiritus.

144. Sed videtur etiam dubium, dicit sanctus Doctor, de hoc quod dicit, scilicet quod spiritus concupiscit adversus carnem. Si enim accipiamus hic spiritum pro Spiritu sancto, concupiscentia autem Spiritus sancti sit contra mala, consequens videtur quod caro, adversus quam concupiscit spiritus, sit mala, et sic sequitur error Manichæi. Respondet Sanctus: Dicendum est quod spiritus non concupiscit adversus naturam carnis, sed adversus ejus desideria, quæ scilicet sunt ad superfluitatem; unde et supra dictum est: Desideria carnis, scilicet superflua, non perficietis. In necessariis enim spiritus non contradicit carni, quia, ut dicitur ad Ephes. v, nemo carnem suam odio habuit.

145. D. Thomas super illud D. Pauli ad Coloss. III: Nolite, inquit, mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit illum, nominat istas duas partes veterem et novum hominem. Dicit Sanctus: " Expoliantes; „ ostendit rationem quare sunt vitanda vitia: quia scil., deposita vetustate, debet indui novitas; Matth. IX: Nemo mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, etc. Et primo ponit depositionem vetustatis; secundo, assumptionem novitatis, ibi: " Et induite. „ Dicit ergo: " Deponite, „ hoc expoliantes, etc. Nam hoc inveteratur per peccatum; ad Hebr. VIII: Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est. Hæc vetustas propinquat corruptioni, quia peccatum est via ad corruptionem. Item, per peccatum perditur virtus et decor spiritualis, quæ quidem vetustas est introducta per pec-

catum primi parentis. Rom. v: Sicut enim per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. — Hunc enim veterem hominem, idest vetustatem peccati; Rom. vi: Vetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.

146. Novus homo est animus interius renovatus: quia homo ante gratiam habet mentem interiorem peccato subjectam, et quando reparatur per gratiam, habet novitatem; Psal. ciii: Renovabitur ut aquilæ juventus tua; Galat. ult.: In Christo Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed nova creatura. Nova creatura est gratia innovans, sed adhuc vetustas remanet in carne. Sed si sequaris judicium novi hominis, tunc induis novum hominem: si vero concupiscis secundum desideria carnis, induis vetustatem; Ephes. iv: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. — Deinde cum dicit: " Et induentes, „ describit novum hominem. Et primo ostendit renovationis modum. Ostendit ergo quod interior homo vetus per ignorantiam Dei, renovatur per fidem et agnitionem Dei; II. Cor. iii: In eamdem imaginem transformamur a claritate, tamquam a Domini Spiritu. Sed ubi est hæc renovatio? Ibi scilicet, ubi est imago Dei, quæ non est in potentiis sensitivæ partis, sed in mente. Unde dicit " secundum imaginem, „ idest ipsa Dei imago, quæ est in nobis renovata, et hoc " secundum imaginem ejus, „ scilicet Dei, " qui creavit eum. „ Dicitur autem novus creatus, quia anima rationalis non est ex traduce, sed a Deo creata. Hæc ille.

147. D. Thomas super illud II. Cor. iv: Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem, nominat istas duas partes exteriorem et interiorem hominem. Dicit Sanctus: " Sed licet is qui foris est. „ Unumquodque dicitur esse illud quod est principalius in ipso, puta quia in civitate principalius est potestas et concilium, id quod facit potestas et concilium, dicitur tota civitas facere. Principalius autem in homine potest aliquid judicari et secundum veritatem, et secundum apparentiam; secundum veritatem quidem principalius in homine est ipsa mens: unde, secundum judicium spiritualium virorum, mens dicitur homo

interior; secundum apparentiam vero principalius in homine est corpus exterius cum sensibus: unde, secundum judicium illorum qui tantum corporalia et sensibilia considerant et terrena sapiunt, quorum Deus venter est, corpus cum sensibus dicitur homo exterior. Et ideo secundum hunc modum loquitur Apostolus dicens: " Licet homo noster, „ scilicet corpus cum natura sensitiva, " corrumpatur „ in tribulationibus, jejuniis, et abstinentiis, et vigiliis: tamen " homo qui intus, „ scilicet mens, seu ratio munita spe futuri præmii, et firmata munimine fidei, " renovatur. „ Hæc ille.

148. Mortificatio vocatur abnegatio. Ita D. Thomas. Explicans illud Matth. XVI: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc., dicit Sanctus: Oportet quod sitis parati ad passionem Christi imitandam; imitantur speciali modo martyres corporaliter: spiritualiter spirituales homines, spiritualiter pro Christo morientes. Si haberes filium, et videres eum male tractari, si non curares, tu abnegares: sic si vis passionem Domini sequi, oportet quod abneges te, et pro nihilo te reputes; Psal. XXXVII: Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones; Prov. XXIII: Verberaverunt me, et non dolui; traxerunt me, et non sensi. — " Et tollat crucem suam, „ et intelligitur de mortificatione spirituali. Est enim abnegatio sui ipsius tripliciter. Primo, quando abnegat statum peccati præcedentis; Rom. VI: Existimate vos mortuos peccato. Item si non est in peccato, et transferret se ad statum perfectum; ad Philipp. III: Si quomodo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis, non quod jam acceperim aut jam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Item qui proprium affectum abnegat; ad Galat. II: Ego autem per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.

149. Mortificatio vocatur spiritualis circumcisio. Ita D. Thomas super illud D. Pauli ad Coloss. II: Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi. Dicit Sanctus: Duplex est circumcisio, scil. carnalis et spiritualis. Per Christum vero sumus circumcisi non circumcisione carnali, sed spirituali. Idem Sanctus, Opusc. LX, art. 5: Spiritualis circumcisio duplex est, scil. interior (*et exterior*). Unde dicit Beda: quia spiritualis circumcisio est omnium, scil.

interiorum exteriorumque, hominis nostri sensuum custodia. — Consistit autem exterior circumcisio in tribus, scilicet in habitu, ne sit notabilis; in actione, ne sit reprehensibilis; in sermone, ne sit contemptibilis. — Interior consistit in tribus, scil. in cogitatione, ut sit sancta; in affectione, ut sit pura; in intentione, ut sit recta, ut dicit Bernardus. — Et merito hoc nomen convenit mortificationi, quoniam sicut abrogata circumcisio superflua carnis amputavit, ita spiritualis circumcisio a Christo in lege gratiæ retenta supervacua mentis abscindit.

150. Mortificatio vocatur jejunium. Ita D. Thomas, explicans illud Isaiæ LVIII: Nonne, ait, hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Ac si diceret: Jejunium magis gratissimum est peccatorum funes exsolvere, et desideriorum inanium pondus abjicere, quod est jejunium spirituale. D. Thomas, Opusc. LX, a. 10: Jejunium duplex est, scilicet Jejunium luctus, quod cum amaritudine peccatorum et præsentis vitæ miseria geritur; aliud est jejunium exultationis, quod cum spirituali jucunditate a carnalibus vitiis et desideriis se abstrahit: quia gustato spiritu, despicitur omnis caro. — In istis ergo semper habitu sponsus præsens est, sed non semper actu: immo quandoque eis præsens est ut judex, cum sua peccata recogitant, vel quæ fecerunt, vel in quæ cadere possunt, nisi carnem cohibeant, et tunc competit jejunium mœroris. Aliquando est eis præsens actu ut sponsus, quando ejus dulcedine perfunduntur, et tunc competit eis jejunium exultationis, non mœroris.

151. Mortificatio vocatur odium. Ita D. Thomas. Explicans illud Joan. XII: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam; dicit sic: Idest, qui negat bona præsentia animæ suæ, et sustinet propter Deum quæ videntur mala in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam; Matth. V: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, etc. Luc. XIII: Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, etc. — Attendendum autem quod illud quod supra de grano frumenti dictum est, competit huic sententiæ; nam sicut Christus missus est in mundum quasi quoddam semen ad fructificandum, ita quicquid nobis temporaliter datur a Deo, non confertur nobis ut fructus, sed ut per illud ad fructum æternæ remunerationis perveniamus. Vita autem nostra est

quoddam temporale donum a Deo nobis collatum. Qui ergo eam propter Christum exponit, fructum multum affert. Hic ergo est qui odit animam suam, idest qui vitam suam exponit et seminat propter Christum in vitam æternam; Psal. cxxv: Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione. Et similiter qui divitias suas et alia bona quæ habet, exponit propter Christum et communicat aliis in vitam æternam; II. Cor. IX: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Hæc ille.

152. Mortificatio vocatur crux. Ita D. Thomas. Explicans illud Matth. X: Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus; dicit sic: Ille crucem accipit qui carnem affligit, ut habetur ad Galat. V: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. Item crux fertur in corde quando contristatur pro peccato, ut dicebat Apostolus, II. Cor. XI: Quis scandalizatur, et ego non uror? Item non sufficit istud nisi sequatur Dominum; unde " et sequitur me. „ Si jejunat, si compatitur proximo non propter me, " non est me dignus. „ Magnum est enim sequi Dominum, ut habetur Eccli. XXIII.

II. *De utilitate mortificationis.*

153. Mortificatio lex est non tam naturæ quam gratiæ, quam in lege gratiæ ore Pauli promulgatam esse cognoscimus; ad Coloss. III: Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis. D. Thomas: Non debetis sapere quæ sunt super terram, sed mortificate quidquid terrenum, et specialiter membra quæ sunt super terram. Quod potest exponi similitudinarie: quia conversatio nostra est continens multos actus, sicut corpus multa membra; et in conversatione bona prudentia est sicut oculus dirigens, fortitudo autem sicut pes portans: in mala vero, astutia sicut oculus, pertinacia vero sicut pes. Hæc ergo membra sunt mortificanda. — Vel aliter de membris corporis carnalibus dicit: " mortui estis, „ scilicet terrenæ conversationi. Quomodo? Et respondens dicit: " Mortificate. „ Intantum ergo morimur

culpæ, inquantum vivificamur per gratiam. Vita enim gratiæ reparat nos quantum ad mentem, non totaliter quantum ad corpus propter fomitem; Rom. VII: Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Qui ergo mortui estis quantum ad mentem, mortificate concupiscentiam in membris, quæ sunt super terram, inquantum sunt super terram.

154. D. Thomas explicans illud Psal. XLIII: Quoniam propter te mortificamur tota die, dicit sic: Ponit causam quare patiatur, quia causa facit martyrem; et ideo dicit: Propter te mortificamur tota die; I. Pet. IV: Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus, non erubescat. Et ponit mala quæ patiuntur sancti, et ostendit hæc esse mala ex gravitate pœnæ, ex continuitate et ex opinione punientium. Gravitas, " quia mortificamur; „ continuitas, quia " tota die; „ II. Cor. I: Quotidie morior propter gloriam vestram; opinio, quia credebant eos occidere non ut beatos, sed ut malos et dignos morte; et ideo dicit: " Æstimati sumus ut oves occisionis. „ — Ad utilitatem hominum vel ad patientiam martyrum, quasi dicat: Quare mortificamur tota die, et tamen non reclamamus, sed sustinemus, sicut oves ductæ ad occisionem? Sic etiam fuit in Christo. Hæc ille. — Vel aliter: Singulis diebus mortificamur propter te, Domine, idest propter tuum amorem intendimus, et ut rationales oves ad mortem carnalium affectionum destinatæ, nihil, nisi hanc mortem sane desiderabilem cogitamus.

155. Duo sunt genera mortificationis; alterum quoad exteriorem hominem, alterum quoad interiorem. Hanc divisionem ponit D. Thomas, explicans illud D. Pauli, I. ad Tim. IV: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia. Et utraque mortificatio, tam exterior quam interior, in alias duas est dividenda. Altera est qua ab illicitis abstinemus; altera, qua etiam a quibusdam licitis temperamus. Illicita sunt omnia peccata, sive gravia, sive levia, quæ Deus fieri vetuit. Levia sunt omnia nobis concessa quæ Dominus nullo præcepto, nec majori, nec minori, prohibuit. Qui ergo ita suos sensus et affectus cohibet, ut in peccata non effluat, primam mortificationem, qua ab illicitis abstinet, habet: qui vero propter amorem Domini et obtentum perfectionis quædam sibi licita et concessa negat in visu, in auditu, in cibo et potu, in

sermone et in aliis hujusmodi, is secundam in licitis mortificationem exercet. De mortificatione ab illicitis loquitur divus Thomas explicans illud ad Galat. VI: Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Seminare quidem in carne, dicit Sanctus, est operari pro corpore, vel pro carne; sicut si dicam: Ego multum expendi in isto homine, idest multa feci pro eo. Ille ergo in carne seminat, qui ea quæ facit, etiamsi quæ bona videantur, facit in fomentum et utilitatem carnis. De carne autem metere corruptionem dicit et infert, quia semen fructificat ut plurimum secundum conditionem terræ. De mortificatione a licitis loquitur D. Thomas explicans illud Job VII, qui de se ait: Desperavi, nequaquam ultra jam vivam. Et de utraque D. Gregorius, VIII. Moral., cap. XV: Quid enim aliud est justum desperare, nisi præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere? Et quid est in atria Domini concupiscere et deficere, nisi propter amorem æternorum, in amore temporalium etiam nobis concessorum non perdurare?

156. D. Thomas, explicans illud ad Rom. IX: Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, (*ait*): Per declinationem mali motus carnis illicitos reprimendo. Castigo ergo, non occido, corpus meum, non tantum alienum; Rom. XII: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. " Et in servitutem redigo „ per operationem boni, corpus scilicet spiritui servire cogendo et sensualitatem rationi subjiciendo, sicut de B. Martino legitur: Carnem spiritui servire cogebat, et hoc facio, " ne forte cum aliis prædicaverim, etc. „ Augustinus: Suo timore nos terruit Apostolus. Quid enim faciet agnus, ubi aries timet et tremit? " Ipse reprobus, „ idest a Deo reprobatus, " efficiar, „ quod turpe esset; Rom. II: Qui prædicas non furandum, furaris. — Idem Sanctus explicans illud Psal. XXXII: Congregans sicut in utre aquas maris, dicit sic: Mystice exponitur de bonis, ut per aquas maris intelligamus populos; Apoc. XVII: Aquæ multæ populi sunt, gentes et linguæ. Quasi ergo aquas maris populos hujus mundi congregat in Ecclesia sicut in utre. Comparatur autem Ecclesia utri propter unitatem; et uter de pelle fit mortui animalis: per hoc insinuatur quod ad hoc aliqui ad Ecclesiam veniunt, ut mortificent membra sua, quæ sunt super terram.

157. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. IV: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, dicit: Subdit rationem patientiæ. Circa quod sciendum est quod in Christo talis fuit processus. Nam a principio suæ conceptionis carnem habens passibilem, et passus mortuus fuit, sed tamen interius vivebat spirituali vita. Post resurrectionem vero, illa spiritualis et gloriosa vita usque ad corpus derivata est, et factum est ipsum corpus gloriosum et immortale: quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur. Unde ex hoc accipitur duplex status in corpore Christi, scil. mortis et gloriæ. Et ideo dicit quod ideo pericula mortis et passiones patienter sustinemus, ut perveniamus ad gloriosam vitam. Et hoc est quod dicit: " Semper mortificationem Jesu, „ idest propter Jesum vel ad similitudinem mortis Jesu; Galat. ult.: Stigmata Domini Jesu, etc., quia propter veritatem passi sumus, sicut et Jesus, in corpore nostro, non sōlum in mente, ut vita Jesu, idest vita gratiæ quam Jesus dat; vel vita gloriæ ad quam Jesus per passiones pervenit. Luc. XXIV: Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam? " Ut et vita Jesu, „ quæ latet nunc in corde nostro, " in corporibus nostris manifestetur. „

158. D. Thomas explicans illud Cant. V: Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, dicit sic: Desideranti Ecclesiæ ut ad se veniat, Sponsus respondet se jam hoc fecisse: " Ego jam veni. „ Nam non est imperativus " veni, „ sed præteritum indicativi. O soror mea sponsa, jam ego veni in hortum meum, idest jam visitavi Ecclesiam meam, et quotidie visito, et virtutum illius tamquam pomis pascor, atque odore fruor. Venio ad eam ut errantes corrigam, infirmos corroborem, dubios confirmem, et perfectos quoque præmiis cœlestibus dotem. " Messui myrrham cum aromatibus meis. „ Per myrrham designantur illi qui vitam martyrio finierunt, vel etiam carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificaverunt. — Idem Sanctus explicans illud Jer. IV: Novate vobis novale et nolite serere super spinas: circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, dicit sic: " Novale, „ terra de novo culta; " novate, „ idest auferte spinas vitiorum, ut munda semina suscipiant corda munda; Matth. XIII: Aliud cecidit super spinas, et simul exortæ spinæ

suffocaverunt illud. Et quantum ad divinæ religionis cultum " circumcidimini, „ ut scilicet de corde vestro ritum gentilium amoveatis. Deut. x: Circumcidite præputium cordis vestri.

III. *De mortificatione corporis quoad austeritates.*

159. Ad corporis afflictionem spirituales viri, qui spiritus viam non segniter currunt, non sunt multum adhortandi: quia Spiritu Dei acti, et dolore peccatorum incitati, et quotidianarum imperfectionum graveolentia percussi, satis se pronos sentiunt ad carnem multis modis affligendam, nisi forte (quod supra modum omnem assumptam asperitatem superat) morborum ac dolorum gravitate vexentur. Sed alii monendi sunt, qui necdum suam agnoscentes paupertatem, nec carnis adversus spiritum ferociam prævidentes, blande corpus suum tractant, et illud, ut perfectioni serviat, edomare non curant. Hi tamen et reliqui omnes qui se pusillanimes ad affligendum corpus sentiunt, non uno tantum, sed multis incitamentis, tum a necessitate, tum ab utilitate hujus afflictionis petitis, mentem suam ad domandum corpus accendent. Et quidem satis illis deberet sufficere omnium, quos imitari gestiunt, virorum perfectorum exemplum.

160. D. Thomas, explicans illud ad Ephes. v: Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, dicit sic: Quod patet per effectum, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Nam id quod pro viribus conservamus, diligimus; sed quilibet " nutrit et fövet carnem suam „ propter conservationem. — Sed objicit sibi Sanctus: Qui diligit aliquem, non vult nec appetit ab eo separari: sed sancti volunt a carne separari; Rom. vii: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Philipp. i: Desiderium habens dissolvi, etc. Præterea nullus affligit quod diligit: sed sancti affligunt carnem suam in hoc mundo; I. Cor. ix: Castigo corpus meum, etc. Præterea quidam occidunt se, sicut auditum est frequenter. Respondet: Caro potest considerari in se, et sic non habetur odio, sed naturaliter quilibet appetit eam esse, et fovet eam ut sit. Vel potest considerari caro inquantum est alicujus impeditiva quod volumus, et sic odio quodammodo habetur per accidens. Nam omne quod volumus, aut est bonum, aut malum. Si bonum,

vel est finis ultimus, scilicet vita æterna, a qua impedimur per carnem; II. Cor. v: Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino; et quia naturaliter appetimus finem nostrum, ideo vellemus eam abjicere, non sicut malum odio habitum, sed sicut bonum minus dilectum, impediens majus bonum: et sic exponendæ sunt auctoritates adductæ; — vel illud quod volumus est bonum, non ut finis, sed disponens ad finem, sicut sunt habitus virtutum: hoc autem bonum impeditur per carnis lasciviam; et ideo sancti affligunt et macerant carnem suam ut subdatur spiritui. Et sic intelligitur " Castigo corpus meum. „ Hæc ille.

IV. *Cilicium.*

161. Sancti enim corpus suum afflixerunt ciliciis. D. Thomas explicans illud Ps. xxxiv: Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio, dicit: Cilicium est vestis asperrima et pungitiva, ex pilis caprarum. Hic cilicium metaphorice dicitur, si exponatur de Christo, quia non legitur portasse cilicium. Christus ergo dicitur portare cilicium, quia indutus erat carne, non peccatrice quidem, sed habente similitudinem carnis peccati. Et nos etiam portare cilicium debemus, idest pœnitentiam de peccatis; Isa. iii: Et erit pro fascia pectorali cilicium. Tegumento aspero affligere debemus carnes nostras. Talibus ciliciis solebant indui et operiri altaria in Quadragesima. Saccis etiam cilicinis operiebatur antiquitus Tabernaculum Fœderis, ad denotandum quod ecclesiastici spiritualiter debent esse saccis cilicinis velati.

162. Alii dicunt quod cilicium est genus vestis vilissimæ et asperrimæ de pilis caprarum factæ. Et generaliter in Scriptura per cilicium intelligitur pœnitentiæ asperitas et conditionis humilitas. Tali enim veste solebant homines antiquitus se induere in signum humilitatis, et in signum pœnitentiæ et asperitatis, quando eis aliquis adversus casus contingebat. Sicut dicitur Gen. xxxvii de Jacob, qui, audita morte filii, scissis vestibus, indutus est cilicio lugens filium. Unde Judith viii dicitur quod (*Judith*) timebat principem Holofernem; quæ se induit cilicio.

163. D. Thomas explicans illud Psal. XXIX: Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia, dicit: Saccus est pannus austerus, et imponitur renibus tempore tristitiæ, et fit de pilis caprarum; sic facta est caro Christi secundum quod habet similitudinem carnis peccati. Capri enim et hœdi peccatores significant, quia pro peccato offerebantur, ut habetur in Glossa. " Concidisti saccum meum, „ idest scindi permisisti clavis et lancea, et restituisti mihi immortalitatem; et ideo dicit " circumdedisti. „ Si intelligatur de quolibet justo, saccus intelligendus est cum proprietate de veste qua induuntur justi ad mortificandam carnem.

V. *Flagellum.*

164. Flagellum est illud genus verberis quo servos nudatos cædere solebant. Et flagellare est flagello cædere. D. Thomas explicans illud Psal. XXXIV: Et adversum me lætati sunt, et convenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoravi, dicit sic: Ecce afflictio Christi dura, quia a Judæis et gentibus cæsus est; Thren. V: Multi gemitus mei, etc. In Hebræo habetur: " Congregati sunt super me flagellantes. „ Deinde cum dicit: " Et ignoravi, „ idest ad modum ignorantis me habui, tacendo scilicet, non loquendo; Psal. XXXVII: Et ego tamquam surdus non audiebam; Isaiæ LIII: Sicut ovis ad occisionem ducetur; Jerem. II: Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi. Vel " ignoravi, „ secundum æstimationem eorum. — Alia littera habet: " ignorabant. „ Ignorabant enim tria, scilicet quem flagellarent, quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; I. Cor. II. Item causam quare; Joan. XVIII: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? Item effectum iniquitatis: pro hac enim perpetuo sunt privati; Luc. XXI: Et ita populo huic. Hæc ille.

165. D. Thomas, explicans illud Ps. XXXVII: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me mala locuti sunt; quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper, dicit sic: " Nequando supergaudeant mihi inimici mei. „ Si nollent me defendere,

Deus non intueretur me, et sic superarent me hostes et gauderent. — " Et dum commoventur pedes mei, „ Hieronymus ait, " deficio; „ littera nostra habet: " super me magna locuti sunt; „ et dum labuntur pedes mei, etc.; " loquuntur, „ si intelligatur de præterito, sic est sensus: " Dixi: nequando; „ potest hoc referri ad experimentum, quasi dicat: Expertus sum quod gauderent, sed liberarentur pedes mei, etc. Quidam corruunt, quidam labuntur, sed non corruunt; quidam sunt infirmi. " Quoniam ego in flagella paratus sum: „ nullus impatiens nisi in eo quod invitus sustinet: quando igitur est paratus ad sustinendum, non est impatiens. — Consideranda sunt duo genera hominum. Quidam sunt qui hic non flagellantur, sed reservantur æterno igni; Psal. LXXII: In labore hominum non sunt, etc., scilicet hic non corripiuntur; alii sunt qui flagellantur in hoc mundo, quia Deus corripit illos ut filios; ad Hebr. XII: Flagellat omnem filium quem recipit. Gregorius: Signum æternæ reprobationis est, quando Deus nullum flagellum dat homini in hoc mundo. Sic Ambrosius noluit hospitare in domo illius qui semper fuerat in prosperitate. Et ideo dicit: " Quoniam ego in flagella paratus sum. „ Primo ponit dolorem, secundo doloris causam. Est autem consuetudo, quod quando aliquis patitur gravem dolorem, sustinet alium dolorem, ut liberetur ab alio graviori, sicut quando homo sustinet ut liberetur a dolore dentium; et ideo dicit: " Sum paratus ad flagella, „ quia habeo alium dolorem quem volo curare, et ideo dicit " dolor meus, „ scilicet de peccatis. Hæc ille.

166. D. Thomas, explicans illud Psal. XXXVIII: Amove a me plagas meas: Idest flagella tua. Et potest dupliciter exponi, vel de corporalibus flagellis, et hæc sunt exteriora, sicut flagella cæteræque adversitates, quibus homo punitur pro peccato suo a Deo; Jerem. XXX: Plaga inimici percussi te, ergo hæc flagella amove a me. Item sunt plagæ spirituales, idest interiores, sicut remorsus conscientiæ; Psal. XXXV: Arguam te, et statuam contra faciem tuam. Et hos petit removeri. Secundum autem Origenem, causa hujus petitionis est a fortitudine. Flagellatio exterior multum utilis est, inquantum patienter sustinetur: sed quando non fertur patienter, sed deficit et desperat se, est nociva; II. Cor. II: Consolamini eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur. Et ideo timens hoc, petit removere plagas'

quia deficit a fortitudine, idest a violentia percussionis; Isa. VIII: In forti manu erudivit me; I. Reg. V: Fiebat manus Domini gravissima. — Deficit homo tripliciter in flagellis. Unus modus communis est bonis et malis, qui est corporalis; Psal. LXXXVIII: Et in tua ira defeci. Alius est impatientiæ, et hic est malorum; Job IV: Nunc venit super te plaga, et defecisti. Alius modus est bonorum, quo quis deficit a se, et tendit in Deum; Ps. CXVIII: Defecit in salutare tuum anima mea. Et quolibet istorum modorum potest intelligi quod dicitur hic; quasi dicat: Ideo peto quod amoveas a me flagella tua, quia sum correptus quoad tertium modum defectionis: quia " ego defeci a fortitudine „ manus tuæ in increpationibus. Hæc ille.

167. Flagellum est instrumentum de ligno et corrigiis factum ad verberandum. Et signat flagellum correctionem, punitionem, vel castigationem, vel quamlibet carnis vel animi involuntariam læsionem; et est flagellum correctionis, et istud est filiorum, leviter verberans; et punitionis, scilicet peccatorum. Idem dico de disciplina, de qua loquitur Psalmista, Psal. II: Apprehendite disciplinam; et Ps. XVII: Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit; et ad Hebr. XII: Omnes disciplinæ in præsenti; et in eodem capite: In disciplina perseverate sicut filii.

VI. *Jejunium.*

168. Non loquimur hic de jejunio spirituali, scilicet de abstinentia a peccatis, sed de corporali, scilicet de abstinentia ab escis; de quo loquitur D. Thomas 2 2, q. 147, art. 2, in argumento *Sed contra*, adducens auctoritatem D. Isidori: Jejunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum. In corp. dicit quod jejunium est actus virtutis abstinentiæ. — Idem Sanctus in art. 1 quæstionis citatæ perpulchre commendat jejunium propter multos ejus effectus. Assumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit, II. Cor. VI: In jejuniis, in castitate: quia per jejunia castitas conservatur; ut enim Hieronymus dicit: Sine Cerere et Baccho friget Venus, idest per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria. Secundo assumitur

ad hoc ut mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda; unde dicitur Daniel. x, quod per jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. Tertio, ad satisfaciendum pro peccatis; unde dicitur Joel. II: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu. Et hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone de oratione et jejunio: Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.

169. D. Thomas, 2 2, qu. 147, art. 8, quærit utrum convenienter jejunantibus interdicatur abstinentia a carnibus. Et respondet in corp. art. dicendo: Sicut supra dictum est, jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis et venereis. Et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdicit, qui in comedendo maximam habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium et respirantium, et quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus; et ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum. Et sic ex eorum comestione plus superfluit ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis præcipue jejunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum.

170. D. Thomas, Opusc. LX, dicit quod jejunium Christi fuit exemplare. Ut autem discas quam bonum, quam magnum est jejunium, et qualiter est scutum adversus diabolum, et quonam modo post baptismum, non lasciviæ, sed jejunio intendere oportet, ipse jejunavit non eo indigens, sed nos instruens. Bernardus: Denique tanto devotius imitandum est nobis jejunantis exemplum, quanto certius est eum propter nos jejunasse, non propter se ipsum. Debemus autem hoc exemplum imitari secundum possibilitatem nostram. Illud Psal. XXXIV: Humiliabam in jejunio animam meam, exponitur a Sancto dupliciter. Uno modo quod jejunium sit causa humilitatis in justo, et per jejunium intelligatur vita carnalis, ut sit sensus: " Humiliabam, " idest superbiam naturalis vitæ humiliabam, mace-

rando eam. Ps. XCVIII: Genua mea infirmata sunt, a jejunio. Judith VIII: Humiliemus illi animas nostras in spiritu. Item potest dici quod humilitas est socia jejunii; quia quando jejunio non jungitur humilitas, tunc jejunium non est Deo acceptum. Isa. LVIII: Quare jejunavimus et non aspexisti? Quando vero humilitas jejunio jungitur, tale jejunium est Deo gratum; et ideo dicit: " humiliabam in jejunio. „

171. D. Thomas explicans illud I. ad Tim. IV: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, dicit sic: Corporalis exercitatio jejunii et hujusmodi, in sua natura non sunt bona, sed pœnalia; et si homo non peccasset, nihil horum fuisset: sed sunt bona medicinalia. Sicut enim reobarbarum est bonum inquantum relevat a colera, sic et ista inquantum comprimunt concupiscentias: ergo ad istud modicum sunt utilia; I. ad Corinth. IX: Castigo corpus meum et in servitutem redigo; Coloss. III: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Et ideo si homo esset in statu in quo non posset peccare, non indigeret jejunio et hujusmodi. Unde Chrysostomus super illud Matth. XVI: Venit Jesus, etc., dicit: Joannes purus homo indigebat medicina jejunii: Christus Deus erat et non purus homo, et ideo hujusmodi non indigebat; ergo ad modicum utilis est, quia tantum ad morbum peccati carnalis, non spiritualis.

VII. *Vigilia.*

172. Vigilare dicitur animal quando sensus suos exercet: unde vigilia est actus vigilandi. Vigilandum est propter fructum copiosum, quem consequi volumus. Quia si vigilia in præsenti sustinetur, commodum æternæ gloriæ ex hoc finaliter reportatur. Homo sanus, postquam vigilaverit, dormit: alias, si dormire nequit, sanus et incolumis esse nequit. Sic vere si sanitate gratiæ sumus sani, postquam in hoc mundo in bonis operibus vigilaverimus, finaliter in cœli requie dormiemus: si vero per peccatum ægrotamus, tunc de vigilia laborum mundi ad inferni vigilias pertransimus. Nos ergo qui sumus in malitia hujus mundi, ubi hostes infiniti insidiantur, debemus vigilare, et ne pereamus ab hostibus præcavere; quia, sicut dicitur

Lucæ XII, si sciret paterfamilias qua hora fur veniet, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

173. Vigilant ægrotantes suis infirmitatibus objiciendo; quia scilicet aliquæ sunt infirmitates quæ per vigiliam sanantur, sicut est lethargia. Sic vigilia et diligentia contra multas infirmitates valent, et maxime contra lethargiam invidiæ, accidiæ et luxuriæ, quæ dormire faciunt peccatorem. Vigilia enim et sollicitudo auferunt luxum carnis; Eccli. XXXI: Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Vigilandum est propter locum periculosum in quo nos esse videmur. Homo qui est in loco periculi, libenter vigilat, ut patet de illis qui sunt in exercitu et in acie. Unde de gruibus legitur quod inter se de sero quando quiescunt, solent aliquem de suo grege ad vigilandum instruere, ut per ipsum possint hostium pericula præsentire. Cum igitur nos omnes simus in loco periculoso, scil. in exercitu hujus mundi, ubi hostes multiplices nos impugnant (quia, sicut dicitur Job VII, militia est vita hominis super terram), necesse est ut attente ambulemus, ut sic hostium adventum præcaveamus. Ad quod admonet nos apostolus Petrus, I. Pet. V: Fratres, sobrii estote et vigilate, etc.

174. Homo libenter vigilat quando videt gratum socium vel consortium. Homo enim solus solet libenter dormire; ille vero qui gratum habet socium, non sic. Cum igitur vigilando in bonis operibus habeamus socium Christum, et angelos qui nobiscum vigilant et laborant, dico quod ista vigilia non debet esse alicui gravis, sed libens, facilis atque levis. Pauper enim famulus vigilat quando invitat magnos dominos. Ille enim esset reprehensibilis qui dormiret, et suum dominum vigilantem videret; sic et nos, si vigilante Domino dormimus. Ideo ipse conquerens dicit Petro, Matth. XXVI: Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? Quod non bene factum est. Et vere qui Christum ardenter diligeret, libenter cum eo vigilaret. Amethystus enim est lapis qui scintillas igneas emittere videtur, qui, secundum Dioscoridem, hominem facit vigilem, bonum confert intellectum, valet contra ebrietatem, et malam aufert cogitationem. Et sic pro certo, charissimi, si Christum lapidem pretiosum socium habuerimus, ipsumque per amorem portaverimus, ipse pro certo faciet nos vigiles, et diligentes, et prudentes, intelligentes, honeste cogitantes, et ebrietati et etiam luxuriæ resistentes.

VIII. *De discretione in mortificatione servanda.*

175. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Rom. XII: Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, dicit sic: Habet homo bonum proprii corporis, et quantum ad hoc dicit: " Ut exhibeatis, „ scilicet Deo, " corpora vestra, „ sicut quamdam spiritualem hostiam; " Deo viventem, „ ut scilicet hostia nostri corporis, quam Deo offerimus, sit vivens per fidem formatam charitate; " sanctam, „ per devotionem; " Deo placentem, „ scilicet per rectitudinem intentionis. In sacrificii præparatione apponebatur sal. Unde Levit. II: Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies. Sal discretionem sapientiæ significat. Unde dicitur Coloss. ult.: In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sermo vester semper in gratia sit sale conditus. Unde et hic sequitur " rationabile obsequium vestrum, „ scilicet cum discretione corpora vestra Deo exhibeatis hostiam, vel per martyrium, vel per abstinentiam, vel per quodcumque opus justitiæ. Aliter se habet homo justus ad interiores actus, quibus Deo obsequitur, et ad exteriores. Nam bonum hominis et justitia ejus principaliter in interioribus actibus consistit, quibus scilicet homo credit, sperat et diligit. Non autem principaliter consistit in exterioribus actibus. Unde interiores actus se habent per modum finis, qui secundum se quæritur: exteriores vero actus, per quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea quæ sunt ad finem; in eo autem quod quæritur tamquam finis, nulla mensura adhibetur: sed quanto majus fuerit, tanto melius se habet. In eo autem quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem: sicut medicus sanitatem facit, quantum potest; medicinam vero non tantum dat quantum potest, sed quantum videt expedire ad sanitatem consequendam. Et similiter homo in fide, spe et charitate nullam mensuram debet adhibere; sed in exterioribus actibus est adhibenda discretionis mensura. Unde dicit Hieronymus in epistola ad Rusticum: Nonne rationalis homo dignitatem amittit, qui jejunium vel vigilias præfert sensus integritati, ut propter

Psalmorum atque officiorum decantationem, amentiæ vel tristitiæ quis notam incurrat? Hæc ille. Corporis mortificatio sensuumque cohibitio non debet vires naturales carnis aut divinitus datas excedere.

176. D. Thomas explicans illud Psal. x: " Palpebræ ejus interrogant filios hominum, „ dicit sic: Per palpebras significatur discretio, quia sicut palpebræ oculi dirigunt visum, sic discretio moderat humanam sapientiam; Prov. iv: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Ipsa ergo discretio Dei interrogat, i. e. probat et examinat. Idem Sanctus explicans illud Isa. xxxvii: " Ponam frenum in labiis tuis, „ comparat discretionem freno. Corpus est sicut equus quo veheris, mens vero est instar sessoris, quæ corpori, idest equo, insidens, illud habenis et freno discretionis gubernat. Et noli equum tuum ita abstinentia et aliis laboribus macerare, ut media via deficiat. Qualis autem erit ratio, si ipsi intelligentiæ lux discretionis desit? Et sicut per ciborum abundantiam lascivus equus noster aurigam quocumque vult pessime præcipitem fert, ita et per nimium propositum impedit virtutis iter. Et quemadmodum aurigæ non expedit equum ita affluenti saginare præsepio, ut illius lascivis motibus inordinatisque lædatur, et quo ille voluerit circumferatur, dum fervidis ejus ac nimiis viribus nequit obsistere: ita neque virtutis viam cum eo pergere instituenti convenit ex nimia necessarii victus indigentia vires ejus omnino dejicere, ne perpetuis infirmitatis incommodis pressus ac ligatus, inextricabiles ipsius causa labores subire cogatur.

177. D. Thomas, 2 2, q. 88, art. 2 ad 3, dicit quod maceratio proprii corporis, puta per vigilias et jejunia, non est Deo accepta, nisi inquantum est opus virtutis: quod quidem est inquantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, et natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere. Propter quod et Apostolus, Rom. xii, postquam dixerat: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, addidit: rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda vel prætermittenda: ita tamen quod si ex observatione talis voti magnum et manifestum gravamen sentiret, et non esset facultas ad su-

periorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare Hæc ille. Ex qua doctrina sequitur quod in castigando corpore moderationem et discretionem debemus habere. Nam corpus est instrumentum quo multa officia nostræ artis, idest spiritualis vitæ, præstamus. Quod si confractum sit et nimiis asperitatibus attenuatum, potius impedimento nobis erit nec poterit in virtutis operibus adjuvare.

178. D. Thomas, 2 2, qu. 147, art. 1 ad 2: Dicendum quod medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam, ut dicitur in II. Ethic. Ratio autem judicat quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo, quam sibi competeret secundum statum communem: sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda. Et multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda, et bona prosequenda. Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit; quia, ut Hieronymus dicit, non differt utrum magno, vel parvo tempore te interimas: quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit. Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit, ut homo reddatur impotens ad debita opera peragenda. Unde dicit Hieronymus quod rationabilis homo dignitatem amittit quando jejunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert. Hæc ille. Eleganter hoc idem dicit Gregorius: Est enim corpus cythara, vel organum, quod artificiose pulsamus, ut ad sonum ejus laudes decantemus. Quod est officium corporis, nisi organum cordis? Quare ad modum musici instrumenti magnam temperiem exigit: ita scilicet ut chordæ, idest vires ejus, nec præ laxitate non sonent, nec præ nimio rigore rumpantur, nec debitam sibi dispositionem excedant.

179. D. Thomas in IV, dist. XV, q. 3, art. 1, quæst. 2 ad 3, dicit quod necessarium dupliciter accipitur in cibis. Primo ad conservationem vitæ: et tale necessarium non licet subtrahere per jejunium, sicut nec interimere se ipsum; sed hoc necessarium est valde modicum, quia modicis natura contenta est. — Alio modo dicitur necessarium ad conservandam valetudinem corporis, quæ quidem accipitur in duplici statu. Primo, secundum sufficientiam, habito respectu ad ea quæ incumbunt ex of-

ficio, vel ex societate eorum ad quos convivit necessario agenda: et tale etiam necessarium subtrahi non debet. Hoc enim est de rapina hostiam jejunii offerre. — Secundo accipitur valetudo corporis secundum optimam corporis dispositionem, et quia caro in suo robore consistens difficilius spiritui subditur, ideo necessarium ad valetudinem sic acceptam, etsi licite accipi potest, tamen laudabiliter subtrahi potest; et talis subtractio non multum mortem accelerat, cum corpus humanum inveniatur frequentius ex superfluitate, quam ex defectu mortales ægritudines incurrere: unde etiam Galenus dicit quod summa medicina est abstinentia. Inveniuntur etiam ad sensum abstinentes, ut frequenter, diutius vivere, et ideo prædicta subtractio non potest dici mortis occasio, cum se habeat ad utrumque, scilicet ad prolongandam et breviandam vitam; subtractio autem ejus quod non est necessarium, nec hoc, nec illo modo est de necessitate virtutis temperantiæ. Hæc ille. Corpus ergo nostrum ut ægrotum in lecto jacentem aspiciamus, cui noxia denegantur, salubria vero conceduntur: ita corpori necessaria tribuamus, superflua vero et illicita denegemus. Non occidamus illud, siquidem ipsius resurrectionem et speramus et appetimus; sed magis cohibeamus, et ab omni immunditia separemus, ut jam in se ipso aliquam formam exprimat illius vitæ gloriosæ quam sperat. Portet onus jejuniorum, vigiliarum et aliarum asperitatum, quod potest: in cæteris illi parcamus, ne nos in media via deserat, et prorsus impotentes ad laborandum derelinquat.

180. D. Thomas explicans illud Job XXIV: Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium, dicit sic: Quasi a contrario vitio in contrarium transeat, quod in medio virtutis non manet; et ista pœna consequitur omnes malos, quia inordinatus animus sibi ipsi est pœna. Et explicatur sic: Frigiditas peccata, et calor justitiam significat. Quid est ab aquis nivium ad nimium calorem transire, nisi in malis et in bonis eos nimios esse, et nullam mensuram servare?

4. (Pag. 189) Quæst. 2, Disput. 5, post art. 4.

I. *Convenienter indicitur hominibus oratio, per quam obtineant quæ a Deo sperant.*

181. D. Thomas in secunda parte Opusc. II, cap. 2, dicit: Quia vero secundum divinæ Providentiæ ordinem unicuique attribuitur modus perveniendi ad finem secundum convenientiam suæ naturæ, est etiam hominibus concessus congruus modus obtinendi quæ sperant a Deo, secundum humanæ conditionis tenorem. Habet enim hoc humana conditio ut aliquis interponat deprecationem ad obtinendum ab aliquo, præsertim superiori, quod per eum se sperat adipisci; et ideo indicta est hominibus oratio, per quam homines a Deo obtineant quod ab ipso consequi sperant. — Aliter tamen necessaria est oratio ad obtinendum aliquid ab homine, aliter a Deo. Interponitur enim ad hominem primum quidem ut desiderium orantis et necessitas exprimatur; secundo ut deprecati animus ad concedendum flectatur: sed hæc in oratione quæ ad Deum funditur, locum non habent. Non enim in orando intendimus necessitates nostras aut desideria Deo manifestare, qui omnium est cognitor. Unde Psal. (Ps. XXXVII) dicit ei: Domine, ante te desiderium meum. Et in Evangelio dicitur, Matth. VI: Scit Pater vester quia his omnibus indigetis. Nec etiam divina voluntas verbis humanis flectitur ad volendum quod prius noluerat, quia, ut dicitur Num. XXIII, non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur; nec pœnitudine flectitur, ut dicitur I. Reg. XV. Sed oratio ad obtinendum a Deo est homini necessaria propter ipsum qui orat, ut scilicet ipsemet suos defectus consideret, et animum suum flectat ad ferventer et pie desiderandum quod orando sperat obtinere; per hoc enim ad recipiendum idoneus redditur.

182. Est autem et alia differentia consideranda orationis quæ ad Deum et hominem fit. Nam ad orationem quæ fit ad hominem, præexigitur familiaritas, per quam sibi deprecandi

aditus pateat: sed ipsa oratio quæ ad Deum emittitur, familiares nos facit Deo, dum mens nostra elevatur ad ipsum, et quodam spirituali affectu Deo colloquitur, in spiritu et veritate ipsum adorans; et sic familiaris affectus orando aditum sibi parat ut iterum fiducialius oret. Unde dicitur in Ps. LXXXVII: Ego clamavi, scilicet fiducialiter orando; quoniam exaudisti me, Deus: quasi (*Psaltes*) per primam orationem in familiaritatem receptus, secundo fiducialius clamet: et propter hoc in oratione divina assiduitas, vel petitionum frequentia non est importuna, sed reputatur Deo accepta. Oportet enim semper orare et non deficere, ut dicitur Lucæ VIII. Unde et Dominus ad petendum invitat dicens, Matth. VII: Petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis. In oratione vero quæ ad hominem fit petitionum assiduitas redditur importuna. Hæc ille.

183. Idem Sanctus in eadem 2 p. Opusc., c. 7, dicit: Oportet considerare quæ sunt ea quæ a Deo sperare debemus. Ubi considerandum est quod spes desiderium præsupponit; unde ad hoc quod aliquid sit sperandum, primo requiritur quod sit desideratum. Quæ enim non desiderantur, sperari non dicuntur, sed timeri, vel etiam despici. — Secundo oportet quod id quod speratur, possibile esse æstimetur ad consequendum, et hæc spes supra desiderium cadit. Potest enim homo desiderare etiam ea quæ non æstimat se posse adipisci, sed horum spes esse non potest. — Tertio requiritur quod id quod sperandum est, sit aliquid arduum. Nam ea quæ parva sunt magis despicimus quam speramus: vel si ea desideramus quasi in promptu ea habentes, non videmur ea sperare quasi futura, sed habere quasi præsentia. — Ulterius autem considerandum est quod arduorum, quæ quis sperat se adepturum, quædam aliquis sperat adipisci per alium, quædam vero per se ipsum; interque hoc differre videtur quod ad ea obtinenda quæ per se homo consequi sperat, conatum propriæ virtutis adhibet; ad ea vero obtinenda quæ ab alio consequi sperat, interponit petitionem. Et si quidem ab homine illud adipisci sperat, vocatur simplex petitio; si autem sperat illud obtinere a Deo, vocatur oratio, quæ, ut Damascenus dicit, est petitio decentium a Deo. Non autem ad virtutem spei pertinet spes, quam habet aliquis de se ipso, nec etiam quam habet de alio homine: sed solum spes quam habet de Deo. Unde dicitur Jerem. XVII: Maledictus

homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum; et post subditur: Benedictus homo qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Sic igitur ea quæ Dominus in sua oratione petenda docuit, ostenduntur homini esse consideranda possibilia et tamen ardua, ut ad ea non humana virtute, sed divino auxilio perveniatur. Hæc ille.

184. D. Thomas explicans illud Matth. xxvi: Oravit tertio, dicit: Ter oravit, ut nos a malis præsentibus, præteritis et futuris liberaret. Item, ut orationem nostram doceret ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum dirigendam. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Item ut trina oratione, trinam Petri negationem liberaret. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Item ter oravit contra tres timores. Est enim timor contra concupiscentiam. Est autem triplex concupiscentia: curiositatis, superbiæ et carnis; et hæc triplex tangitur I. Joan. ii: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Isti triplici concupiscentiæ triplex timor respondet, scilicet concupiscentiæ carnis, timor doloris; concupiscentiæ oculorum, timor paupertatis; concupiscentiæ superbiæ, timor opprobrii et ignominiæ. Et hæc passus est Christus, non quia indigeret, sed pro nobis. Hæc ille.

II. *Multoties anima in oratione pascitur bonis spiritualibus, et habet delectationem spiritualem, et habet scientiam experimentalem*

185. D. Thomas explicans illud Ps. xxxvi: Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus, dicit: " Spera in Domino, „ idest sperate habitum boni Domini, idest ipsum Dominum; Psal. xv: Dominus pars hæreditatis meæ; I. Pet. i: Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem. Et hic est finis intentus. Vel: " spera in Domino, „ idest in Deo, scilicet de auxilio Domini. Eccli. ii: Qui timetis Deum. Secundo dicit quod conatur ad acquirendum finem bona operando. Et ideo subjungit: " Et fac bonitatem, „ idest omnia opera virtutum; Psal. xxxiii: Declina a malo et fac bonum. Deindo cum dicit: " Et inhabita terram, „ ostendit ubi quæ-

rendæ sunt divitiæ. Hoc non potest intelligi de materiali terra; quia etiam injusti inhabitant eam: sed exponitur de quadruplici terra. Et primo de terra viventium, quæ est gloria; Ps. XXVI: Credo videre bona Domini in terra viventium, quam inhabites per desiderium; Philipp. III: Nostra conversatio in cœlis est. — Item de anima tua; Luc. VIII: Quod autem cecidit in terram bonam, etc. Et hanc inhabites semper ad conscientiam revertendo; Sap. IX: Intrans in domum, conquiescam cum illa. — Tertia terra est Ecclesia militans. Psal. LXIV: Visitasti terram, et inebriasti eam. Et hanc inhabites per confessionem fidei, non recedendo ab Ecclesia. — Quarta terra est propriæ carnis; Genes. III: Spinas et tribulos germinabit tibi. Et hanc inhabites extirpando vitia et inserendo virtutes. Consequenter ostendit quod abundanter hæ divitiæ tribuentur, cum dicit: " et pasceris in divitiis ejus, „ vel cœlestis patriæ, vel Ecclesiæ, vel jucunditatis orationis, vel abstinentiæ carnis. Hieronymus habet: " Peregrinare in terra, pascere fide, „ idest sis sicut peregrinus, non reputando terrena, " et pascere fide „ per fidem possidendo invisibilia. Hæc ille.

186. D. Thomas, Opusc. LVIII, cap. 19, loquens de spirituali delectatione, adducit primo illud Isa. LV: Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra, idest in dulcedine spiritualis gratiæ; Sap. VIII: Intrans in domum meam, conquiescam cum Dei sapientia, idest cum Christo, qui est sapida scientia. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium, et amicitia illius delectatio bona. Ps. XXX: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Cantic. III: Mel et lac sub lingua tua, idest dulcedo spiritualis in meditatione cordis. Hæc dulcedo spiritualis est quædam prægustatio gaudii cœlestis, valens contra tria mala quæ sunt in mundo.

187. Ibi est falsa dulcedo in delectabilibus utendis; Prov. IX: Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior; sed dulcedo falsa est, quia animæ perditio. Job XXXIV: Dulcedo illius vermis; Eccli. IX: Sicut pisces hamo capiuntur, sic homines tempore malo. Esca foris delectat, sed aculeus intus perforat. Dulcedo spiritualis valet contra hanc dulcedinem, quia falsam dulcedinem mundi facit insipidam; Prov. XXVII: Anima saturata calcabit favum; Gregorius: Gustato spiritu,

desipit omnis caro; Philipp. III: Quæ mihi fuerunt lucra arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem arbitror omnia ut stercora. De beato Augustino dicitur: Displicebat ei quidquid agebat in sæculo.

188. Ibi est grandis amaritudo in adversis sustinendis; Ps. CIII: Hoc mare magnum et spatiosum: quia scilicet in hoc mundo magna et multa amaritudo; Jerem. III: Cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis; Job XIII: Homo natus de muliere, etc. Dulcedo spiritualis valet contra hanc amaritudinem; Deut. XXXIII: Inundationem maris quasi lac sugent, idest boni repleti dulcedine spirituali vincunt amaritudinem mundi; IV. Reg. II: Eliseus misit sal in aquas maris, et in dulces conversæ sunt. Sic Christus spirituali sapore sanat amaritudinem. Hinc Stephano lapides torrentis dulces fuerunt, et multis sanctis ardentes prunæ, candentes vestes visæ sunt tamquam rosæ suaves, et multi sancti gaudent in tribulatione.

189. Ibi est tristis imago in bonis faciendis; Matth. IX: Dixit Dominus cuidam diviti: Vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et sequere me; qui contristatus in verbo abiit mœrens. I. Regum XXV: Dixerunt pueri David ad Nabal: Quodcumque invenerit manus tua, da pueris tuis et servo tuo David. Qui respondit: Tollam panes meos et aquam et carnes, et dabo viris quos nescio unde sint? Genes. IV: Factum est post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, et non respexit ad munera ejus. Hujus causa fuit quia male obtulit, scilicet de tristi corde et facie. Contra hoc valet dulcedo spiritualis; Daniel. I: Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio: vultus eorum quos panis satiavit, qui de cœlo descendit. Dicit Glossa: Apparuerunt meliores decore et hilaritate ad benefaciendum; Prov. XIII: Cor gaudens exhilarat faciem; II. Cor. IX: Hilarem datorem diligit Deus.

190. D. Thomas explicans illud Joan. I: Venite et videte, dicit: Quia habitatio Dei sive gloriæ, sive gratiæ cognosci non potest nisi per experientiam, nam verbis explicari non potest; Apoc. II: In calculo nomen meum, etc. Et ideo dicit: " Venite et videte; „ venite, credendo et operando; et videte, experiendo et intelligendo. — Notandum autem quod quatuor modis

pervenitur ad hanc cognitionem. Primo per bonorum operum actionem, unde dicit: " Venite; „ Psal. XLI: Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Secundo per mentis quietem seu vacationem; Psal. XLV: Vacate et videte. Tertio per divinæ dulcedinis gustationem; Psal. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Quarto per operationem devotionis; Thren. VI: Levemus corda nostra cum manibus orando, etc. Et ideo dicit Dominus, Lucæ XXIV: Palpate et videte.

III. *Hic ponuntur quæ desunt in articulis præcedentibus.*

191. In articulo primo Disputationis Secundæ addendum est: D. Thomas explicans illud Is. XXXVIII: Attenuati sunt oculi mei, dicit: Quia oculi attenuantur, primo, per depressionem; Isa. II: Oculi sublimes hominum humiliati sunt. Secundo, per luminis oppressionem; Prov. XXVI: Qui scrutator est majestatis, opprimetur gloria. Tertio, propter cogitationis pravitatem; Job XXXVI: Omnes homines vident cum unusquisque intuetur procul. — Idem Sanctus, super illa verba ejusdem capitis: Quia sunt oculi excelsi, dicit sic: Primo, per cordis elationem; Psal. CXXX: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Secundo, per inquisitionis curiositatem; Job XVIII: Quasi magna cogitans attonitos habes oculos. Tertio, per contemplationem; Isaiæ XL: Leva in excelsum oculos, et vide jucunditatem quæ venit tibi.

192. In articulo secundo Disput. Septimæ, in titulo De præparatione, addendum est: D. Thomas explicans illud Joan. XXI: Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem, dicit: Christus exhibet familiare convivium. Et primo convivii præparatio. Præparatio convivii describitur primo quantum ad ea quæ a Christo præparata sunt; secundo quantum ad ea quæ a discipulis suis allata. — A Christo autem sunt præparata tria. Primo, piscis et panis, unde dicit: " Ut ergo descenderunt de navi in terram, viderunt prunas „ quas Christus sua potestate creavit ex nihilo, vel ex aliqua præcedenti materia formavit. Et, ut dicit Joan. VI, pavit turbam de panibus multiplicatis. Hic autem post passionem suam miraculose de novo creat, vel format,

quia jam non est tempus infirmitatis ostendendæ, sed potestatis manifestandæ. Nam id quod supra fecit ante passionem fuit condescensionis, quia, si voluisset, potuisset de novo creare, vel formare. Per hoc autem datur intelligi quod in convivio spirituali præparatur a Christo aliquid. Et si convivium hoc sumatur allegorice pro convivio Ecclesiæ, sic Christus ista tria præparat, scilicet prunas charitatis; Prov. xxv: Hæc autem faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Ezech. x: Imple navem tuam prunis ignis. Has prunas Christus de cœlo portavit ad terras; Joan. xiii: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Item Lucæ xii: Ignem veni mittere in terram.

193. Item, præparat piscem suppositis prunis, qui est Christus. Nam piscis assus est Christus passus, qui super prunas ponitur quando ex incendio charitatis ad nos immolatur in cruce; Ephes. v: Obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Item idem: Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Item: præparat panes quibus reficitur, qui est ipse. Nam inquantum Christus latet per suam divinitatem, dicitur piscis, cujus proprietas est latere sub aquis; Isa. xlv: Vere tu es Deus absconditus. Sed inquantum nos reficit per doctrinam, et etiam dat nobis corpus suum in cibum, vere panis est; Joan. vi: Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi; Isa. xxx: Panis frugum terræ tuæ erit uberrimus et pinguis. Sed ad hoc convivium debet afferri aliquid ex parte ministrorum Ecclesiæ, sed tamen nihil nisi præexistat nobis a Deo.

194. Dixit eis Jesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Præcepit autem ut afferrent de piscibus ab eis captis, quasi diceret: Ego dedi donum charitatis, assavi corpus in cruce, et proposui vobis panem doctrinæ, ex quo perficitur et roboratur Ecclesia; vestrum est ut vos alios capiatis, et isti sunt qui convertuntur ad prædicationem apostolorum; Ps. xxviii: Afferte Domino Filii Dei; Isa. ult.: Adducetis omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. Si autem convivium sumatur pro convivio morali, sic Christus ad convivium animæ præparat primo charitatem; ad Rom. v: Charitas Dei diffusa in cordibus; Luc. xii: Ignem veni mittere in terram. Item piscem, idest fidem absconditam, Hebr. ii. Item panem

idest solidam doctrinam; Hebr. VI: Perfectorum autem est solidus cibus. Ad quod convivium ex parte nostra requiritur ut bene utamur gratia nobis concessa; I. Cor. XV: Gratia Dei sum id quod sum; et gratia ejus in me vacua non fuit; unde præcipit: " Afferte de piscibus, „ idest portetis vestra bona opera.

195. In eodem art., in titulo De gratiarum actione, addendum est: D. Thomas explicans illud Psal. XXIX: Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus, dicit sic: Psallite vos, sancti, quia, Eccli. XV: Non est speciosa laus in ore peccatoris; Apoc. XIX: Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus. Sed de quo? " Confitemini, „ gratias agendo, „ memoriæ sanctitatis ejus. „ Uno modo " memoriæ „ potest intelligi, quia Deus memor est nostri; Jerem. II: Recordatus sum tui, etc. Et dicit " sancti ejus. „ Et dupliciter potest intelligi: vel quia hæc memoria venit ex sanctitate, idest ex misericordia et bonitate sua; Levit. II: Sancti estote, quia ego sanctus sum; vel quia memor est nostri, ut sanctificet nos; Levit. II: Ego Dominus, qui sanctifico vos. Alio modo " memoriæ „ scilicet vestræ, quia nos recordamur sanctitatis Dei; quasi dicat: Confitemini memoriæ sanctitatis ejus; Isaiæ LXIII: Miserationum Domini recordabor.

196. D. Thomas explicans illud Psal. XXX: Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita, dicit sic: " Benedictus Dominus, „ quasi dicat: Ex huo protectus est hic populus sanctorum a Deo, nihil aliud restat nisi benedicere Deum, idest tribuere hoc ejus bonitati; Tobiæ XII: Benedicite Deum, et enarrate omnia mirabilia ejus. Et quare? " Quia mirificavit, „ idest mirabilia fecit, " misericordiam suam mihi. „ Tunc enim videtur homo teneri ad gratiarum actiones, quando mirabiliter liberatur a magnis periculis. Et quomodo mirificabitur? " In civitate munita. „ Hebræi habent " obsessa. „ Hoc autem potest referri ad duas intentiones, et utrumque misericordiam Dei ostendit mirabiliter: quia in civitate munita ita liberavit me, quia facit me sicut civitatem munitam contra mala. Et hæc civitas est Ecclesia; Jerem. I: Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æneum. Vel " in civitate obsessa „ similiter mira misericordia est, quia sumus liberati a majori malo. Periculum enim magnum perferunt obsessi, et

ideo dicit: " etiam in civitate obsessa, „ seu circumdata; et tamen liberavit me, velut centrum a circumferentia. Circumferentia namque ponitur in gyro, centrum in medio: Populus Judæorum qui in medio erat gentium, qui circumstabat Judæam, ubi dicebantur laudes Deo, ubi sacrificia offerebantur, ubi prophetæ non cessabant. Modo autem in omnibus gentibus circumstantibus diffusa est misericordia Dei; Marc. ult.: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Hæc ille.

5. (Pag. 258) Quæst. 2, Disp. 6, post art. 13.

Hic ponuntur quæ desunt in capitibus de meditatione.

197. In art. 4 addendum est: D. Thomas, Opusc. LX, art. 14, dicit: Christus multa docuit in parabolis, ut dicitur Matth. XIII. Quod quidem conveniens fuit, tum quia connaturale est homini, ut per sensibilia deveniat in cognitionem intelligibilium, ut dicit Dionysius, I. Cœlest. Hierarchiæ. Nam impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, idest conclusum diversis figuris Scripturæ ipsum repræsentantibus. Tum etiam propter simplicitatem quorumdam audientium, ut qui cœlestia capere non poterant, per similitudinem terrenam audita percipere potuissent, ut dicit Glossa Matth. IV. Et subauditur ibi in Glossa quod parabola græce, similitudo dicitur latine, quando quod intelligi volumus, per quasdam comparationes indicamus, ut ferrum dicitur ad aliquid durum, et rem velocem ventis comparamus. Tum etiam ut indignis divina mysteria occultentur; unde Luc. III: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; Glossa: Secreta Scripturarum.

198. In art. 10 addendum est: D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. Cor. XIV: Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? dicit sic: Hoc dupliciter potest intelligi, scilicet vel linguis ignotis, vel, ad litteram, quibuscumque signis non intellectis. " Quid

autem prodero nisi loquar vobis aut in revelatione? „ Ubi notandum est quod ista quatuor, scilicet: " aut in revelatione, etc., „ possunt dupliciter distingui. Uno modo penes ea de quibus sunt: et sic sciendum est quod illustratio mentis ad cognoscendum est de quatuor, quia vel est de divinis, et hæc illustratio pertinet ad donum sapientiæ. Divinorum, ut dictum est cap. 2, est revelatio, quia quæ sunt Dei nemo novit, etc.; et ideo dicit: " in revelatione, „ qua scilicet illuminatur mens ad cognoscendum divina. — Vel est de terrenis, et non de quibuscumque, sed de illis tantum quæ sunt ad ædificationem fidei: et hoc pertinet ad donum scientiæ; et ideo dicit: " in scientia, „ non geometriæ, vel astrologiæ, quia hoc non pertinet ad ædificationem fidei, sed in scientia quæ est sanctorum; Sap. x: Dedit illi scientiam sanctorum. — Vel est de eventibus futurorum: et hoc pertinet ad donum prophetiæ; et ideo dicit: " aut in prophetia; „ Sap. VIII: Signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. Notandum autem quod prophetia non accipitur hic communiter, scilicet secundum quod supra dictum est: sed accipitur hic particulariter, prout est manifestatio futurorum tantum; et secundum hoc diffinitur a Cassiodoro: Prophetia est divina inspiratio rerum futura immobili veritate denuntians. Eccli. XXIV: Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. — Vel est de agendis moralibus: et hoc pertinet ad doctrinam; et ideo dicit: " aut in doctrina. „ Rom. XII: Qui docet in doctrina. Hæc ille.

199. In art. 11 addendum est: D. Thomas, Opusc. LX, art. 24, dicit: Sunt autem tria quæ disponunt ad æternam mentis illustrationem. Primum est in abstractione transitoriæ dulcedinis; unde Isa. XXVIII: Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Abstractum a lacte, et avulsum ab uberibus, scilicet terrenæ consolationis vel delectationis. Unde super illud Joan. I: Mundus eum non cognovit, dicit Chrysostomus: Mundum vocat homines qui soli mundo affixi sunt, et quæ mundi sunt. Nihil autem ita turbat mentem, et liquefieri facit amore præsentium. — Secundum in approximatione ad fontem luminis. Unde in Psal. XXXIII: Accedite ad eum, et illuminamini. Augustinus: Anima inter Deum et creaturas media posita, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur; conversione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur

— Tertium consistit in interiori mentis dilatatione, quæ fit per conatum hominis ipsius. Unde in Psal. LXXX: Dilata os tuum, Glossa: Cordis; et implebo illud; Glossa: Pane vitæ et intellectus. Hæc ille.

200. In art. 12 addendum est: D. Thomas, Opusc. LX, c. 1, adducit admirabilem allegoriam lucis, fundatam in illis verbis: Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. In quibus verbis, dicit Sanctus, mystice circa angelicam visionem duo sunt notanda: divini scilicet luminis emanatio, et humanæ mentis ad Deum reductio. — Primum ibi: " Missus est Angelus a Deo. „ Ad cujus evidentiam sciendum est quod per angelum significatur divinum lumen. Est enim angelus signaculum similitudinis Dei, Ezech. XXVIII. Sic et lumen divinum signaculum est quo fideles signantur, et ab infidelibus distinguuntur. Unde in Ps. LXXXVIII: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Ubi dicit Augustinus: Hoc lumen est totum et verum bonum hominis quo signatur, ut denarius regis imagine. Quod autem angelus Gabriel nuncupatus est, quod interpretatur Fortitudo Dei, hoc signat quod divino lumine intellectus humanus divinitus roboratur et elevatur supra facultatem naturæ suæ, ut ipsum fontem luminis in suo lumine contempletur. Unde in Psal. XXXV: In lumine tuo videbimus lumen. Augustinus: Sicut solem non videt oculus nisi in lumine solis, sic verum et divinum lumen non potest videre intelligentia, nisi in ipsius lumine. Quod autem missus a Deo legitur, hoc signat emanationem divini luminis a Deo, qui est fontanale principium totius luminis; unde Jac. I dicitur Pater luminum, quia ab ipso procedunt, quasi radius a sole, ut dicit Glossa. Eccli. XXIV: Ego feci in cœlis, idest in angelis et animabus, ut oriatur lumen indeficiens; Glossa: Rationis et intelligentiæ. Isa. XLV: Ego Dominus, et non est alter; Glossa: Scilicet Deus, formans lucem, scilicet per præsentiam gratiæ, et creans tenebras, per ejus absentiam.

201. Secundum ibi: " In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. „ Ubi circa reductionem humanæ mentis in Deum, juxta sensum mysticum, videlicet terminus, motus et fructus. — Terminus reductionis est principium emanationis, et innuitur in nomine civitatis; dicitur enim civitas quasi civium unitas: unde significat unitatem fidelium in Deo, de qua dicitur

Actor. I: Erat illis cor unum et anima una in Deo; et hoc est terminus reductionis, ut ipsi Deo uniamur, a quo per creationem exivimus. Apoc. I: Ego sum alpha et omega. Dionys., I cap. Cœlest. Hierarchiæ: Omnis manifestationis luminis processio in nos large proveniens convertit nos ad congregantis Patris unitatem, quia in ipso congregamur et secundum intellectum et secundum affectum. Recedendo enim ab ipso dispergimur, prima principia cognoscendo, et varias in singulis rebus rationes diligendo; redeundo vero in ipsum, in unum principium et rationem unam diligendi reducimur. Nemo enim repente fit summus, ut ait Bernardus. Sicut enim divinum lumen gradatim decrescendo, in nos descendit gradatim, quia lex divinitatis est per prima media et per media ultima reducere decrescendo, quia non recipitur æqualiter in natura inferiori ut est in superiori, et pro tanto dicuntur dona tam naturalia quam spiritualia descendere. Jacob. I: Omne datum optimum, etc. Ita quod contrario modo per ipsum lumen in Deum reducimur gradatim, et crescendo; unde Psal. LXXXIII: Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion; Glossa: In plenitudine contemplationis. Prov. IV: Justorum semita sicut lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem; Glossa: æternam vitam, quæ est perfecta dies.

202. Fructus reductionis innuitur in nomine Nazareth, quod interpretatur Flos, vel Germen. Sumitur autem metaphorice in spiritualibus. Fructus enim florentis arboris est bonum ultimum quod expectatur, et percipitur cum suavitate, unde significat beatissimam fruitionem Dei; Prov. XI: Fructus justi lignum vitæ. Glossa: Hunc fructum vita justi expectat, dum quasi virens folium germinat. Bernardus: Da mihi, Domine, fructum dulcem, fructum vitæ; attolle desiderium. Alius est benedictus: sanctifica obsequium; imputribilis, purifica affectum; suavis est, lætifica animam. Hujus fructus dulcedinem devotæ animæ quandoque degustant. Cant. II: Sub umbra illius quem desideraveram sedi; Glossa: Postquam me protexit umbra, fructu illius, idest cœlesti dulcedine saturata sum. Hæc ille.

203. In art. 4, Disput. IX, addendum est: D. Thomas, explicans illud Joan. IV: Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, dicit sic: Corporales vel carnales cupiditates et con-

cupiscentiæ, licet ad bonum sedetur appetitus, tamen sitiet iterum, quia insatiabilis est delectationis appetitus: sed qui biberit ex hac aqua, scilicet spirituali, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

204. Objicit D. Thomas illud Eccli. XXIV: Qui biberit me, adhuc sitiet. Quomodo non sitiet in æternum? Respondet Sanctus dicendo quod utrumque est verum, quia qui bibit ex aqua quam Christus dat, et sitiet adhuc, et non sitiet: sed qui bibit ex aqua corporali, sitiet iterum, et hoc propter duo. Primo, quia aqua materialis et corporalis non est perpetua, nec causam perpetuam habet, sed deficientem. Sap. V: Transierunt hæc omnia quasi umbra. Aqua vero spiritualis causam perpetuam habet, scilicet Spiritum sanctum, qui est fons vitæ nunquam deficiens. Vel aliter: res corporales causant sitim non sui ipsius, sed alterius; res spirituales causant sitim sui ipsius; Psal. XLI: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.

.6. (Pag. 343) Quæst. 2, Disp. 8, post art. 10.

I. *De conscientiæ examine.*

205. D. Thomas, Opusc. LXIV, in principio, dicit: Quoniam fundamentum et janua virtutum, omnisque gratiæ ac spiritualis consolationis principium, est conscientiæ puritas ac cordis munditia, ad quam acceditur per examen conscientiæ et per confessionem peccatorum; nos qui vocati sumus ad statum gratiæ et ad acquirendas virtutes, ac vitanda vitia, de sufficienti examine conscientiæ, ut decet viros ad statum perfectionis electos, cum summa diligentia et sollicitudine continua præ cæteris mortalibus principaliter est videndum. Conscientia, ex D. Thoma, 1. p., qu. 74, art. 13 et multis aliis locis, definitur: Applicatio scientiæ ad ea quæ agimus.

206. Examen conscientiæ, ex eodem Sancto, et multis in locis quos citabimus, diffinitur: Subtilis exquisitaque discussio, qua cogitationes, desideria, verba et actiones nostras expendimus, et mala ac bona a nobis gesta retractamus. Specialiter Opusc. LXIV, fol. 105, col. 3: Studeas semel in die examinare quomodo tempus expendisti, et discurre per singulas horas

cogitando in quibus fuisti, aut cum quibus personis, quid cogitasti, quid dixisti, quid audivisti, quid fecisti, ut cognoscas relaxationes linguæ, cordis et sensuum; in quibus et quomodo offendisti, aut dedisti aliis materiam offendendi, et sic ordina in mente tua, sicut ea fueris memor commisisse.

207. D. Thomas, explicans illud D. Pauli, I. Cor. IV: Sed neque meipsum judico, dicit sic: Sciendum est quod judicio discussionis, de quo Apostolus hic loquitur, quilibet debet judicare se ipsum, secundum illud Psal. LXXVI: Exercitabar, et scopebam spiritum meum. Eamdem doctrinam tenet super cap. XI, super illa verba: Quod si nosmetipsos dijudicaremus, redarguendo et puniendo peccata, non utique judicaremur. Et idem Sanctus, 3 p., q. 80, art. 4, ad 5, dicit quod quando aliquis est negligens in examinatione sui ipsius, peccat, secundum illud D. Pauli, I. Cor. XI: Probet autem se ipsum homo. — Qui non se frequenter examinant, vitam rectam atque perfectam habere vix possunt: nam conscientiæ propriæ discussio regula est quæ perfecte actiones nostras dirigit, et quid in eis flexuosum, quid rectum, quid Deo invisum, quid gratum ostendit. Si ergo artificibus regula necessaria est, ut opera sua juxta præscriptum artis faciant, et viris spiritualibus examinatio operum et cogitationum necessaria est ut recte vivant, et juxta virtutis præscriptum suam vitam instituant.

208. Istud examen et ista discussio est necessaria, quia peccata detegit, et lucem ad ea cognoscenda ac sapientiam impertit. Qui enim judicio et examine bona sua opera a pravis operibus, vel affectibus offuscantibus separant, se ad divinæ lucis irradiationem præparant. Dominus in extremo die homines judicaturus, prius eorum conscientias discutiet, et examine manifestabit, ut postea bonis præmia cumulatissima, malis autem acerbissimas pœnas exsolvat. Quare, ut Paulus ait, nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.

II. *Testimonium conscientiæ habet tres gradus.*

209. D. Thomas explicans illud Job, cap. IX: Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem osten-

dere, pravum me comprobabit; etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ, dicit sic: Habet testimonium conscientiæ tres gradus. — Quorum primus est quando alicui conscientia sua testimonium reddit quod sit justus, secundum illud Rom. VIII: Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod simus filii Dei. Sed hoc testimonium non valet contra divinam reprehensionem; unde dicit: " Si justificare me voluero, „ idest, si voluero dicere me esse justum, Dominus mihi objiciet quod sim impius: " Os meum condemnabit me, „ idest condemnabilem me reddet propter blasphemiam. — Secundus gradus est quando aliquis, etsi non præsumat esse justus, tamen non reprehendit eum conscientia de aliquo peccato, secundum illud I. Cor. IV: Nihil mihi conscius sum: sed nec hoc testimonium valet contra Deum. Unde dicit: " Si innocentem ostendere, „ idest, si innocentem voluero me ostendere, et esse sine peccato, " pravum me comprobabit, „ in quantum mihi vel aliis manifestabit peccata, quorum mihi non sum conscius, quia, ut dicitur in Psal. XVIII, Delicta quis intelligit? — Tertius gradus est quando aliquis, etsi sit sibi conscius de peccato, tamen præsumit vel quia non habuit malam intentionem, aut quia non fecit illud ex malitia, vel dolo, sed ex ignorantia et infirmitate; sed nec hoc testimonium valet homini contra Deum; ideo addit: " Etiamsi simplex fuero, „ idest sine dolo, vel duplicitate pravæ intentionis, " hoc ipsum ignorabit anima mea. „ Homo enim non potest ad liquidum motum sui affectus comprehendere, tum propter variationem ejus, tum propter permixtionem et impetum multarum passionum; propter quod dicitur Jerem. XVII: Pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscit illud? Et propter hujus ignorantiam, quod homo seipsum non cognoscit, nec statum suum, redditur etiam justis sua vita tædiosa, et propter hoc subdit: " Et tædebit me vitæ meæ. „ Hæc ille.

210. Istud examen et ista discussio est necessaria, quia sine illa nemo, ut par est, suorum erratorum detestationem concipit. Non videbat se patiens Job, et ideo non erubescebat: immo quasi penitus innocens de sua se innocentia jactabat, et de tantis miseriis sibi a Domino illatis conquerebatur. At postquam se ipsum nova quadam et magis intima revelatione

conspexit, et suam vilitatem agnovit, querimonias ponit, et vultum pœnitentis assumit, cap. XXIV: Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. D. Thomas: Scilicet olim, cum insipienter loquerer; " nunc autem oculus meus videt te, „ idest plenius te cognosco quam prius, sicut id quod videtur oculis, certius cognoscitur quam quod aure auditur: profecerat enim tum ex percussione, tum ex revelatione divina. Quanto aliquis magis Dei justitiam considerat, tanto plenius culpam suam recognoscit. Unde subdit: " Ipse me reprehendo, „ propriam scilicet culpam considerando.

211. Istud examen et ista discussio est necessaria, quia sine illa communiter culparum nostrarum remissionem nequaquam consequimur. Maria Magdalena prius sui corporis fœditatem aspexit; deinde ad pedes Domini flevit, et suas iniquitates doluit, et tandem veniam impetravit, et verba illa ex ore Domini audivit: Dimittuntur tibi peccata tua. De qua Gregorius ait: Quia turpitudinis suæ maculam aspexit, lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit. Si autem maculas suas non aspexisset, absque dubio ad balneum miserationum Domini, quo mundata est, non venisset. Si ergo a quotidianis defectibus mundari cupis, eos per compunctionem detestare; si detestari vis, eos prius per examen cognosce: quia sicut nemo bonum, quod nescit, diligit, ita malum, quod ignorat, (*nemo*) odio habet.

III. *De examinis utilitate.*

212. D. Thomas, Opusc. LXIV, hæc habet verba: Nec te pigeat in tali examinatione (*te*) exercere, quia pax et lætitia mentis, quam inde consequeris, excedit omne mundanum gaudium. Quod si absque difficultate magna, et cum multa tranquillitate animi illum modum volueris observare, stude in paucis delinquere, ut pauca possis recolere et confiteri. Ergo, secundum D. Thomam in hoc loco, pax et lætitia mentis sunt utilitates provenientes ex examinatione conscientiæ. — Utilis etiam est ad vitia extinguenda, quia dum mens inspiciendo se ipsam, sibi vitia inesse cognoscit, dum ea auget et detestatur,

se ad pugnam accendit, et pugnando eadem quibus subdebatur vitia prosternit. D. Thomas, explicans ista carmina Davidis, Psal. XVII: Et disciplina correxit me in finem; et disciplina tua ipsa me docebit; persequar inimicos meos, et comprehendam illos, etc.; confringam illos, nec poterunt stare, etc., dicit sic: Finaliter et perfecte. — Item dubitata dirigit, dando illi cognitionem perfectam cognoscendi bona sua et mala. Ps. CXVIII: Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. " Persequar inimicos meos. „ Moraliter inimici nostri sunt motus concupiscentiæ qui a nobis sunt, et movent continua bella. Rom. VII: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hos debemus persequi, et comprehendere, et ligare; eis dominari et refrænare. " Et non convertam, „ idest desinam persequi, " donec deficiant „ a rebellione; II. Reg. VIII: Percussit David Philisthæos, et humiliavit eos. Sed hæc non deficiunt in vita ista: licet enim semper minuantur, nunquam tamen totaliter extirpantur. " Confringam illos, nec poterunt stare, etc. „ Hoc etiam debemus nos facere de malis motibus et peccatis, vel de dæmonibus; Malach. IV: Calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum vestrorum. Luc. X: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et supra omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Genes. IV: Subtus te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. Hæc ille. — Utilis etiam est conscientiæ discussio ad quietem animi comparandam. Unde D. Gregorius explicans illud Job XI: Et defossus securus dormies (*ait*): Quia qui cor suum discussione effodiunt, ut illicita a se per detestationem abjiciant, pacatum somnium, idest securitatem acquirunt. Unde sancti viri animorum suorum latebras perscrutari non desinunt, seseque subtiliter indagantes, terrenarum rerum curas abjiciunt, et effossis plane cogitationibus, cum nullo se reatu criminis morderi deprehendunt, velut in strato cordis apud se securi requiescunt.

IV. *Examen particulare de quibus fieri debet.*

213. De peccatis. — D. Thomas, Opusc. LXIV: Omnium vitiorum capitalium unum est initium, scilicet ingratitudo. Duplex enim radix est, scilicet timor male humilians, et amor

male inflammans. — Triplex fomentum est, scilicet concupiscentia carnis, et oculorum, et superbia vitæ. — Septiforme caput est: Superbia, ira, invidia, accidia, avaritia, gula, luxuria. Inter quæ sunt quinque peccata spiritualia et duo carnalia: cum tamen peccatum mortale non sit aliud quam recessus a Deo per ipsius contemptum in se, vel in suo præcepto. Contemptus autem Dei fit superbia. Quia vero nullus contemnit Deum, vel suum præceptum, nisi quia aliquid in ipso timet perdere, aut vult acquirere, ideo oportet quod omne peccatum actuale trahat originem ab hac duplici radice, aut amoris, aut timoris. Omnis autem timor habet ortum ab amore, quia nullus timet perdere nisi quod amat: et ideo amor et timor ab eodem foventur. Et quia amor inordinatus est respectu boni temporalis, et illud est interius excellentia, et exterius pecunia, inferius carnis lascivia, ideo tria sunt fomenta peccatorum, vitiorum actualium, radicalia, ad quæ dum anima inordinata fertur, omnia peccata actualia ordinantur; et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo sunt septem peccata capitalia. Hæc ille.

214. D. Thomas in eodem Opusc.: Quamvis omne peccatum sit contra Deum trinum et unum, appropriatur tamen Deo aliquod esse in Spiritum sanctum. Peccatum autem in Spiritum sanctum est irremissibile in hoc sæculo et in futuro: non quia in hoc sæculo non possit remitti, sed quia non remittitur nisi raro, aut vix in hoc sæculo quantum ad culpam, et modicum in futuro quantum ad pœnam. — Hujus autem peccati sex sunt differentiæ: invidia fraternæ gratiæ, quod est contra charitatem; impugnatio veritatis agnitæ, quod est contra veritatem fidei; desperatio, quod est contra misericordiam Dei, quia credit se plus peccasse quam Deus possit parcere; præsumptio, quod est contra justitiam Dei, quia tantum præsumit de misericordia Dei, quod credit se non debere puniri de peccatis, ac per hoc se relaxat ad peccandum, et pœnitere non curat; obstinatio, quod est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit resilire a peccatis commissis; finalis impœnitentia, quod est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit præcavere a committendis, secundum quod ipsa finalis impœnitentia dicitur propositum non pœnitendi. Hæc ille.

215. Quia hic loquimur de peccatis de quibus debet esse

examen particulare, proponam doctrinam mirabilem D. Thomæ, Opusc. LXIV, in quo quærit utrum propter pollutionem nocturnam sit vitanda sacri altaris perceptio. Dicit Sanctus: Secundum Patrum sanctorum sententiam, vigilanti circumspectione cavendum est ad communionem salutaris convivii accedere tempore quo sentimus nos somnii illusione pollutos. Sed si hostis invidus taliter menti nostræ illuserit, ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, dummodo nullus reprehensibilis interveniat pruritus, aut oblectationis assensus, si fluxus ille fuerit naturali necessitate profusus, aut impugnatione hostis antiqui procuratus, et absque sensu voluptatis adductus, debemus ad gratiam salutaris cibi accedere confidenter. Quod si creditur evenisse occasione vitiosa, die illa debet se humiliter subtrahere ab altari, ne in nobis verificetur sententia Apostoli, I. Cor. XI: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini, idest non faciens differentiam inter perceptionem cibi cœlestis et carnalis, nec judicans ipsum corpus Domini esse tale, quod non nisi pura mente et carne liceat manducare. Et ideo, subinfert idem Apostolus, ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quasi diceret: Multi in hac præsumptione et manducatione indigna spiritualiter infirmantur, et somno mortali dormiunt multi per peccatum, quod in ipsa indigna manducatione et sumptione incurrunt. Probet autem seipsum homo, idest examinet seipsum homo antequam sacramentum percipiat, et diligenter videat utrum sit mundus vel immundus, utrum devotus vel indevotus, utrum reverens vel irreverens, utrum timens vel præsumens; accedat etiam si certus sit, vel certum se putet quod non sit vitiose pollutus, vel aliquo tali peccato infectus. Non enim debet volens istum cœlestem Panem sumere esse contentus se non habere peccatum mortale, neque præcedenti nocte vitiosa occasione fuisse pollutum, quia licet hæc duo reddant quemlibet ipso cibo indignum, alia tamen plura sunt quibus se homo debet ab hoc subtrahere reverenter: quæ explicare non audeo, quia a sanctis et doctoribus ipsa expressa non reperi, atque illustratione gratiæ Dei ea securius simpliciter relinquenda decrevi.

216. Prosequitur idem Sanctus: Id tamen quod pro me ipso relinquo, est verbum illius qui hoc instituit sacramentum,

quem non credo illud frustra protulisse. Dixit enim: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi quod quoties volo id agere quod ille instituit, et modo prædicto reliquit, nequaquam sine remorsu conscientiæ ac præjudicio animæ timeo ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis charitate, ac ejus passione et morte, in cujus memoria perpetuo recolenda illud Sacramentum debere confici et perfici, ipse clare asseruit et injunxit. — Considerans insuper circa hujus Sacramenti primordia, lotione pedum facta, non absque mysterio et sacramento ibidem fuisse dictum a Domino: Si non lavero te, non habebis partem mecum, agnosco per hæc, et judico non sine præsumptionis et gravis offensæ periculo aliquem velle habere partem secum, ipsum Sacramentum sumendo, non præhabita alicujus gratiæ spiritualis lotione: quam quidem lotionem non solum per compunctionem et lachrymas puto fieri, verum etiam per intentionem mentis, devotionem et fidem, in qua ipse Dominus vocat et invitat animam, et trahit, et quodammodo cogit ad ipsum cibum angelicum et cœlestem. Unde et ipse dixit illis quos laverat: Jam mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Non dixit: Propter aquam qua loti estis, sed: Propter sermonem. Hoc autem est verbum fidei quod prædicamus, secundum Apostolum. Unde in Actibus Apostolorum legitur: Fide purificans corda eorum. Hanc autem devotionem et fidem celebrantis, seu Sacramentum sumentis, credo esse illam quæ celebrat, et quæ facit ipsum Sacramentum percipi cum effectu, sicut et verba Christi sunt illa quibus consecratur, et transsubstantiatur panis et vinum in corpus et sanguinem Christi. Quam quidem devotionem voco gratiam quæ prævenit et disponit, subsequitur et infundit. Ad hoc ergo Sacramentum cum instantia ferventis et assiduæ orationis procuremus modo prædicto vocari a Domino, videlicet præhabita ipsius memoria, atque compunctionis et devotionis et fidei lotione, ad quæ nos præparari oportet per mentis et corporis munditiam, et per linguæ et sensuum refrenationem, et per nostrarum passionum continentiam ac moderationem. Hæc ille.

217. Examen particulare debet fieri de vitiis: nam in quibusdam est superbia, in aliis inanis gloria, in aliis ira prin-

cipatum obtinet, in aliis propria voluntas aut judicii protervitas, aut desiderium seipsos regendi dominatur; in aliis amor propriorum commodorum, aut gula, aut aliud simile vitium. Amator virtutis vitium illud omnino debet destruere: vel saltem adeo enervet et confringat, ut possit ad studium virtutis transire. — Examen debet fieri de passionibus, de sensibus, de viribus animæ. Diverso tamen modo fit examen de his, et de peccatis et vitiis: nam ista examini subduntur ut evellantur; passiones, et sensus, et vires animæ, ut ab eis quod vitiosum est eradicetur.

218. Tres sunt status spiritualium virorum. Quidam sunt incipientes, quidam proficientes, alii perfecti. — Incipientes particularem curam applicant ad præambula vitæ spiritualis, nempe ad modestiam, silentium, et ut motus sui corporis linguamque componant. Applicant etiam se ut nullum peccatum veniale ex professo et cum plena advertentia faciant; deinde ut singulos sensus, præsertim ut visum et auditum comprimant; deinde singulas passiones cohibent; et post illos cogitationi modum imponunt: et ita examen illorum erit circa ista. — His emendatis, ex incipientibus proficientes fiunt; et tunc propria proficientium ad examen vocent. Hæc autem sunt ut per hujusmodi examen discant singulas actiones actuali intentione ad Deum dirigere, ut assuescant regulas et statuta proprii status diligenter observare; ut præcipuas virtutes, et magis ad vitam spiritualem necessarias, quales sunt humilitas, paupertas, castitas, obedientia, mansuetudo, patientia, et aliæ similes, unam post aliam conentur acquirere. — Quibus mediocriter saltem obtentis, jam ab statu proficientium ad dignitatem perfectorum accedunt, ad quos pertinet particulari examine suas actiones expolire, et pulcherrime singulas præstare. Item ad perfectionem charitatis fraternæ et amoris Dei, et continuam ejus præsentiam anhelare, et minimos quoque defectus abstergere.

V. *Examen continet quatuor.*

219. D. Thomas, Opusc. LXIV: Eruditio utilis; dicit quod examen conflatur ex quatuor: ex proposito, cura, discussione et collatione. — De proposito dicit: Expedit etiam ut portes

in corde propositum tibi cavendi pro posse ab omni offensa Dei et proximi; et debes armare te oratione, dicendo: Deus, in adjutorium meum intende, quia sine auxilio Dei impossibile est te a quocumque peccato liberari. Et quamvis Deus permittat, quantumcumque ipsum rogaveris in oratione, ut in aliqua peccata incidas, non tamen propter hoc desistas a bono proposito bene operandi, quia hoc Deus permittit ut cognoscas te infirmum, et continue divino auxilio indigere, nihilque boni per te ipsum posse perficere, quantumcumque cupias et proponas. Hæc ille. — Proposuit Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus.

220. Ex cura. Cura nihil aliud est quam ut per totum diem moderatam et discretam illius tui propositi memoriam habeas, et oblata occasione in ejus executionem diligenter incumbas. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Rom. XII: Sollicitudine non pigri, dicit: Ad serviendum Deo. Mich. VI: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te. Postea subdit: Sollicite ambulare cum Deo. II. Tim. II: Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo. Idem Sanctus, 2 2, q. 47, art. 9, in corpore, dicit ex Isid. in libro Ethymologiarum: Sollicitus dicitur quasi sólers scitus, inquantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea quæ sunt agenda. Hoc autem pertinet ad prudentiam, cujus præcipuus actus est circa agenda præcipere de præconsiliatis et judicatis. Unde Philosophus dicit in VI. Ethic., quod oportet operari quidem velociter consiliata: consiliari autem tarde. Et inde est quod sollicitudo proprie ad prudentiam pertinet. Meditare nunc strenuum militem, cui a rege commissum est ut contra potentissimum adversarium descendat ad singulare certamen, ex cujus victoria tota salus suorum, et adversariorum fuga excidiumque dependeat. Is quas cogitationes animo volvit? Quod in se desiderium vincendi, quem ardorem suscitabit? Quanta sollicitudine armis se proteget! Quam attentus ad pugnam ibit! Miles es, cui Dominus, supremus rex, onus vincendi hostem imposuit. Ne ergo obliviscaris quod tibi præceptum est: sed tales cogitationes assume, talia desideria habe, tanta in omnibus diligentia procede, quæ te ad victoriam exsuscitent.

221. Ex discussione. Deus dicit per Sophoniam, I: Scru-

tabor Jerusalem in lucernis. D. Bernardus, serm. LV in Cant.: Puto hoc loco prophetam Jerusalem nomine designasse illos qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam conversatione honesta et ordinata pro viribus; et non veluti illi qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum (*et*) scelerum confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus et Hierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata. Et idcirco necesse erit subtili ea investigare discussione, et quasi admotis lucernis, de tenebris in lucem prodi.

222. Illos autem Dominus examinabit, qui se ipsos non examinaverint; illos judicabit, qui se ipsos non judicaverint, et qui non in semetipsis mala admissa puniverint. Quare operæ pretium est ut nos ipsos scrutemur, et pro culpis castigemus, ut districtissimi Judicis sententiam fugiamus. Ac proinde merito idem Bernardus sibi consulens addit: Judicabo proinde mala mea, judicabo et bona. Mala melioribus corrigere actibus, diluere lachrymis, punire jejuniis, cæterisque sancti laboris disciplinis. Nos igitur qui jam per speciale emendationis propositum, quasi specialem quamdam legem nobis indiximus, et per curam assiduam ad statutum tempus custodivimus, discutiamus et judicemus nos ipsos, ne a Domino judicemur.

223. Ex collatione. Quæ consistit ut quis defectus unius diei defectibus diei præcedentis comparet, et unam hebdomadam respectu alterius quæ præcessit inspiciat, ut an emendetur et spiritu proficiat; an non emendetur, et sic deficiat (quia non progredi in via spiritus, regredi est), plane cognoscat. Ex hac autem cognitione triplicem anima elicit affectum sane utilissimum. Vel enim ex collatione duorum temporum intelligit se defecisse, aut parum aliquid profecisse, aut plus quam mediocriter ambulasse. Si defecit, tristatur; et tristatur ad salutem ea tristitia quæ secundum Deum est. Luget et queritur, quia tempus ad salutem animæ sibi concessum turpiter et imprudenter amisit. Ambrosius: In via es, o homo! Ambula ut pervenias, ne et nox in via te occupet, ne consumetur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres. Viator es vitæ hujus: omnia transeunt, omnia post te fiunt. — Si autem se examinans profecit, sed parum profecit, se ipsum increpat et reprehendit,

quia tam lentis passibus nunquam ad finem virtutis alicujus perveniet. Audit justus, quasi angelum Domini, sanctam inspirationem, dicentem sibi, III. Reg. XIX: Surge et comede: grandis enim tibi restat via. Surge, inquam, per assumptionem novi fervoris; comede, et novis considerationibus ac ferventibus desideriis, quasi novis cibis, te ipsum ad velocius ambulandum corrobora, quoniam tanta lentitudine ambulans in via spiritus quæ satis longa est, parum aut fere nihil procedes. — Si tandem ex collatione diversorum temporum quis deprehendat se non mediocriter progressum fecisse, Deum sibi adesse adjutorem intelligit, illi pro accepto tantæ emendationis beneficio gratias agit, et se ipsum ad majorem profectum acquirendum accendit.

VI. *Quomodo fiat examen in exercitio.*

224. D. Thomas, explicans illud Psal. XXIX: Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia, dicit sic: Vespere lux spiritualis incipit in homine deficere, et tunc in eo est fletus; sed quando relucet in eo, tunc est gaudium. Psal. V: Mane adstabo tibi et videbo. Et est idem ac si diceret: Tempus itaque est contemplandi magnalia divina, et est tempus considerandi infirma nostra. Istud est tempus flendi. In nocte in qua considerantur humanæ conscientiæ tenebræ est tempus flendi. In hac nocte sic debet fieri examen, considerando prius illud Jerem. XVIII: Pravum est cor hominum et inscrutabile. D. Thomas: Multis malitiis involutum; Prov. XX: Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri. Quis cognoscit illud? Ego Dominus. Ab eo utique qui potest petendum est ut cor nostrum apud nos statuat, dolos ejus et simulationes pandat, et venam nostræ propriæ cognitionis aperiat. Deinde examinanda atque investiganda sunt omnia nostra, quæ claritatis gratia distribuenda sunt in cognitiones, affectus, sermones et opera. — In cogitationibus considerandum ut sint mundæ et ordinatæ. Mundæ sunt quando neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones. Ordinatæ sunt, quando rationaliter, hoc est tempore suo, adveniunt; tempore enim non suo etiam bona cogitare sine vitio non est, ut in lectione de oratione, et in oratione de lectione.

225. Circa affectus considerandum est ut sint recti, sinceri, hoc est ad id quod debent esse, et quomodo debent esse. Diligere enim quod non oportet, malum est; similiter diligere eo modo quo non oportet, malum est. Itaque bonus affectus est quando est ad id ad quod debet, et quomodo debet. Ammon sororem dilexit, et erat affectus ad quod debuit: sed male dilexit, quia non quomodo debuit. Igitur affectus esse potest ad id quod debet, et non quomodo debet. Nunquam tamen esse potest quomodo debet, nisi ad id quod debet. In eo ad quod debet, rectus; et quomodo debet, sincerus.

226. Circa sermones considerandum est ut verba vera sint, ut nemini noxia, ad aliquid necessaria, ut convenienti tempore et loco prolata, et debito modo dicta.

227. Circa opera considerandum est ut bona intentione fiant. Bona intentio est quæ simplex est et recta: simplex sine malitia, recta sine ignorantia. Quæ enim sine malitia est, zelum habet: sed quæ cum ignorantia est, secundum scientiam zelum non habet. Itaque intentionem oportet esse rectam per discretionem, et simplicem per benignitatem. — In operibus considerandum est ut recta intentione inchoata, cum perseveranti fervore ad finem perducantur, ut nec perseverantia torpeat, nec amor tepescat. — Operum vero illa præcipue examinanda sunt et discutienda, quæ secundum status religiosi obligationes quotidie occupatos nos tenent, in quibus innumerabiles solemus imperfectiones admittere. — Negligenter Horas legisti, sine devotione, sine debita attentione, et sine distincta prolatione verborum. — De cibo et potu cogitasti, et avide comedisti. Gavisus es de melioribus ferculis, desiderasti amplius, de vilioribus murmurasti. — Scrutare abscondita cordis tui, si ira, si invidia, si concupiscentia, si avaritia, si impatientia aut tristitia te movit, aut superavit. — Nec solum de malis parvulis peractis investigandum est, sed etiam de bonis neglectis perquirendum: si beneficia Dei cum gratiarum actione accepisti, si pro amicis et adversariis orasti, si petentibus auxilium et mœrentibus solatium impendisti, si denique honorem Dei simpliciter et pure quæsivisti.

228. D. Thomas et alii sancti Patres inclinant quod examen conscientiæ debeat fieri quotidie una vice. Hoc habet D. Thomas, Opusc. LXIV. Dorotheus, rerum spiritualium magister pe-

rissimus, sic ait: Docuerunt enim sæpe nos majores nostri quo pacto purgamus nos ipsos per singulos dies, ut scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum quomodo transactam diem exegerimus. Alii, ut D. Bonaventura, inclinant quod bis in die, ad majorem conscientiæ puritatem. Nam sicut linteum eo mundius est, quo frequentius eluitur: sic conscientia eo purior est, quo frequentius examinatione mundatur.

229. Ex his fasciculum quotidianum imperfectionum et culparum tuarum, et acervum mœrorum et tristitiarum tibi colliges. Has culpas tuas, juxta Dei beneficia supra commemorata statue; vide quomodo Deo tibi benefacienti respondeas, quomodo ejus dona compenses, quomodo vilis et ingratus sis, qui pro beneficiis offensas, pro donis culpas, pro amore oblivionem negligentiamque retribuas. Luge, frater, et lachrymas funde: satis enim magnam habes causam lugendi, quia nunquam ad examen venis in quo non culpas, et ingratitudines, et oblivionem tui Domini et Creatoris invenias. Has offensas, licet oculis carnis exiguæ videantur, quanto potueris fervore, propter Dei amorem, detestare et odio habe.

230. Tandem pro quotidianis defectibus aliquam tibi, quam statim solvas, pœnitentiam injunge, ut si aliquem tibi dolorem infligeres, aut aliquam preculam recitares. Quando autem culpa aut defectus gravior fuit, non sufficeret cum communi pœna mulctare: sed necesse erit extraordinaria reprehensione et condigna castigatione puniri.

7. (Pag. 428) Quæst. 3, Disp. 3, post art. 2.

I. *Contemplatio quibus nominibus et quibus rebus comparetur a D. Thoma.*

231. Contemplatio a D. Thoma vocatur oleum. Nam explicans Sanctus illud Matth. VI: Unge caput tuum, dicit: Oleo spiritualis lætitiæ, quo inunguntur reges, idest contemplativi; Exod. XXIX: Sanctificabis vasa Tabernaculi oleo. Unde Hieronymus et Augustinus: Palæstinis mos erat caput ungere. Ergo caput ungere debemus media contemplatione. Ab eodem San-

cto contemplatio vocatur mons. Nam explicans illud Matth. XVII: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem, dicit: Quare in montem? Ad designandum quod non inducitur ad contemplandum, nisi qui ascendit in montem, ut in Genes. XIX de Loth: In montem salvum te fac. Et dicit: excelsum valde, propter altitudinem contemplationis; Isaiæ II: Elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi, et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini, quia super omnem altitudinem scientiæ et virtutis erit altitudo gloriæ. — Contemplatio ab eodem Sancto vocatur tectum. Nam explicans illud Matth. XXIV: Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, dicit: Idem est quod dicere quod perfecti non moveantur a sua perfectione; unde tangit contemplativam vitam, quæ signatur per tectum: unde tales a sua contemplatione non debent recedere. — Contemplatio vocatur fructus a D. Thoma; nam explicans illud Cantic. II: Fructus ejus dulcis gutturi meo, dicit: Idest divinitatis contemplatio qua me satiare confido. Hæc est enim sanctorum expectatio, hæc est etiam sanctitas et præmium, visio Conditoris. Desiderat anima umbram conditoris sui, quia protectionem illius exoptat inter præsentis vitæ adversa. Fructus illius dulcis gutturi meo, quia expectat perfrui specie visionis illius, et satiari dulcedine charitatis ejus.

232. Contemplatio a D. Thoma vocatur domus. Explicans illud Matth. XXIV: Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus est, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam, dicit: Quis est iste paterfamilias domus? Anima est. In ista debet homo quiescere per contemplationem; Sap. VIII: Intrans in domum meam, idest conscientiam meam, conquiescam cum illa per contemplationem. Paterfamilias ratio est; Prov. XXII: Rex qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu suo. Aliquando fur perfodit domum suam. Fur est aliqua persuasio falsæ doctrinæ, vel tentatio aliqua. Et dicitur fur sicut habetur Joan. X: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est et latro. Ostium proprie dicitur naturalis cognitio seu jus naturale. Quisquis enim per rationem intrat, per ostium intrat; sed qui intrat per ostium concupiscentiæ, vel iræ, vel hujusmodi, est fur. Fures consueverunt in nocte venire. In Abdia: Si fures intro sunt

in te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses, etc. Unde si de die veniant, non timentur. Sic quando homo est in contemplatione divinorum, tunc non venit tentatio: sed quando remisse se habet, tunc venit. Ideo bene dicit Propheta, Ps. LXX: Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Unde debemus vigilare, quia nescimus quando venit Dominus. — Contemplatio ab eodem Sancto vocatur recubitus rerum spiritualium. Explicans illud Matth. VIII: Recumbent cum Abraham, dicit sic: Iste recubitus opulentia est rerum spiritualium, scilicet in contemplatione; Lucæ XXII: Ecce dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; Isa. LXV: Servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis.

233. Contemplatio vocatur a D. Thoma speculum. Explicans illud Isa. XXI: Contemplare in speculo, dicit, quia debet homo in speculo mentis contemplari, primo, peccata quæ commisit, ut doleat; Jerem. XXXI: Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, et dirige cor tuum in viam rectam. Secundo, supplicia quæ meruit, ut timeat; Michææ VII: Dies speculationis, visitatio tua venit. Tertio, beneficia quæ Deus contulit, ut gratias agat; Isaiæ LII: Vox speculatorum tuorum; levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. Quarto, mandata quæ præcepit, ut impleat; Osee X: Speculator Ephraim. Quinto, præmia quæ promisit, ut comprehendat; II. Pet. I: Speculatores facti illius magnitudinis. — Contemplatio vocatur oculus. D. Thomas explicans illud Cant. IV: Oculi tui columbarum, dicit: Per oculos intelligitur acumen sensuum spiritualium, quibus divina et sempiterna contemplantur vel intuentur. Idem Sanctus explicans illud Isa. XVII: Oculi ejus ad sanctum Israel, dicit: Oculi debent inclinari ad Dominum, primo, per fidei adhæsionem; Isa. XXX: Oculi tui videbunt præceptorem tuum. Secundo, propter spei expectationem; Psal. CIV: Oculi omnium in te sperant, Domine. Tertio, propter amoris contemplationem; Job, c. XXXIX: Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus respiciunt. Quarto, propter gloriæ fruitionem; Matthæi XIII: Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

234. Ista contemplatio, quæ variis nominibus a D. Thoma nominatur, illuminatur a Christo, qui est sol et lux. Ita divus

Thomas in sermone Nativitatis Domini. Lux habet sex effectus. Primus est illuminatio; secundus fœcundatio: fœcunditas enim est ab influentia lucis; tertius, præservatio: est enim lux præservativa; quartus, ordinatio; quintus, ornatio: Dionysius Lux confusum et inordinatum ordinat et ornat; sextus, sui effusio: est enim lux effusiva sui. Fœcundavit virtutum radios infundendo, et ad bona opera commovendo; Isaiæ LVIII: Implebit splendoribus animam tuam; et post: Et eris hortus irriguus. Contemplativi ornantur virtutibus. Dicit D. Thomas in sermone vigiliæ Pentecostes, fundatus in illa auctoritate Job, c. XXVI: Spiritus Domini ornavit cœlos: Contemplativi vocantur cœli, et isti adornantur virtutibus, sicut cœli adornantur stellis. Et ponit in eis quinque ordines stellarum. Primus ordo, virtutes theologicæ; I. Cor. XIII: Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc. Secundus, virtutes politicæ (*morales*); Sap. V: Sobrietatem et sapientiam docebit et virtutem, quibus nihil est in vita utilius. Tertius, septem dona Spiritus; Isa. II: Requiescet super eum Spiritus Domini, etc. Quartus, octo beatitudines; Matth. V: Beati pauperes, beati mites, etc. Quintus, duodecim fructus Spiritus sancti; Galat. V: Fructus autem Spiritus sunt gaudium, etc. His virtutibus adornantur contemplativi, sicut cœli adornantur stellis.

235. Contemplatio finis est ad quem omnis meditatio et investigatio tendit. Dulce quidem est viatori post molestias itineris domum propriam ingredi, in eaque cum abundantia et lætitia quiescere: ita dulcissimum est viro spirituali post discursus meditationis ad quietem contemplationis accedere, et in ea contemplatione inventa, quasi in proprio domicilio commorari.

236. Perfecta contemplatio ab amore Dei incipit. Ita divus Thomas, 2 2, q. 180, art. 7 in corp. et ad 1: Vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas. Et postea: Vita contemplativa, licet principaliter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu: in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu: dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, et ista delectatio rei visæ amplius excitat amorem. Hæc ille.

237. Qui male utuntur vita contemplativa, severissime puniuntur a Deo. D. Thomas explicans illud Matth. XVIII: Expedit ei ut suspendatur mola asinaria, dicit: Per molam asinariam intelligitur vita activa. Et contingit quod aliquis ad vitam contemplativam transit, et cum est ibi, scandalizat contemplationem, quia non sapit sibi; ideo expedit sibi ut suspendatur mola, et projiciatur in profundum maris, idest in profundum causarum temporalium. Augustinus dicit sic: Expedit, idest congruit. Et est pœna congrua ei, ut mola, idest cupiditas sæculi, quia qui scandalizat cupidus est, suspendatur in collo ejus, idest in affectu, et demergatur in profundum, scilicet cupiditatum.

Contemplatio est triplex: alta, ampla et perfecta.

238. D. Thomas, in prologo super Joannem, fundatus in illis verbis: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: Et plena erat omnis terra a majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant, replebant templum (Isaiæ VI), dicit quod contemplatio est triplex, quia Dominus Jesus est tripliciter contemplatus: nimirum alta, ampla et perfecta. Alta quidem, quia " vidi Dominum super solium excelsum et elevatum; „ ampla quidem, quia " plena est omnis terra a majestate ejus; „ perfecta, quia " ea quæ sub ipso erant replebant templum. „

239. Circa primum sciendum est quod altitudo et sublimitas contemplationis consistit maxime in contemplatione et cognitione Dei. Isa. XL: Levate in excelso oculos vestros, et videte quis fecit hæc. Tunc ergo homo oculos contemplationis in excelso elevat, quando videt et contemplatur ipsum rerum omnium Creatorem. Quia ergo Joannes transcendit quidquid creatum est, scilicet ipsos montes, ipsos cœlos, ipsos angelos, et pervenit ad ipsum Creatorem omnium, ut dicit Augustinus, manifestum est quod contemplatio sua altissima fuit. Et ideo dicit: " Vidi Dominum. „ Et quia sicut ipse Joannes dicit (Jo. XII), hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, scilicet Christi, et locutus est de eo: ideo Dominus sedens super solium excelsum et elevatum, Christus est. In hac autem contemplatione Joannis circa Verbum incarnatum quadruplex altitudo desi-

gnatur: auctoritatis, unde dicit: " vidi Dominum; „ æternitatis, cum dicit: " sedentem; „ dignitatis, seu nobilitatis naturæ, unde dicit: " super solium excelsum; „ et incomprehensibilis veritatis, cum dicit: " et elevatum. „

240. Circa secundum. Fuit etiam ampla. Tunc enim contemplatio ampla est, quando in causa potest aliquis considerare omnes effectus ipsius causæ, quando scilicet non solum essentiam causæ, sed etiam virtutem ejus, secundum quam se ad multa diffundit, cognoscit. De qua diffusione dicitur Eccli. XXIV: Qui implet quasi Phison sapientiam, et quasi Tigris in diebus novorum; Psal. LXIV: Flumen Dei repletum est aquis: quia divina sapientia altitudinem habet quantum ad cognitionem omnium rerum. Sap. IX: Ab initio est tecum sapientia, quæ novit opera tua. Quia ergo Joannes Evangelista elevatus in contemplatione naturæ divini Verbi et essentiæ ejus, cum dicit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, statim virtutem ipsius Verbi, secundum quod diffundit se ad omnia, nobis insinuat, cum dicit: Omnia per ipsum facta sunt; ideo contemplatio sua ampla fuit, et ideo in auctoritate præmissa postquam dixerat Propheta: " Vidi Dominum sedentem, „ subjungit de virtute ejus: " et plena erat omnis terra majestate ejus, „ idest tota plenitudo rerum et universi est a majestate ejus et virtute Dei, per quem omnia facta sunt, et cujus lumine omnes homines venientes in hunc mundum illuminantur.

241. Circa tertium. Fuit contemplatio ejus perfecta. Tunc enim contemplatio perfecta est, quando contemplans perducitur et elevatur ad altitudinem rei contemplatæ. Si enim remaneret in infimis, quantumcumque alta contemplaretur, non esset contemplatio perfecta. Ad hoc ergo quod sit perfecta, oportet quod ascendat et consequatur ipsum finem rei contemplatæ, inhærendo et assentiendo per affectum et intellectum veritati contemplatæ; Job LVII: Numquid nosti semitas nubium, idest contemplationes prædicantium, quod perfectæ sint? inquantum firmiter per affectum et intellectum inhærent summæ veritati contemplatæ. Quia ergo Joannes non solum docuit quomodo Christus Jesus, Verbum Dei, est Deus super omnia elevatus, et quomodo per ipsum omnia facta sunt; sed etiam quod per ipsum sanctificamur, et ei, per gratiam quam nobis infundit, inhæremus, dicit: De plenitudine ejus omnes accepi-

mus, et gratiam pro gratia; ideo apparet quod sua contemplatio perfecta fuit, et hæc perfectio ostenditur cum dicitur: " Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. „ Nam. sicut dicitur I. Cor. II, caput Christi Deus. Quæ vero sub Christo sunt, sacramenta sunt humilitatis, per quæ fideles replentur plenitudine gratiæ. Sic ergo ea quæ sub ipso erant, replebant templum, idest fideles qui sunt templum Dei sanctum, sicut dicitur 1. Cor. III, inquantum per ipsius Sacramenta humanitatis fideles Christi omnes de plenitudine gratiæ ipsius accipiunt.

Charitas obligat aliquando relinquere contemplationem propter utilitatem proximi.

242. D. Thomas, explicans illud Joan. XXI: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit sic: Congruit hæc examinatio officio. Multi enim pastorale officium assumentes, utuntur eo sicut se ipsos amantes. I. Tim. IV: Instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes. Et qui non amat Dominum, non est idoneus prælatus: sed magis ille qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, et hoc amore ejus; II. Cor. V: Charitas Christi urget nos. Congruit etiam officio, quantum ad utilitatem proximorum. Ex abundantia enim charitatis est quod aliqui diligentes interdum quietem propriæ contemplationis intermittant, ut procurent proximorum utilitatem. Cum enim Apostolus dicat, Rom. VIII: Certus sum enim quod neque mors, etc., poterit nos separare a charitate Dei, subdit: Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis.

243. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Rom. VIII: Nam quid oremus sicut oportet nescimus, dicit quod in generali quidem possumus scire quid convenienter oremus, sed in speciali hoc non possumus scire. Primo quidem quia si desideramus aliquod opus virtutis facere, quod est implere voluntatem Dei sicut in cœlo et in terra, potest contingere quod illud opus virtutis non est huic vel illi congruum; sicut alicui, qui utiliter posset in actione proficere, non expedit contemplationis quies; et e converso, ut Gregorius dicit in Moralibus super illud Job V: Ingredieris in abundantia sepulchrum. Unde di-

citur Prov. XIV: Est via quæ videtur homini justa, novissima autem illius ducunt ad mortem.

244. D. Thomas explicans illud Matth. XIX: In illo die exiens Jesus de domo, dicit: Per domum intelligitur interior mens; Sap. VIII: Intrans in domum meam, conquiescam in illa. Unde aliquando exit de secreto contemplationis ad publicum doctrinæ. Idem Sanctus explicans illud Cantic. II: Ostende mihi faciem tuam, dicit: Tu, inquit, dilecta mea, quæ in lecto contemplationis dulcissime requiescis, veni, et ostende faciem tuam mihi, et a secreto quietis egredere ad publicum actionum, et pulchritudinem bonorum operum aliis ad exemplum demonstra.

245. Quæ doctrina D. Thomæ est intelligenda secundum illud quod dicit in aliis locis, præcipue 2 2, q. 182, art. 1 ad 3, ubi dicit quod ad opera vitæ activæ interdum aliquis a contemplatione evocatur propter aliquam necessitatem præsentis vitæ, non tamen hoc modo quod cogatur aliquis totaliter contemplationem deserere. Unde Augustinus dicit, XIX. De civit. Dei: Otium sanctum quærit charitas veritatis; negotium justum, scilicet vitæ activæ, suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. Idem Sanctus, in III, dist. 35, q. 1, art. 4, in solutione ad 1, dicit quod vita contemplativa propter activam intermittitur ad tempus, non simpliciter, sed ratione utilitatis, non ratione dignitatis.

246. Confirmatur etiam ex alia doctrina D. Thomæ, 2 2, qu. 188, a. 6, ubi docet quod religio principaliter et primario contemplativa, secundario autem activa, actione per redundantiam contemplationis ad proximi salutem pertinente, est omnium perfectissima, cum sit perfecta Christi Domini et Apostolorum imitatio, qui sunt vitæ religiosæ perfectissimum exemplar: Christus quippe Dominus postquam per annos triginta soli vacasset contemplationi, tribus ultimis vitæ suæ prædicationis ac doctrinæ cœlestis actionem ex continua contemplatione derivatam in totius mundi bonum et salutem exercuit; nam præter assiduam illam contemplationem beatificam, quam in Dei visione ab initio suæ conceptionis habuit,

legimus in Evangelio quod sæpius in montibus et nocte solus orabat. Apostoli, vivente Christo Domino, contemplationi potius quam actioni vacarunt; ergo principaliter vacandum est contemplationi, et secundario, ratione utilitatis, cessandum est a contemplatione.

Hic ponuntur quæ desunt in art. 4, disp. 8.

247. D. Thomas, explicans illud Matth. XII: Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit, dicit sic: Unde aliquando requiem non invenit. In quibus autem inveniat dicit Job, XL: Sub umbra dormit et in secreto calami in locis humentibus. Loca humentia sunt corda voluptatibus dedita, loca arida sunt qui contemnunt voluptates, qui a prosperitatibus declinant. Et de hac Ezech. XXXVII: Aruerunt ossa nostra et periit spes nostra.

248. D. Thomas explicans illud Psal. XXXVIII: Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, dicit sic: Hic ponitur modus seu terminus correctionis; " tabescere„ idest desiccare. Potest ergo exponi corporaliter, quando refertur ad tribulationem corporalem, quia humiditas et pinguedo corporalis desiccatur, et sic vita tabescit; Job XXXIII: Tabescet caro ejus. Item, ibidem: Consumpta est caro ejus a suppliciis. — Alio modo ut referatur ad animam. In homine spiritualiter est duplex pinguedo. Una mala per delectationes corporales; Deuter. XXXII: Impinguatus est, dereliquit Deum factorem suum. Et ab hac pinguedine desiccare bonum est: et hoc est quod dicit " tabescere fecisti, „ idest, desiccasti, " animam meam sicut araneam, „ ab humore carnalium rerum; quia aranea est animal calidum, et non est pingue, quia facit subtilissima fila: ita anima separata a carnalibus delectationibus inhæret per affectum rebus invisibilibus; II. Cor. IV: Non contemplantibus nobis quæ videntur. Vel " tabescere, „ idest desiccare a pinguedine devotionis. Sicut Psalm. dicit, LXII: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et hæc est mala desiccatio. Hoc fit, quia anima efficitur indevota, et inhæret peccatis, et caret pinguedine devotionis sicut aranea.

Contemplatio acquisita dividitur per tres motus: circularem, rectum et obliquum.

249. D. Thomas, 2 2, q. 180, a. 6, proponit hanc divisionem D. Dionysii, cap. 4 de divinis nominibus; et ad illam insinuandam, in argumento Sed contra solum adducit auctoritatem illius, quæ æquivalet omnibus rationibus. In corpore sic probatur: Operatio intellectus, in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti, ut ex Philosopho dicitur in tertio de anima. Quia vero per sensibilia in cognitionem intelligibilium devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt, inde est quod etiam operationes intelligibiles, quasi motus quidam describuntur, et secundum similitudinem diversorum motuum, earum differentia assignatur. In motibus autem corporalibus perfectiores et primi sunt locales, ut probatur VIII. Physicorum. Et ideo sub eorum similitudine potissimæ operationes intelligibiles describuntur. Quorum quidem sunt tres differentiæ. Nam quidam est circularis, secundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum. Alius autem est rectus, secundum quem aliquid procedit ab uno in aliud. Tertius autem est obliquus, quasi compositus ex utroque. Et ideo in operationibus intelligibilibus id quod simpliciter habet uniformitatem attribuitur motui circulari; operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de uno in aliud, attribuitur motui recto. Operatio autem intelligibilis habens aliquid uniformitatis simul cum processu ad diversa, attribuitur motui obliquo. Hæc D. Thomas.

250. Istam rationem amplificat et magis declarat qu. 8 De veritate, art. 15, solutione ad 3: Motus, de quo Dionysius loquitur, non accipitur pro transitu de uno in aliud; sed illo modo quo omnis operatio motus dicitur: sicut intelligere est quidam motus et sentire. Et sic triplicem motum in angelis et in animabus distinguit Dionysius quantum ad cognitionem divinam, scilicet circularem, obliquum et rectum, secundum hanc similitudinem: circularis enim motus est totaliter uni-

formis, tum propter æquidistantiam omnium partium circuli a centro, tum propter hoc quod in motu circulari non est assignare magis ex una parte quam ex alia principium et finem; motus rectus est difformis, tum ex proprietate lineæ, cum partes non æqualiter distent ab uno puncto signato, tum ex parte motus qui habet principium et finem signatum; obliquus autem motus habet aliquid uniformitatis secundum quod convenit cum motu circulari, et aliquid difformitatis, secundum quod convenit cum motu recto. Hæc D. Thomas.

251. Tribus enim modis anima movetur in Deum. Uno modo, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia conspiciens, et iste est motus rectus; unde dicit quod in directum movetur anima, quando ab ea, quæ circa seipsam, progreditur, et ab exterioribus, sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis, ad simplices et unitas sursum agitur contemplationes. — Alio modo movetur in Deum ex illuminationibus ex Deo receptis, quas tamen recipit secundum modum suum sensibilibus figuris velatas: sicut Isaias vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Et hic motus est obliquus, habens aliquid de uniformitate ex parte divinæ illuminationis, et aliquid de difformitate ex parte sensibilium figurarum; unde dicit quod oblique movetur anima, inquantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse. — Tertius modus est quando anima a se omnia sensibilia abjicit, supra omnia Deum cogitans, et etiam supra seipsam, et sic ab omni difformitate separatur: et hic est motus circularis; unde dicit quod animæ circularis motus est introitus ad seipsam ab exterioribus, et intellectualium virtutum ipsius convolutio, et quod demum jam uniformis facta unitur unitis virtutibus, et sic manuducitur ad id quod est super omnia. Hæc D. Thomas.

252. Declaratur amplius hæc doctrina: Motus circularis in contemplatione est, cum circa Deum pulchrum et bonum, vel divinitus revelatum per lumen infusum, vel naturaliter per ascensum a creaturis inventum, uniformiter contemplando, manet anima tamquam in centro suo quiescens, vel potius circa centrum suaviter mota, ibi præ admiratione et amore deficit et defluit a se ipsa, gaudiose quoque et dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo creatore,

salvatore ac miseratore, imo et supergratiosissimo suo sponso, totius beatitudinis suæ superpiissimo fonte, omnipotentissima et liberalissima causa. Hic motus præsertim reperitur in contemplatione supernaturali, quæ in statu unionis intimæ conceditur; quamvis enim in contemplatione naturali possit uniformitas aliqua reperiri, quando Deum medio creaturarum inventum anima contemplatur, hoc tamen rarius contingit, et tunc etiam illa qualiscumque speculationis uniformitas distrahitur ex aliorum sensuum operationibus circa sensibilia simul occupatis; at vero in contemplatione supernaturali velut ordinarie et diutius hæc uniformitas conservatur, cum anima interius collecta, et ab exterioribus abstracta, ac sæpius extra se ipsam rapta, Deo totaliter vacat, ejusque tamquam cogitationi, contemplationi vacans, in ipsum quodammodo transformatur, ita ut circa ipsum, vel in ordine ad ipsum, semper occupetur et nihil extra cogitet.

253. Motus contemplationis rectus est, cum anima ex consideratione pulchrorum ac bonorum, quæ hic in creaturis sparsa et limitata reperiuntur, ad contemplationem summi illius pulchri et boni, quod Deus est (pulchrum namque et bonum in spiritualibus convertuntur), directe consurgit, ita ut statim ad illud dirigatur. Hic motus præsertim reperitur in contemplatione acquisita per ascensum superius descripta; nec tantam habet uniformitatem quantam circularis, nec præter multiplicitatem aliorum actuum annexam, quia sæpe vel distrahitur, vel saltem remittitur; in se ipso etiam ex tali distractione vel remissione, vel intentione quamdam patitur difformitatem ac continuam varietatem.

254. Motus denique contemplationis obliquus est cum anima ex Dei contemplatione ad contemplandos effectus, promissiones, aut ad alia ejus opera in ordine ad creaturas divertitur, et iterum ad ipsum Deum contemplandum redit. Hic motus tam in contemplatione naturali, seu infusa, quam in supernaturali, seu acquisita, reperitur; et participat aliquid tam de circulari, quam de recto, quasdam utriusque proprietates habens: convenit siquidem cum circulari, ratione uniformitatis, quam in contemplatione Dei per modum principii et finis habet; ab ipso namque, ut dictum est, ad aliorum considerationem procedit, et ab aliis rursus ad ipsum redit: convenit autem cum recto

in multiplicitate ac difformitate suorum actuum, qui in illa diversitate formantur.

255. D. Thomas, 2 2, qu. 180, art. 6 ad 2, dicit quod isti motus diversimode sunt assignandi in angelis et hominibus. Intellectus enim angeli habet cognitionem uniformem secundum duo. Primo quidem quia non acquirit intelligibilem veritatem ex varietate rerum compositarum. Secundo, quia non intelligit veritatem intelligibilem discursive, sed simplici intuitu. — Intellectus vero animæ a sensibilibus rebus accipit intelligibilem veritatem, et cum quodam discursu rationis ipsius eam intelligit. Et ideo motum circularem in angelis assignat Dionysius, inquantum uniformiter et indesinenter absque principio et fine intuentur Deum: sicut motus circularis carens principio et fine uniformiter est circa idem centrum. In anima vero antequam ad istam uniformitatem perveniat, exigitur quod duplex ejus difformitas amoveatur. Primo quidem illa quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout scilicet relinquit exteriora. Secundo autem oportet quod removeatur secunda difformitas, quæ est per discursum rationis. Et tunc istis duobus præmissis, tertio ponitur uniformitas conformis angelis. Motus autem rectus in angelis accipi non potest secundum id quod in considerando procedit ab uno in aliud, sed solum secundum ordinem suæ providentiæ, secundum scilicet quod angelus superior inferiores illuminat per medios. Sed motum rectum ponit in anima secundum hoc quod ab exterioribus sensibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem. Obliquum autem motum ponit in angelo compositum ex recto et circulari, inquantum secundum contemplationem Dei inferioribus providet: in anima autem ponit motum obliquum similiter ex recto et circulari compositum, prout scilicet illuminationibus divinis ratiocinando utitur

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI

Spiritus sanctus confert nobis triplex beneficium: liberat a servitute carnis, a servitute legis, et securos nos reddit a damnatione mortis.

256. D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Galat. v: " Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis „ (*ait*): In his verbis includitur primum beneficium. " Quod si spiritu ducimini, „ secundum; " Si spiritu vivimus, „ tertium. Quantum ad primum dicit: Dico quod debetis per charitatem spiritus invicem servire, quia nihil prodest sine charitate; sed hoc " dico in Christo, „ idest per fidem Christi: " spiritu ambulate, „ idest mente et ratione. Quandoque enim mens nostra spiritus dicitur, secundum illud Ephes. IV: Renovamini spiritu mentis vestræ; I. Corinth. IV: Psallam spiritu, psallam et mente. Vel spiritu ambulate, idest Spiritu sancto proficite bene operando. Nam Spiritus sanctus movet et instigat corda ad bene operandum; Rom. VIII: Qui spiritu Dei aguntur, etc. Ambulandum est ergo spiritu, idest mente, ut ipsa ratio sive mens legi Dei concordet, ut dicitur Rom. VII. Nam spiritus humanus per se vanus est, et nisi regatur aliunde, fluctuat huc atque illuc, ut dicitur Eccli. XXXIV: Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio. Unde de quibusdam dicitur Ephes. IV: Ambulant in vanitate sensus sui. Non ergo perfecte stare potest ratio humana, nisi secundum quod est recta a Spiritu divino. Et ideo dicit Apostolus: " Spiritu ambulate, „ idest per Spiritum sanctum regentem et ducentem; quem sequi debemus sicut demonstrantem viam. Nam cognitio supernaturalis finis non est nobis nisi a Spiritu sancto; I. Cor. II: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et sequitur: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Item, sicut inclinantem. Nam Spiritus sanctus instigat et inclinat affectum ad bene volendum; Rom. VIII: Qui Spi-

ritu Dei aguntur; Psal. CXLII: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Ideo autem spiritu ambulandum est. " Et desideria carnis non perficietis, „ idest delectationes carnis, quas caro suggerit. Hoc desiderabat Apostolus, dicens, Rom. VII: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei. Hujus rationem subjungit, dicens, cap. VIII: Quia lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege. Et hoc est speciale desiderium Sanctorum, ut non perficiant desideria ad quæ caro instigat, ita tamen quod in hoc non includantur desideria quæ sunt ad necessitatem carnis, sed quæ sunt ad superfluitatem.

257. Secundum beneficium: " Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege, „ idest per ipsum liberamur a servitute legis. Vel aliter: " Si spiritu ducimini, „ quod fit quando facitis quod Spiritus suggerit ut director et gubernator, non autem id ad quod sensus et affectus proprius instigat, " non estis sub lege. „ Psal. CXLII: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; non quidem ut coactor, sed ut gubernator. — Sciendum est quod hoc quod dicit: " Si spiritu ducimini, jam non estis sub lege, „ potest referri ad præcepta legis vel cæremonialia, vel moralia. Si quidem referatur ad cæremonialia, sciendum est quod aliud est servare legem, aliud est esse sub lege. Servare legem est facere opera legis, non habendo spem in eis: sed esse sub lege est ponere spem in operibus legis. In primitiva autem Ecclesia erant aliqui justi servantes legem, sed non sub lege, in quantum servabant opera legis, sed non erant sub lege, quasi in eis spem ponentes. Sic etiam Christus sub lege fuit; ad Galat. IV: Factum sub lege. Si autem referatur ad moralia, sic esse sub lege potest intelligi dupliciter, vel quantum ad obligationem, et sic omnes fideles sunt sub lege, quia omnibus data est. Unde dicitur Matth. V: Non veni solvere legem. Vel quantum ad coactionem, et sic justi non sunt sub lege, quia motus et instinctus Spiritus sancti, qui est in eis, est proprius eorum instinctus; nam charitas inclinat ad illud idem quod lex præcipit. Quia ergo justi habent legem interiorem, sponte faciunt quod lex mandat, ab ipsa non coacti. Qui vero voluntatem malefaciendi habent, comprimuntur tamen pudore vel timore legis, isti coguntur; et sic justi sunt sub lege obligante tantum, non cogente, sub qua sunt solum injusti; II. Cor. III:

Ubi spiritus Domini, ibi libertas; I. Tim. I: Justo non est lex posita, scilicet cogens.

258. Tertium beneficium: " Si spiritu vivimus. „ Dicit ergo connumerans se eis, quibus scribit: Dico quod debemus ambulare per Spiritum, quia et per ipsum vivimus, et non per carnem; Rom. VIII: Debitores sumus non carni, etc. Si ergo Spiritu vivimus, debemus in omnibus ab ipso agi. Sicut enim in vita corporali corpus non movetur nisi per animam, per quam vivit, ita in vita spirituali omnis motus noster debet esse a Spiritu sancto; Joan. VI: Spiritus est qui vivificat; Act. XVII: In ipso vivimus, movemur et sumus.

Dona Spiritus sancti ad contemplationem maxime conferunt.

259. Iste articulus est responsio objectioni tacitæ quæ potest fieri, quare disputatio de donis ponatur in quæstione viæ illuminativæ seu contemplativæ, quia dona Spiritus sancti maxime conferunt ad contemplationem. Et quamvis hoc constabit ex omnibus quæ dicentur in tota disputatione, claritatis gratia et ad majorem evidentiam ponitur iste articulus. — Ex donis quædam videntur pertinere ad contemplationem, ut sapientia, scientia, intellectus, consilium; quædam ad actionem. Quia vero nomine actionis, non solum intelliguntur opera exteriora, verum et affectus interni voluntatis; et quia contemplatio non se continet in intellectu, sed transit ad affectum, hinc est quod omnia dona ad eam concurrunt, ut causæ quæ sunt actus contemplationis.

260. Sapientia confert intellectui cognitionem altissimam. Ita D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 1: Secundum Philosophum, in principio Metaphys., ad sapientem pertinet considerare causam altissimam per quam certissime de aliis judicatur, et secundum quam omnia ordinari oportet. — Causa autem altissima dupliciter accipi potest: vel simpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere, et per eampotest de omnibus quæ sunt illius generis judicare et ordinare, dicitur esse sapiens in illo genere, ut in medicina, vel architectura, secundum illud I. Cor. III: Ut sapiens architectus fun

dămentum posui. Ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, inquantum per regulas divinas omnia potest ordinare et judicare. Hujusmodi autem judicium consequitur homo per Spiritum sanctum, secundum illud I. Cor. II : Spiritualis judicat omnia ; quia, sicut ibidem dicitur, spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ergo donum sapientiæ juvat ad contemplationem, quia ista sapientia de sursum est; Jac. III.

261. In art. 2 ejusdem quæstionis probat D. Thomas quod donum sapientiæ est in intellectu sicut in subjecto, quæ rationes etiam probant juvare ad contemplationem. Sapientia importat quamdam rectitudinem judicii secundum rationes divinas. — Rectitudo autem judicii potest contingere dupliciter. Uno modo secundum perfectum usum rationis ; alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea de quibus jam est judicandum : sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte judicat ille qui didicit scientiam moralem; sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam, recte judicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum judicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis ; sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam secundum quod est donum. Ergo donum sapientiæ juvat ad contemplationem.

262. Donum scientiæ juvat ad contemplationem. Hoc probat D. Thomas, 2 2, q. 9, art. 1 : Dicendum quod gratia est perfectior quam natura; unde non deficit in his in quibus homo per naturam perfici potest. Cum autem homo per naturalem rationem assentit secundum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam. Primo quidem, quia capit eam ; secundo, quia de ea certum judicium habet. Et ideo ad hoc quod intellectus humanus perfecte assentiat veritati fidei, duo requiruntur; quorum unum est quod sane capiat ea quæ proponuntur, quod pertinet ad donum intellectus. Aliud autem est ut habeat certum et rectum judicium de eis, discernendo scilicet credenda a non credendis, et ad hoc necessarium est donum scientiæ ; ergo donum scientiæ adjuvat ad contemplationem. Et solutione ad secundum dicit quod circa credenda duplex scientia potest haberi. Una quidem per quam homo

scit quid credere debeat, discernens credenda a non credendis: et secundum hoc scientia est donum, et convenit omnibus sanctis. Alia vero est scientia circa credenda, per quam homo non solum scit quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, et alios ad credendum inducere, et contradictores convincere. Et ista scientia ponitur inter gratias gratis datas, quæ non dantur omnibus, sed quibusdam. Ex qua ratione clare colligitur quod donum scientiæ juvat ad contemplationem.

263. Donum intellectus etiam juvat ad contemplationem. Hoc probatur a D. Thoma, 2 2, qu. 8, art. 1: Nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores, cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Objectum enim intellectus est quod quid est, ut dicitur in III De anima. — Sunt autem multa genera eorum quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis; sub verbis latent significata verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata (res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilium, quæ exterius sentiuntur), et in causis latent effectus, et e converso. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus. Sed cum cognitio hominis a sensu incipiat, quasi ab exteriori, manifestum est quod quanto lumen intellectus est fortius, tanto potest magis ad intima penetrare. Lumen autem naturale nostri intellectus est finitæ virtutis; unde usque ad determinatum aliquid pertingere potest. Indiget ergo homo supernaturali lumine, ut ulterius penetret ad cognoscendum quædam quæ per lumen naturale cognoscere non valet; et illud lumen supernaturale homini datum, vocatur donum intellectus. Ex quibus manifeste colligitur quomodo juvat ad contemplationem supernaturalem.

264. Donum consilii etiam juvat ad contemplationem supernaturalem. Probatur ex illo quod dicit D. Thomas, 2 2, q. 52, art. 2: Principium motivum inferius adjuvatur præcipue, et perficitur per hoc quod movetur a superiori motivo principio; sicut corpus in hoc quod movetur a spiritu. Manifestum est autem, quod rectitudo rationis humanæ comparatur ad rationem divinam, sicut principium motivum inferius, quod movetur ad

superius, et refertur in ipsum. Ratio autem æterna est suprema regula omnis humanæ rectitudinis. Et ideo prudentia, quæ importat rationis rectitudinem, maxime perficitur et juvatur secundum quod regulatur et movetur a Spiritu sancto: quod pertinet ad donum consilii. Unde donum consilii respondet prudentiæ, sicut ipsam adjuvans et perficiens. Prudentia juvat contemplationem: ergo donum consilii juvabit contemplationem supernaturalem.

265. Donum fortitudinis juvat etiam contemplationem supernaturalem. Probatur. Quia, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 139, art. 1, donum fortitudinis datur ad opera quædam difficillima, vires naturales excedentia, quæ homo per hoc donum cum magna fiducia, immo et sine ullo timore ipsum perturbante, etiam mortis, aggreditur. Recte contemplationis donum fortitudinis id facit, ut homo superet omnia peccata et universas tentationes, et omnia inferiora contemnat, et virtutum ornamenta custodiat.

266. Donum pietatis etiam juvat contemplationem. Isto dono, anima in contemplatione posita, movet nos Spiritus sanctus, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 121, ad hoc quod affectum quemdam filialem habeamus ad Deum, secundum illud Rom. VIII: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Et quia ad pietatem proprie pertinet officium et cultum patri exhibere, consequens est quod pietas, secundum quam cultum et officium exhibemus Deo, ut patri, per instinctum Spiritus sancti, sit Spiritus sancti donum, quod vocatur pietas. Et in solutione ad 3 dicit quod sicut per pietatem, quæ est virtus, exhibet homo officium et cultum non solum patri carnali, sed etiam omnibus sanguine conjunctis, secundum quod pertinent ad patrem: ita etiam pietas, secundum quod est donum, non solum exhibet cultum et officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, inquantum pertinent ad Deum. Et propter hoc ad ipsam pertinet honorare sanctos, non contradicere Scripturæ, sive intellectæ sive non intellectæ.

267. Donum timoris etiam juvat contemplationem. De isto timore loquitur D. Thomas, 2 2, quæst. 19, art. 9, et in expositione Psal. XVIII, in illis verbis: Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi. De timore isto duo dicit Propheta, dicit D. Thomas. Primo dicit eum sanctum, secundo dicit eum per-

manentem. Omnis autem timor ex amore causatur, quia illud timet homo perdere quod amat. Et ideo sicut est duplex amor, ita est duplex timor. Quidam est timor sanctus qui causatur ab amore sancto. Sanctus amor est quo amatur Deus; Rom. v: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Timor iste sanctus tria facit. Primo, timet Deum offendere; secundo, recusat ab eo separari; tertio, per reverentiam Deo se subjicit: et iste timor dicitur castus et filialis, qui est donum; ergo juvat ad contemplationem.

De præparatione ad Spiritum sanctum.

268. D. Thomas, explicans illud Joan. XIV: Si diligitis me, mandata mea servate, dicit: Præparatio ad receptionem Spiritus sancti, una quidem est necessaria ex parte discipulorum, alia ex parte Christi. Ex parte quidem discipulorum necessaria est duplex præparatio, scil. amor cordis et obedientia operis. Quorum unum Dominus supponit eos habere, et quantum ad hoc dicit: " Si diligitis me. „ Et hoc apparet quia tristamini de recessu; Joan. XV: Vos me amastis, quia ab initio. Aliud vero importat futurum; et quantum ad hoc dicit: " Mandata mea servate; „ quasi dicat: Non ostendatis amorem quem habetis ad me fletu, sed obedientia mandatorum meorum. Hoc enim est manifestum dilectionis signum: " Si quis diligit me, sermonem meum servabit. „ Hæc ergo duo præparant ad receptionem Spiritus sancti. Cum enim Spiritus sanctus sit amor, non datur nisi amantibus; Prov. VIII: Ego diligentes me diligo. Item datur obedientibus; Actor. I: Nos hujus rei testes sumus; Isaiæ LXVI: Super quem requiescit spiritus meus, etc.

269. Videtur tamen quod obedientia discipulorum et amor eorum ad Christum, non præparant ad Spiritum sanctum. Ad Rom. v: Charitas Dei diffusa in cordibus nostris, etc. Obedientia autem est nobis a Spiritu sancto; Rom. IX: Qui spiritu Dei aguntur; et in Psal. CXVIII: Viam mandatorum tuorum cucurri, etc. Respondet Sanctus, cujus est objectio, quod hoc est donum Dei, ut qui bene utitur dono sibi concesso, amplioris gratiæ et doni acceptionem mereatur, et qui male utitur, hoc ipsum, quod accipit, auferatur ab eo. Nam, ut legitur

Matth. xxv, servo pigro ablatum est talentum, quod acceperat a domino suo, quia non bene eo usus fuit, et datum est ei qui acceperat quinque, cum quibus lucratus fuerat alia quinque. Sic ergo de dono Spiritus sancti. Nullus enim potest eum diligere, nisi habeat Spiritum sanctum. Non enim nos prævenimus gratiam Dei, sed ipsa prævenit nos. Ipse enim prior dilexit nos, ut dicitur I. Joan. III. Et ideo dicendum est quod Apostoli primo quidem receperunt Spiritum sanctum, ut diligerent Deum, et obedirent mandatis ejus; sed necesse erat ad hoc ut ampliori plenitudine Spiritum sanctum reciperent, quod bene uterentur, diligendo et obediendo, dono Spiritus sancti prius recepto. Et secundum hoc est sensus: " Si diligitis me „ per Spiritum sanctum, quem habetis, et obeditis mandatis meis, recipietis Spiritum sanctum quem habetis, in ampliori plenitudine.

270. Præparatio ex parte Christi est, quæ fundatur in illis verbis: " Et ego rogabo Patrem. „ Quia Christus largitur nobis dona cœlestia, et impetrat nobis dona cœlestia, rogando Patrem. Et attende quod idem est qui rogat ut detur, et qui dat Paraclytum. Rogat inquantum homo, dat inquantum Deus. Dicit autem " et rogabo, „ ut eorum repellat tristitiam de suo recessu, quoniam ipse recessus est ratio ut reciperent Spiritum sanctum.

Hic ponuntur quæ desunt art. subsequenti.

271. D. Thomas, explicans illud Cant. v: Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, dicit: Oculi sponsæ sunt dona Spiritus sancti, quod ostendit Joannes in Apocalypsi, dicens: Vidi agnum tamquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram; unde bene columbis super rivos aquarum comparantur, quia Spiritus sanctus puris et sinceris mentibus delectatur. Non enim super stagna vel paludes, sed super rivos aquarum columbæ resident, quia Spiritus sanctus castas et mundas mentes, ut dictum est, sibi habitaculum facit. " Quæ lacte sunt lotæ. „ Lactis nomine, gratia Dei intelligitur, quæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ tribuitur, et qua, veluti lacte parvuli, ita Ecclesia nutritur. Hæc ille.

272. Dona Spiritus sancti habent suas proprietates, et inter illas numerantur tres. Prima, connexio inter se et cum charitate et gratia; secunda, duratio eorum, tam hic quam in patria; tertia, æqualitas, vel inæqualitas, tam inter se quam cum virtutibus. Et istæ proprietates etiam sunt virtutum. Alia autem proprietas quæ virtutibus convenit, scilicet quod in medio consistant, solum convenit virtutibus moralibus quæ mensurantur ratione in materia capaci excessus vel defectus; quæ vero instinctu Spiritus sancti ducuntur, non habent determinatam regulationem in medio, sed ipsi immediate uniuntur et ejus impulsum sequuntur.

273. Quando dicitur dona esse connexa, non intelligitur quantum ad actus et exercitium eorum, sed quoad habitus. Nec enim necesse est ut qui exercetur in una virtute, exerceatur in omnibus; sed necesse est quod sit dispositus et paratus exerceri in illa, si occasio se obtulerit; quia si in materia virtutum aliquis habet dictamen sequendi unam virtutem et operandi in illa, v. g. in justitia et religione, habeat autem dictamen corruptum circa materiam castitatis, ita ut non sit paratus servare illam, si occasio se obtulerit, manifestum est quod si concurrat occasio, aut servandi castitatem, aut non servandi justitiam, potius eligit abrumpere justitiam quam castitatem servare: quod est indicium dictamen illud de justitia servanda, non fuisse firmum, atque adeo nec virtuosum.

274. Eodem modo dicendum est de connexione donorum, quod non est necesse esse connexa ex parte actuum, ita ut qui se exercet in uno, etiam exerceatur in aliis: sed ex parte habituum; quia (*qui*) ex unione ad Deum per virtutes theologicas paratus est sequi ejus motionem et instinctum, quo movetur ad consecutionem vitæ æternæ, debet esse paratus sequi in omnibus quæ ad talem consequentiam et tendentiam conducunt; ita ut qui in cognitione sequitur motionem Spiritus sancti circa ea quæ ad fidem pertinent, sed non est paratus sequi in pietate, vel firmitate, aut timore retrahente a malo, non est sufficienter dispositus ad sequendum ductum Spiritus sancti, respectu consecutionis vitæ æternæ; nec cum Propheta dicere potest: Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

275. Proprium donorum est per ea reddi animum bene mo-

bilem a Spiritu sancto, ad operandum ea quibus deducitur in vitam æternam, superando omnes difficultates quas sola humana ratio et virtutes per eam regulatæ superare non possunt, nisi altiori Spiritus sancti instinctu et regulatione perficiantur: ideo proprie actus donorum sunt illi quibus specialiter accedimus per instinctum Spiritus sancti ad vitam æternam, ad quam tanto magis acceditur quanto magis a præsentis sæculi blandimentis et commoditatibus separamur. Et sic quia elongatio ab hoc mundo ejusque voluptatibus, fastu et divitiis, est accessio ad veram beatitudinem quæ est vita æterna, ideo Christus Dominus (Matth. v) octo beatitudines numeravit inter octo præcipuas operationes, quibus maxime elongamur ab hoc sæculo, et accedimus ad veram beatitudinem, segregando nos a falsa et impeditiva illius; in quo multi homines errabant, quærentes beatitudinem in bonis hujus vitæ, cum potius ista sint valde impeditiva veræ beatitudinis, quia bona sensibilia sunt, quæ maxime spiritualibus opponuntur, ideoque relinqui debent.

276. Hæc autem derelictio bonorum hujus vitæ et dispositio qua accedimus ad veram beatitudinem fit quidem per regulam rationis et virtutis modo humano, et secundum limitationem propriam, non vincendo omnes difficultates quæ se possunt offerre usque ad perveniendum in vitam æternam, et sic sufficientes non sunt ad perveniendum ad beatitudinem, sicut sunt operationes ab instinctu et motione seu regulatione Spiritus sancti procedentes per dona, ideoque istæ donorum operationes simpliciter beatitudines nominantur; quia simpliciter ad beatitudinem nos faciunt pervenire, juxta quod dicitur Psal. CXLII: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

277. Istæ beatitudines ita distribuuntur. Quædam pertinent ad exclusionem falsæ beatitudinis, et istæ sunt quatuor. Quædam quæ pertinent ad dispositionem et tendentiam ad veram et æternam beatitudinem; et istæ sunt aliæ quatuor, ita tamen distributæ, quod duæ pertinent ad disponendam vitam activam, duæ ad contemplativam. Qua ratione omnia quæ ad beatitudinem deducere possunt includuntur. Unde licet plures operationes quam octo istæ beatitudines dari possint, omnes tamen ad ista octo genera reducuntur, et in istis continentur.

278. Ad remotionem falsæ beatitudinis pertinent tres primæ

beatitudines et octava, seu ultima, quæ est quasi aliarum septem confirmatio et manifestatio. Prima enim beatitudo, quæ est paupertas spiritus, removet amorem inordinatum divitiarum, ne in illis ponamus cor nostrum, tamquam in beatitudine et fine ultimo. Secunda beatitudo " Beati mites „ removet inordinatas passiones irascibilis, ne in victoria et vindicta inimicorum ponamus finem. Tertia beatitudo " Beati qui lugent „ removet inordinatas passiones delectationis et gaudii, in quibus plures beatitudinem posuerunt: quorum Deus venter est; sed magis tristitiam et luctum assumit de temporalibus. Octava " Beati qui persecutionem patiuntur „ removet favorem et applausum humanum, et magis patitur persecutionem, ne recedat a via justitiæ.

279. Ad dispositionem veræ beatitudinis per opera vitæ activæ ordinantur et quarta et quinta beatitudo, quia quarta beatitudo est sitire et esurire justitiam, hoc est ardenti corde omnibus reddere quæ debita sunt. Quinta autem beatitudo " Beati misericordes „ est non solum debita, sed etiam gratuita reddere aliis per misericordiam et eleemosynam, non solum amicis et propinquis, sed etiam extraneis et inimicis. Ad dispositionem autem beatitudinis per vitam contemplativam ordinantur sexta et septima beatitudo, scilicet purgatio cordis per immunditiam, sine qua contemplatio non perficitur, et sic dicitur " Beati mundo corde, „ quæ est sexta beatitudo; et pax illa quæ exsuperat omnem sensum, et ebriat spiritum, et est opus justitiæ, et sic dicitur " Beati pacifici, „ quæ est septima beatitudo.

280. Quare autem ponantur octo beatitudines, si non sunt nisi septem dona, et quomodo Lucas solum ponit quatuor, et Matthæus octo, dico octavam beatitudinem pertinere ad septem præcedentes, quasi confirmationem et manifestationem earum. Continet enim quamdam firmitatem animi, ne propter humanas persecutiones recedat ab his quæ per alias septem beatitudines et septem dona fiunt; et sic facit ut homo non quærat favores et applausum hominum, sed potius persecutiones eorum sustineat. Unde septem beatitudines pertinent ad septem dona; octava autem beatitudo firmitatis in persecutionibus per omnia dona versatur.

281. De quatuor autem beatitudinibus, quas Lucas nu-

merat, dico illas fuisse numeratas a Domino in alio sermone, quem habuit ad turbas, descendendo de monte. Et quia turbis loquebatur, noluit Dominus nisi illa tantum eis proponere quæ removent falsam beatitudinem, quam plures, præsertim ex vulgo, ponunt in bonis hujus sæculi, et sic solum numeravit paupertatem, esuriem, seu laborem, fletum oppositum favori seu applausui. In sermone vero habito ad discipulos, ut ad perfectiores, etiam alias quatuor beatitudines addidit, quæ pertinent ad dispositionem pro vera beatitudine. Unde colliges non esse necesse omnia dona semper exerceri ab omnibus, licet omnia sint necessaria ad salutem pro occasione et tempore: sicut nec omnia præcepta affirmativa exercere oportet, nisi pro loco et tempore, nec omnes virtutes semper exercentur. — Istæ beatitudines continent non solum opera supererogationis et consilii, sed etiam præcepti, et communiter facta secundum quod speciali instinctu Spiritus sancti fiunt in ordine ad beatitudinem. Licet enim plura sint opera ex subjecto suo magna et extraordinaria, ut totalis abjectio divitiarum per paupertatem spiritus, tranquillitas omnium passionum, tolerantia persecutionum hujus vitæ, etc.: tamen alia sunt, quæ, licet in se non sunt magna, respectu tamen hujus subjecti infirmi et difficultatibus plurimis circumdati, magna sunt et egent peculiari dono et motione Spiritus sancti, sine qua non vincent illas difficultates. Et sic uti moderate divitiis, etiamsi non relinquantur omnino, etiam pertinere potest ad paupertatem spiritus; et non frangi persecutionibus et tentationibus ordinariis, præsertim multo tempore, beatitudo esse potest.

282. Fructus Spiritus sancti non distinguuntur ab operibus donorum et virtutum; sed illos dicunt cum quadam connotatione delectationis et gustus quo fiunt. Ideoque nihil prohibet aliquid esse virtutem, et beatitudinem, et fructum. Est enim fructus ultimum quod producitur ab arbore, et cum suavitate percipitur. Ultimum quod arbor nostra producit Spiritu sancto rigata, sunt actus et effectus relicti aut imperati ex donis et virtutibus; et ideo cum percipiuntur cum quadam delectatione spiritus, dicuntur fructus Spiritus sancti; quod præcipue relucet in illis duodecim. Beatitudo autem, etsi sit fructus, quia est actus doni, plus addit, nempe excellentiam quamdam inter ista opera, quibus acceditur ad vitam æternam.

283. D. Thomas, in sermone Vigiliæ Nativitatis Domini, dicit quod contemplativi illuminantur a Christo qui est sol et lux. Lux habet sex effectus. Primus est illuminatio; secundus fœcundatio: fœcunditas enim est ab influentia lucis; tertius præservatio: est enim lux præservativa; quartus ordinatio; quintus ornatio: Dionysius: Lux confusum et inordinatum ordinat et ornat; sextus sui effusio: est enim lux effusiva sui, fœcundatrix, virtutum radios infundendo, et ad bona opera commovendo; Isa. LVIII: Implebit splendoribus animam tuam; et post: Et eris hortus irriguus, etc. Contemplativi ornantur virtutibus. Dicit D. Thomas in sermone Vigiliæ Pentecostes, fundatus in illa auctoritate Job XXVI: Spiritus Domini ornavit cœlos: Contemplativi vocantur cœli, et isti adornantur virtutibus, sicut cœli adornantur stellis, et ponit in eis quinque ordines stellarum.

8. (Pag. 132) Quæst. 2, Disp. 2, post art. 5.

Anima in contemplatione supernaturali delectatur dulcedine admirabili.

284. D. Thomas explicans illud Psal. XXX: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te; perfecisti eis qui sperant in te; in conspectu filiorum hominum, dicit sic: Dulcedo in spiritualibus transumptive dicitur. Sicut enim dulcedo corporalis delectat gustum carnis, ita quod mentem delectat interius dicitur dulcedo. Et ideo bonitas substantialis Dei dicitur dulcedo Dei, et quidquid delectat in mundo, totum est in Deo: ut sapientia, veritas, honores, excellentia, voluptas et omnia hujusmodi in excessu sunt in Deo. Et ideo dicit: " Quam magna multitudo, „ superexcedens, secundum magnitudinem infinite a nobis incomprehensibilis. — Item similiter multitudo quantum ad dulcedinem affectus; quia quidquid homini potest provenire, totum est ex dulcedine bonitatis Dei; Sapient. XII: O quam suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis. " Quam abscondisti, „ quam in abscondito posuisti, ut timentes te habeant eam; quasi dicat: In absconditc posuisti propter eos. Et quare? Quia illa dulcedo non in sen-

sibilibus bonis, quæ manifesta sunt nobis, sed in invisibilibus, e non in rebus creatis, sed in invisibilitate ipsius Dei; Apoc., cap. II: Vincenti dabo manna absconditum; I. Cor. II: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Dominus diligentibus se. " Perfecisti, „ inter illam prædestinationem et ejus effectum, ejus scilicet qui est in gloria, in medio est status gratiæ, qui est inchoatio gloriæ. Et hac prætermissa, tendit ad perfectum, et dicit: " perfecisti, „ idest perficies, et incepisti perficere id absconditum; I. Cor. XIII: Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, etc. Sed quibus? " Eis qui sperant in te, „ ad quos pervenit hæc perfectio, non ad eos qui in seipsis confidunt; ad Rom. V: Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hæc ille.

285. Eamdem doctrinam habet D. Thomas, explicans illud Psal. XVIII: Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum; etenim servus tuus custodit ea: Loquitur de anima contemplante Deum, et amore supernaturali amante ipsum. In rebus mundanis desiderantur exteriores divitiæ et voluptates corporales. Et supra ista est delectatio legis Dei, et dicit de anima videnle Deum: Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum sunt mandata tua, Deus; Prov. VIII: Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari; Psal. CXVIII: Dilexi mandata tua super aurum. " Et dulciora sunt mihi super mel et favum; „ Psal. CXVIII: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Dicitur mel et favum quantum ad delectationes corporales. Mel contrahitur a cera, sed favus est mel et cera. Delectationes corporales quandoque sunt manifestæ, et sic est mel: quandoque sunt absconditæ et dulciores, et sic est favus; Prov. IX: Aquæ furtivæ dulciores sunt. Vel præferuntur favo propter vetus Testamentum, in quo est mel in favo, veritas in figura; mel propter novum, ubi est veritas manifesta.

286. Objicit sibi D. Thomas: Numquid spirituales delectationes sunt delectabiliores? Respondet: Dicendum est quod sic: et est triplex ratio. Una ex parte boni delectati, quod est potius bonum; et ex causa delectationis, quod est majus bonum: ergo magis delectabile. Secundo ex parte potentiæ delectantis: quia vis intellectiva est fortior sensitiva. Tertio ex

modo delectationum. Corporales delectationes consistunt in fieri et in motu, sicut in cibis et in aliis. Motus autem est quid imperfectum, et quoddam futurum et præteritum importat: quia non habetur totum simul. Spirituales autem delectationes non sunt in motu, quia consistunt in amando et intelligendo bonum, quod non est in motu: sed per accidens plus desiderantur illæ, inquantum abundant aliqui in sensu, et deficiunt in intellectu.

287. Sancti significantur per aurum et lapidem pretiosum; I. Cor. III: Si quis ædificaverit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos. Item per mel et favum significantur illi qui alienati sunt a rebus mundi; sed favus sunt illi qui adhuc rebus mundi delectantur; et tales quia non sunt totaliter alieni, diligunt plus se quam præcepta; alii diligunt plus præcepta quam se. — Et hoc probat dupliciter: Primo, experimento; secundo, ex affectu. Experimento, cum dicit: " Etenim servus tuus custodit ea; " quasi dicat: Possum dicere quia dulcia sunt, qui probavi ea: nam ego diligo et experior. Nullus autem testimonium potest ferre, nisi qui experitur; Jo. VII: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquor. Ex affectu et remuneratione probat idem: " In custodiendis illis retributio multa. "

288. Eamdem doctrinam tenet D. Thomas in expositione illius versiculi Psalmi XXIV: Dulcis et rectus Dominus. Dicit Sanctus: Notandum quod circa divinam bonitatem dicit duo, scilicet dulcedinem et rectitudinem, quia " dulcis et rectus. " Dulcedo proprie est in corporalibus, metaphorice autem dicitur in spiritualibus. Unde oportet quod in spiritualibus dulcedo sumatur ad similitudinem corporalis. Habet autem hoc dulcedo corporalis, quod reficit gustum corporalem, et quietat, et delectat. Similiter et spiritualis dulcedo quietat, et reficit, et delectat spiritualem gustum. In Deo autem est spiritualis dulcedo; Sap. XVI: Dulcedinem quam habes in filios ostendebas. Sed apud homines dulcedo dicitur inquantum satisfaciunt, vel sibi, vel aliis, in malis sive in peccatis; sed in Deo non est nisi in bonis. Et ideo subdit: " Et rectus Dominus; " Ps. CXVIII: Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.

289. D. Thomas, explicans illud Cant. V: Guttur illius sua-

vissimum, et totus desiderabilis, dicit sic: Per guttur ipsorum verborum interior dulcedo significatur, qua intellectus noster satiatur, et ad quam percipiendam invitabat Psal. (XXXIII): Gustate et videte quia suavis est Dominus. Et multi quidem verba Domini facile intelligere possunt, sed pauci sunt qui dulcedinem illorum valeant penetrare, hoc est qui præcepta Domini ex amore et desiderio studeant adimplere. " Et totus desiderabilis. „ Ac si diceret: Quid per singula ejus membra describendo immoror? Totus est desiderabilis sponsus meus. Totus, inquit, quia perfectus Deus, perfectus homo. Totus ergo desiderabilis est, quia angelos et electos quosque ad suum desiderium accendit. Juxta quod Apostolus dicit, I. Petri I: In quem desiderant angeli prospicere. Et quanto vicinius aspicitur, tanto majori affectu ad se aspiciendum desiderium provocat intuentis. Hæc ille.

Anima in contemplatione supernaturali dilatat cor suum ad fruendum deliciis Dei sui.

290. D. Thomas, explicans illud Ps. XLI: Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, dicit sic: " Hæc recordatus sum, „ scilicet improperia infidelium dicentium: " Ubi est Deus tuus? „ Thren. III: Memoria memor ero. Et habui consolationem mentis, " quia effudi in me animam meam. „ Quando liquor diffunditur, dilatatur. Unde quia latitudo cordis pertinet ad lætitiam, quæ quædam delectatio est, ideo in effusione animæ designatur delectatio; Psal. LXI: Effundite coram illo corda vestra. Alia littera habet: " Effudi super me animam meam. „ Et secundum hoc aliter legitur, et est sensus: Dicunt: " Ubi est Deus tuus? „ Et ego hæc recordatus, primo quæsivi sensibiles creaturas, si invenirem Deum meum, sed inveni in eis quædam Dei vestigia; Rom. I: Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sed ultra processi in rebus intellectualibus animæ, et effudi super me animam meam, idest, sollicite discutiens, quæsivi quidquid est in eis, quasi coram me ponens omnia, sicut qui extrahit de vase omnia, ut discutiat quidquid sit

intus; et tamen non est ibi Deus meus. Sed est aliquid aliud supra; et hoc feci, " Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei; „ quasi dicat: Totum solatium quod habere possem est spes tendendi in Deum. Et dicit duo: scilicet quo tendit, et quomodo.

291. Circa primum accipienda est talis imaginatio: In veteri testamento erat duplex locus divino cultui deputatus: scilicet tabernaculum, de quo habetur Exod. xxxvi: Postea, crescente populi statu et religione, ædificata est domus Dei, scilicet templum, non ut tabernaculum, sed ut res fixa. Et hanc voluit facere David, sed prohibitus est a Deo; II. Reg. vii: Numquid ædificabis mihi domum? Item Paralip. xxvii. Sed promissum ei est quod filius suus ædificaturus esset domum Dei; unde et ipse paravit impensas, et ideo dicit: " Dicunt mihi: Ubi est Deus tuus? „ Et ego hæc recordatus delector quod inveniam eum: et ideo toto affectu tendam in eum. " Et transibo in locum tabernaculi admirabilis; „ quasi dicat: Non quiescam donec inveniam eum. Et dicit: " transibo, „ quia per tabernaculum, quod erat mobile, significatur status præsentis Ecclesiæ, quæ non est perpetua, nec stabilis, nisi usque ad consummationem sæculi, et tunc transfertur. Et hoc dicit Apoc. xxi: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, idest præsens Ecclesia cum hominibus, idest donec homines erunt in vita illa. Et ex hoc transibo ad stabilem domum Dei; Psal. lxiv: Replebimur in bonis domus tuæ; Joan. xiv: In domo Patris mei, etc. Et sic innuit ire in tabernaculum mirabile, propter mirabilia quæ fecit sanctis suis. Hæc ille. Homo in contemplatione effundit in Deum animam suam; sed prius in meditationibus creaturarum quærit ubi sit Deus suus, et non invenit. Sed in contemplatione supernaturali invenit Deum suum, et delectatur cum ipso, et effundit coram illo cor suum.

292. Confirmatur hæc doctrina ex alia D. Thomæ. Explicans illud Ps. xxxvi: Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: revela Domino viam tuam; spera in Deo, et ipse faciet, dicit Sanctus: " Delectare in Domino. „ Desiderium si compleatur, delectat animam. Si Deo inhæreas, implebitur desiderium tuum. Sed quia ad hoc requiritur, ut sit justum desiderium; non enim est Deus actor injustitiæ, ideo primo ponit radicem justi desiderii, scilicet, quod homo delectatur in Deo

per amorem; unde ait: " Delectare in Domino; „ quasi dicat: Non sis contentus de necessariis ad salutem, sed quære superabundantias exquisitas, sicut deliciosi homines non sunt contenti communibus cibis; Joan. XXII: Tunc super omnipotentem deliciis affluës. Et tunc " Dabit petitiones cordis tui. „ Non dicit: carnis. Petitiones cordis, secundum Origenem, sunt quæ cor desiderat: v. gr., secundum eum, si oculus posset petere, desideraret pulchros colores, auditus autem dulces sonos: sic cordis objectum cum sit veritas et justitia, hæc desiderantur ab eo. Et hæc dabit tibi. " Revela Domino viam tuam. „ Cum enim impletur propositum alicujus, tunc gaudet. Ad quod implendum duo sunt necessaria. Primo, quod recurrat ad Deum. Secundo, quod fiduciam habeat de eo. " Revelà Domino viam tuam, „ id est propositum tuum; sed non sic ut sciat Deus, qui scit cogitationes hominum. Loquitur similitudinem, quasi dicat: recurre ad ipsum pro impletione tui propositi. Sed petitioni tuæ addas spem. Et ideo dicit: " Spera in eo. „ Et implebitur petitio tua: " Et ipse faciet. „ Hæc ille. — Anima in contemplatione delectatur in Domino per amorem, offerendo ipsi non solum servare præcepta, sed consilia et omne quod beneplacitum est ipsi; et Dominus dat ipsi petitiones cordis sui, et desiderium completum delectat animam. In illa contemplatione deliciosa revelat Domino cor suum, et sperat in eum, et ipse complet ejus desiderium. Hoc insinuat D. Thomas, explicando illud Cant. VII: Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis. Dicit Sanctus: In deliciis, quia suavitatem supernæ dulcedinis assidue palato mentis degustat, et inter pressuras hujus sæculi illas adipisci desiderat, et continue illis satiari.

293. D. Thomas explicans illud Psal. XXVI: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, dicit: Desiderii ergo qualitas in duobus consistit, scilicet in unitate et sollicitudine: et utrumque pertinet ad perfectionem desiderii. Perfectio enim desiderii dependet ex perfectione causæ suæ, scilicet amoris, qui quando est perfectus, primo congregat in unum omnes vires, et movet eum in amatum. Est enim, secundum Augustinum, pondus amantis. Res autem ponderosa sine vacillatione tendit ad unum, sed non sic, si res non est

bene ponderosa; sed divinus amor facit totum hominem in Deum tendere sine vacillatione; Psal. LXXII: Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Gregorius: Vis amoris studium multiplicat inquisitionis. Hoc fecit Anna prophetissa, quæ non discedebat a templo, jejuniis et orationibus serviens die ac nocte. Et ideo dicit: " Unam petii, „ idest unam rem vel unam petitionem; III. Reg. II: Unam petitionem parvulam ego deprecor a te: Ne confundas faciem meam.

294. Secundo, sollicitat, cum sit stimulus, et ignis amor; Cant. VIII: Lampades ejus, lampades ignis; II. Cor. IX: Charitas Dei urget nos. Unde dicit: " Hanc requiram; „ Isa. XXI: Si quæritis, quærite; Matth. VII: Quærite, et invenietis. — Consequenter ponitur res petita. Unde dicit: " Ut inhabitem in domo Domini; „ domus spiritualis Dei est Ecclesia militans; I ad Timoth. III: Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Alia est Ecclesia triumphans; II. Cor. V: Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cælis. De utraque ergo potest hoc intelligi, quia hæc domus via est ad illam, et porta ejus; Psal. CXVII: Hæc porta Domini; justi intrabunt in eam. Et ideo desiderandum est habitare in domo, scilicet Ecclesia. Et hoc " omnibus diebus vitæ meæ, „ idest usque in finem; Psal. CXXXI: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

295. " Ut videam voluptatem Domini. „ Et ponit duo: quia " ut videam voluptatem, et visitem templum ejus. „ Alia littera habet: " Ut contempler habitationem; „ Hieronymus habet: " Ut est merces; „ secundum Augustinum, Joan. XVII, Hæc est vita æterna, ut cognoscant, etc. — Tria sunt in illa visione consideranda, quæ naturaliter homo desiderat videre. Primo, pulchra. Summa pulchritudo est in ipso Deo, quia pulchritudo in formositate consistit. Deus autem est ipsa forma informans omnia, ideo dicit secundum unam litteram: " Ut videam delectationem Domini. „ Sap. XIII: Si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Secundo, delectabilia, et fugere tristitiam; et ideo secunda littera habet: " Ut contempler delectationem Domini, „ idest bonitatem Dei,

in qua est summa delectatio; Psal. xv: Delectationes in dextera tua usque in finem. Tertio, dispositio rerum. Unde multum est delectabile scire scientiam omnium rerum quæ in mundo sunt, et ideo videre dispositionem divinæ providentiæ est maxime delectabile. Et ideo dicit: " Ut videam voluntatem Domini, „ rationem a Deo volitam et dispositam; Rom. xii: Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Hæc autem habemus in vita ista imperfecte et per fidem; in futura autem domo habebimus perfecte, ubi sunt sancti contemplantes Deum facie ad faciem. Hæc ille.

Deus in contemplatione animam satiat bonis, dat intelligentiam elevatam et alia multa.

296. D. Thomas, explicans illud Psal. xxiv: Anima ejus in bonis demorabitur, dicit: Ut accipiatur pro voluntate, cujus objectum est bonum. Ergo tunc in bonis homo moratur, quando satiatur spiritualibus; Psal. ciii: Qui replet in bonis desiderium tuum, idest bonis præsentis vitæ, scilicet spiritualibus virtutibus; et in futuris bonis gloriæ. A Deo speranda sunt tria, secundum quod tria sunt in homine, scilicet intellectus, voluntas et virtus operativa. Deus ergo intellectum instruit, voluntatem satisfacit, et virtutem roborat. " Et sic anima in bonis demorabitur. „ — Idem Sanctus, explicans illud Isa. xxviii: Ebrii, dicit: Sancti satiantur spiritualibus bonis, taliter quod inebriantur ab illis. Primo, lachrymis compunctionis; Isa. xvi: Inebriabo te lachryma mea. Secundo, calice compassionis; Psal. xxii: Calix meus inebrians quam præclarus est! Tertio, incentivo amoris; Cant. iv: Comedite, amici, et inebriamini. Quarto, torrente felicis delectationis; Ps. xxxv: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. — Item sancti in contemplatione satiantur lacte multipliciter, ut docet D. Thomas in eodem capite Isaiæ. Primo, lacte puræ conscientiæ; Thren. iv: Candidiores nive, nitidiores lacte propter nitorem. Secundo, sanæ doctrinæ, propter dulcorem; Cant. iv: Mel et lac sub lingua tua. Tertio, æternæ gloriæ, propter facilem absorptionem; Josue xx: Possidete terram fluentem lac et mel.

297. Deus in contemplatione communicat quamdam intelli-

gentiam elevatam. D. Thomas, explicans illud Joan. XVI: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, dicit sic: Cum enim sit a veritate, ejus est docere veritatem, et facere similes suo principio. Et dicit " omnem veritatem, „ scilicet fidei, quam docebit post per quamdam elevatam intelligentiam in vita ista, et eamdem plenarie in vita æterna; ubi cognoscemus, sicut et cogniti sumus, I. Cor. XIII. Et Joan. XIII: Unctio docebit vos.

298. Cognitio sanctæ contemplationis quietat et satiat animam, ut terrena gustare non libeat. Quod indicavit Petrus in monte dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Certe in speculam altissimæ cujusdam contemplationis evectus, ad infima redire dedignatur, et illius divinæ claritatis visione satiatus, nihil aliud sibi aut quærendum aut diligendum objicitur. Contemplatio, per se accepta, non est omnis virtus, et infert omnem virtutem non tantum in ordinario et mediocri gradu, sed in gradu sublimi atque perfecto. Contemplatio namque sanctorum, quæ charitatem habet partem sui, cor hominis ardere facit, et hoc beato ardore ad perfectissimos omnium virtutum actus propter Deum et proximum suscipiendos accendit. Quamobrem licet amor, vel charitas in Deum una tantum virtus sit, tamen ad omnia mandata custodienda nos mittit.

299. Contemplatio ornamentum est oculorum animæ, sed non quælibet inspectio, divinorum est contemplatio sanctorum: sed ea quæ ad Dei honorem et gloriam ordinatur, et voluntatem ad amorem Dei et alios affectus sanctos excitare sentitur. Contemplatio sanctorum, quæ a dono scientiæ procedit, non tantum scientes, sed sapientes facit. Sapiens autem est non qui solum veritatem novit, sed qui cognoscendo prægustat. Ea cognoscitur Deus non utcumque, sed ut dignus reverentia, gloria et amore.

Vol. II.

9. (Pag. 7) Quæst. 4, Disput. 1, post art. 1.

De multiplici perfectione.

300. D. Thomas, exponens illud I. Cor. II: Sapientiam loquimur inter perfectos, dicit: Dicuntur autem aliqui perfecti dupliciter. Uno modo secundum intellectum, alio modo secun-

dum voluntatem. Hæc enim inter potentias animæ sunt propria hominis, et ideo secundum eas oportet hominis perfectionem considerari. Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, quia spiritualia et intelligibilia capere possunt, de quibus dicitur Hebr. v: Perfectorum est solidus cibus, eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem mali et boni. Perfecti autem secundum voluntatem sunt, quorum voluntas super omnia temporalia elevata, soli Deo inhæret et ejus præceptis. Unde, Matth. v, præpositis dilectionis mandatis, subditur: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quia igitur doctrina fidei ad hoc ordinatur, ut fides per dilectionem operetur, ut habetur Galat. VII, necesse est eum qui in doctrina fidei instruitur, non solum secundum intellectum bene disponi ad capiendum et credendum, sed etiam secundum voluntatem et affectum bene disponi ad diligendum et operandum. Hæc ille.

301. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Ephes. VI: Et in omnibus perfecti state, dicit: Triplex est perfectio: una sufficientiæ, quam habet homo secundum quod habet quod sibi est necessarium ad salutem; sicut illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; quasi dicat: Ut nihil sit in corde tuo quod sit contra Deum. Et hoc est de necessitate salutis. Jac. I: Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. — Alia est perfectio totalis abundantiæ, quæ est perfectio patriæ, quæ est consummata gloria, in hoc quod perfectus totaliter inhæreat Deo; Matth. XXII: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlis. Et de hac loquebatur Apostolus, Philipp. III: Non quod jam acceperim, aut quod jam perfectus sim. Et paulo post: Fratres, ego non arbitror me comprehendisse. — Alia est media, scil. consilii, qua homo nititur se abstrahere ab his, et ire ad illas. Hæc ille.

302. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Philipp. III: Aut jam perfectus sim, dicit: Duplex est perfectio, scilicet patriæ et viæ. Perfectio namque hominis consistit in hoc quod adhæreat Deo per charitatem: quia unumquodque est perfectum secundum modum quo adhæret suæ perfectioni. Anima autem potest adhærere Deo dupliciter perfecte: uno modo, ut totam actionem suam referat in Deum actualiter, et cognoscat

ut cognoscibilis est: et hæc est patriæ. Sed inhæsio viæ est duplex: una de necessitate salutis, ad quam omnes tenentur, scilicet ut in nullo cor suum quis applicet ad id quod est contra Deum, sed habitualiter referat totam vitam in eum. Et isto modo dicit Dominus, Matth. xx: Diliges Dominum Deum tuum, etc. (Deut. vi). Alia est supererogationis, quando quis ultra communem statum inhæret Deo, quod fit removendo cor a temporalibus, et sic magis appropinquat ad patriam, quia quanto deficit cupiditas, tanto plus crescit charitas. Hæc ille.

303. D. Thomas explicat illud D. Pauli ad Hebr. v: Perfectorum est solidus cibus: Duplex est perfectio. Una est perfectio secundum intellectum, quando aliquis habet judicium intellectus ad recte discernendum et judicandum de his quæ sibi proponuntur. Alia perfectio est secundum affectum, quam facit charitas, quæ est cum aliquis totaliter Deo inhæret; unde Matth. v, post præcepta charitatis dicitur: Estote ergo perfecti Est autem perfectio charitatis, ut dicit Augustinus, ubi nulla est cupiditas. Quanto enim quis magis ascendit in Deum, tanto plus contemnit temporalia. Psal. lxxii: Quid enim mihi est in cœlo, etc. Hoc enim habet S. Scripturæ doctrina, quod in ipsa non tantum traduntur speculanda, sicut in geometria, sed etiam approbanda per affectum. Unde Matth. v: Qui autem fecerit et docuerit, etc. In aliis ergo scientiis sufficit quod homo sit perfectus secundum intellectum; in istis vero requiritur quod sit perfectus secundum intellectum et affectum. Loquenda sunt igitur alta mysteria perfectis. I. Cor. ii: Sapientiam loquimur inter perfectos. Unusquisque enim secundum quod est dispositus, sic judicat; sicut iratus aliter judicat durante passione, et aliter ipsa cessante. Et similiter incontinens aliter judicat aliquid esse bonum tempore passionis, aliter post. Et ideo dicit Philosophus, quod unusquisque qualis est, talis sibi finis videtur: et quia quæ in sacra Scriptura traduntur pertinent ad affectum, et non tantum ad intellectum, ideo oportet esse perfectum in utroque. Et ideo Apostolus volens ostendere qui sint perfecti, quibus sit tradendus iste solidus cibus, dicit quod sunt illi qui pro sua consuetudine habent sensus exercitatos. Unde in ista perfectione quatuor sunt attendenda, scilicet ipsa perfectio in se, in quo consistat, et quantum ad hoc dicit: Qui habent sensus exer-

citatos. Et convenienter loquitur. In hoc enim exprimit utramque perfectionem, quia, ut dicit Philosophus, intellectus prout judicat de appetendis et agendis, dicitur sensus; quia est relatus ad aliquid particulare: unde non accipitur hic sensus pro sensu exteriori. Qui ergo sentit quæ Dei sunt, perfectus est. Philipp. III: Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus; I. Corinth. II: Nos autem sensum Christi habemus. Qui vero non sentiunt nisi carnalia, Deo placere non possunt, ut patet ad Rom. VIII. — Secundo attendenda est dispositio ejus in quo est, quia debet esse exercitatus; I. Timoth. IV: Exerce teipsum ad pietatem; qui enim non est exercitatus, non potest habere rectum judicium quod ad hoc requiritur. Eccli. XXXIV: Vir in multis expertus cogitabit multa. Item, qui non est expertus, pauca recognoscit. — Tertio, causa hujus exercitationis est consuetudo; non scilicet otium, sed frequentia actus. Et ideo dicit: " Pro consuetudine, „ scilicet recte agendi; Prov. XXII: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Si ergo vis esse perfectus, non des te otio, sed assuesce te bonis a juventute. — Quarto, finis hujus exercitii, quia scilicet " ad discretionem boni et mali. „ Tunc enim perfectus est, quando discernit inter bonum et malum; Isa. VII: Sciat eligere bonum, et reprobare malum. Hæc ille.

304. D. Thomas explicans illud Matth. XIX: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, etc., et sequere me: Illi sunt perfecti, qui toto corde sequuntur Deum; unde Genesis XVII: Ambula coram me, et esto perfectus. " Et sequere me. „ idest imitare vitam Christi; unde Matth. XVI: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. Imitatio enim est in sollicitudine prædicandi, docendi, curam habendi. Hæc ille.

305. D. Thomas explicans illud Matth. VI: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt: est puer unus hic qui habet quinque panes et duos pisces, dicit sic: Mystice refectio spiritualis per sapientiam significatur; una autem sapientia est quam docuit Christus, qui est vera sapientia. I. Cor. I: Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Sed ante adventum Christi duplex doctrina erat: una humana, quam habebant Philosophi, alia legis scriptæ. De prima ergo mentionem facit Philippus, et ideo utitur nomine emptionis, dicens: Ducentorum denariorum, etc. Nam sapientia humana per

acquisitionem habetur. Centenarius numerus perfectionem importat. Unde ducenti duplicem perfectionem insinuant necessariam huic sapientiæ: nam ad ejus perfectionem duplici via pervenitur, scilicet per experimentum et per contemplationem; dicit ergo: " Ducentorum denariorum, etc., „ quia quidquid humana ratio potest experiri et cogitare de veritate, non sufficit ad perfectam satietatem sapientiæ. Jerem. IX: Non glorietur sapiens in sapientia sua, etc.; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me. Nam nullius philosophi tanta fuit sapientia, ut per eam homines ab errore revocari possent, quin potius multos ad errorem inducunt. — De secunda vero mentionem facit Andreas, et ideo noluit quod alii panes emerent, sed de habitis turba reficeretur, scilicet de his quæ lex continebat. Unde melius dispositus erat quam Philippus. Et ideo dicit: " Est puer unus hic, etc. „ Puer iste potest dici Moyses propter imperfectionem status legis. Hebr. X: Neminem ad perfectum adduxit lex. Vel populus Judæorum, qui sub elementis mundi serviebat, ut dicitur Galat. IV. " Puer iste quinque panes habet, „ idest doctrinam legis. Vel quia in quinque libris Moysi contenta est, vel quia data est hominibus vacantibus sensibilibus, quæ per quinque sensus exprimuntur. Per duos pisces intelligitur doctrina Psalmorum et Prophetarum, vel per duos pisces, duo præcepta quæ continebantur in lege veteri: Diliges Dominum tuum, etc.; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæc ille.

306. In tota ista disputatione loquimur de perfectione secundum intellectum et voluntatem, et de perfectione sufficientiæ, non de perfectione totalitatis, nec de media, nec de perfectione viæ.

307. Sancti dicuntur perfecti non solum secundum intellectum, sed etiam secundum voluntatem, et secundum sufficientiam, et secundum perfectionem consilii, quia toto corde secuti sunt Deum. Et etiam dicuntur perfecti quia non sunt de hoc mundo. D. Thomas, sermone de SS. Simone et Juda, dicit: Sancti non sunt de hoc mundo; Joan. XV: Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. — Dicuntur autem sancti non esse de hoc mundo propter tria. Primo, quia mundum et omnia quæ ejus sunt despiciunt; Matth. XI: Ecce nos reliquimus omnia; Joan. II:

Nolite diligere mundum; Philipp. IV: Omnia arbitratus sum ut stercora. Secundo, quia mundus eos persequitur; Joan. XV: Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Tertio, quia non secundum mores mundi vivunt. Mores mundi sunt gaudere, mores sanctorum sunt flere et affligi; Joan. XVI: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Item dicit Apostolus (Philipp. III): Nostra conversatio in cœlis est, et non in mundo. — Dicit idem Sanctus: Eligit autem Dominus sanctos de mundo propter tria. Primo, propter ipsius mundi malignitatem; Jo. V: Totus mundus in maligno positus est. Secundo, propter pœnarum, quæ in eo sunt, multiplicitatem; Gregorius: Contemnendus est hic mundus, etiam si rebus prosperis animum demulcet: nunc autem, quia tot calamitatibus premit, quid aliud, nisi ut contemnatur, clamat? Tertio, propter pereundi necessitatem; I. Joan. II: Et mundus transit et concupiscentia ejus. Hæc ille.

308. D. Thomas, sermone secundo S. Trinitatis, dicit: Sancti dicuntur cœlum propter septem. Primo, propter continuum motum de virtute in virtutem; Psal. LXXXIII: Ibunt de virtute in virtutem. Secundo, propter concordiam; Job XXVI: Qui facit concordiam in sublimibus; Ephes. III: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; Actor. I: Erat illis cor unum. Tertio, propter ordinem; Job XXXIII: Numquid nosti ordinem cœli? I. Corinth. XIV: Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Quarto, quia casa, idest Dei; I. Corinth. IV: Nescitis quia templum Dei estis? Quinto, propter conversationem cœlestem; Philipp. IV: Nostra conversatio in cœlis est. Sexto, quia semper habent cor in cœlo; Matth. VII: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Item: Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Septimo, quia habent solem et lunam et stellas: solem charitatis, lunam fidei, et stellas aliarum virtutum. Hæc ille.

309. Sancti dicuntur perfecti quia biberunt triplicem aquam, et quia habuerunt triplicem pacem. D. Thomas, sermone in octava Paschæ, ex epist., dicit: Triplicem aquam dedit nobis Dominus Jesus. Primo, aquam baptismi ad peccatorum ablutionem; Ezech. XXVIII: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini. Secundo, aquam sapientiæ ad sitis spiritualis extinctionem; Eccli. XV: Aqua sapientiæ salutaris potabit illum; Joan. IV: Si quis biberit ex hac aqua. Augustinus dicit:

Si quis biberit de aqua Paradisi, de quo una gutta major est quam oceanum, restat ut in eo extinguatur sitis cupiditatis mundanæ. Tertio, aquam Spiritus sancti ad refrigerationem; Joan. VII: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, etc. — Idem Sanctus, sermone de octava Paschæ, ex Evangelio, dicit quod tripliciter est nobis necessaria pax. Primo, cum Deo, de quo Joan. XVI: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Secundo, pax in nobis, de qua Job V: Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Bernardus: Pax vobis a vobis sit, et quidquid exterius minari videtur, non timebitis, quia non nocebit. Tertio, pax cum proximis est necessaria; Rom. XII: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Hæc ille.

310. Sancti dicuntur perfecti quia habuerunt perfectam charitatem. D. Thomas, loquens de charitate in sermone Quinquagesimæ, ex Epistola dicit: Charitas dicitur chara res. Primo, quia non potest haberi nisi ab uno solo, et a summo bono donatur; Rom. V: Charitas Dei diffusa est in cordibus, etc. Secundo, quia solum a bonis habetur. Augustinus: Charitas est fons proprius, cui non communicat alienus.

10. (Pag. 34) Quæst. 4, Disp. 1, post art. 4.

Supposito quod perfectio consistit in charitate, aliqua particularia dicentur de ipsa.

311. D. Thomas, explicans illud D. Pauli, I. Cor. XIII: Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodest (*ait*): " Si habuero prophetiam, „ per quam divinitus occulta revelantur, secundum illud II. Pet. I: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspi-

rati locuti sunt sancti Dei homines. Quantum ad sapientiam subdit: " Et noverim mysteria omnia, „ idest occulta divinitatis, quod pertinet ad sapientiam, secundum illud D. Pauli, I. Cor. II: Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. Quantum ad scientiam: " Et omnem scientiam „ sive humanitus acquisitam, sicut habuerunt philosophi: sive divinitus infusam, sicut habuerunt eam Apostoli; Sap. VII: Dedit mihi eorum quæ sunt veram scientiam. Quantum ad fidem subdit: " Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam. „ Potest autem exponi quod dicit, " Omnem fidem, „ idest omnium articulorum; sed melius est ut exponatur, omnem, idest perfectam fidem, propter illud quod subditur: " Ita ut montes transferam. „ Dicitur enim Matth. XVII: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit. Et quamvis granum sinapis sit minimum quantitate, non tamen intelligitur parva, sed perfecta fides grano sinapis comparari. Dicitur enim Matth. XXI: Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare, fiet. Fides enim quæ non hæsitat, grano sinapis comparatur, quod quanto magis atteritur, tanto magis ejus fortitudo sentitur. Si, inquam, habuero omnia prædicta, ad perfectionem intellectus pertinentia, " charitatem autem non habuero, „ per quam perficitur voluntas, " nihil sum, „ scilicet secundum esse gratiæ, de quo dicitur Ephes. II: Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis. Unde et contra quemdam dicitur Ezech. XXVIII: Nihil factus es, et non eris in perpetuum. Quod quidem fit propter defectum charitatis, per quam homo bene utitur intellectu perfecto. Hæc ille.

312. Si homo nihil est sine charitate, peto, Domine, ut trahas me ad charitatem. D. Thomas explicans illud D. Joannis VI: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, dicit sic: Tractio importat violentiam et coactionem, et Deus nullam violentiam neque coactionem facit creaturæ. Respondet Sanctus quod tractio non importat coactionem neque violentiam, cum non omne trahens faciat violentiam. — Multiplex est modus trahendi absque violentia in hominibus. Nam aliquis homo trahit aliquem persuadendo ratione. — Item aliquis trahit aliquem alliciendo; Prov. VII: Blanditiis labiorum suorum

protraxit eum. Si enim, ut dicit Augustinus, trahit quemque sua voluptas, quanto magis qui trahuntur amore veritatis? Cantic. v: Trahe me post te. Et quia non solum revelatio exterior, vel objectum, virtutem attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens et movens ad credendum, ideo Deus trahit multos per instinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis. Philipp. II: Deus est qui operatur in nobis velle et perficere. Osee XI: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Prov. XI: Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud.

313. Aliam difficultatem ponit D. Thomas: Si nemo venit ad charitatem, nisi tractus a Deo, ergo non imputatur alicui quod non veniat ad charitatem: sed ei qui non trahit. Respondet S. Doctor: Verum est quod nullus potest venire ad charitatem, nisi tractus: nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita cor humanum, ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi tractum. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui, quantum in se est, nulli deficit: sed est propter impedimentum ejus qui non trahitur. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in se est, et quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos a se convertit, secundum illud Thren. ult.: Converte nos, Domine, et convertemur; et in Psal. LXXXIV, secundum aliam litteram: Deus, tu conversus vivificabis nos. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, et ad se trahere, non imputatur ei si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.

314. Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licet sint omnes æqualiter aversi, ratio quidem in generali potest assignari, ut scilicet in illis qui non trahuntur, appareat et refulgeat ordo divinæ justitiæ; in illis autem qui trahuntur, immensitas divinæ misericordiæ. Quare autem in speciali trahat hunc, et alium non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ. Unde dicit Augustinus: Quem trahat, et quem non trahat; quare illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe et intellige: nondum traheris? ora ut traharis. Hoc etiam ostendi potest per exemplum; nam assignari potest ratio quare artifex ponit aliquos lapides inferius. et aliquos superius, et aliquos ex la-

teribus ex dispositione domus, cujus complementum hoc exigit. Sed quare hos lapides hic ponat, et hos alibi, dependet ex sua simplici voluntate. Et inde est quod prima ratio dispositionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum universi quosdam quidem trahit, ut in eis appareat sua misericordia; quosdam vero non trahit, ut ostendatur in eis sua justitia. Sed hos trahit, illos non trahit, secundum suum beneplacitum voluntatis. Hæc ille.

315. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Rom. IX: Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, dicit sic, quod anathema est græcum, et componitur ex *ana*, quod est sursum, et *thesis*, quod est positio, ut dicatur anathema quasi sursum positum; quia scilicet cum capiebatur aliquid in præda, quod nolebant esse in usu hominum, suspendebant illud in templo. Et inolevit usque adhuc ut ea quæ separata sunt ab hominum communi usu, anathemata vocarentur; unde Josue VI dicitur: Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino. Dicit ergo: " Optabam ego ipse anathema esse a Christo, „ idest separatus ab eo; quod quidem fit dupliciter. Uno modo per culpam, per quam aliquis a charitate Christi separatur, ejus præceptum non servans. Joan. XIV: Si diligitis me, mandata mea servate. Sic autem Apostolus non poterat optare esse anathema a Christo pro quacumque causa. Est enim hoc contra ordinem charitatis, quo quis tenetur Deum super omnia diligere, et salutem suam plusquam salutem aliorum. Et ideo non dicit: Opto, sed: Optabam, scilicet tempore infidelitatis; sed secundum hoc nihil magnum dicit Apostolus, quia tunc etiam propter se volebat esse separatus a Christo. Unde et quædam Glossa exponit, quod dicit, " Tristitia magna est mihi, „ de tristitia qua dolebat de præterito statu peccati, in quo a Christo voluerat esse separatus. — Alio modo potest aliquis esse separatus a Christo, idest a fruitione Christi, quæ habetur in gloria. Sic autem separari a Christo volebat Apostolus pro salute gentium, nedum pro conversione Judæorum, secundum illud Philipp. I: Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse, multo melius permanere in carne necessarium propter vos. Et hoc modo dicebat: Optabam, scilicet si fieri posset, anathema esse, idest separatus a gloria, vel simpliciter, vel ad tempus, propter honorem Christi, qui est ex conversione

Judæorum, secundum illud Prov. XIV: In multitudine populi dignitas regis. Unde Chrysostomus in libro de compunctione cordis: Ita totam ejus mentem devicit amor, ut etiam eo quod præ cæteris omnibus amabilius erat esse cum Christo, rursum idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret; sed et cœlorum regno, quod videbatur laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus cedere pateretur. Et causam tanti affectus ostendit, subdens: " Pro fratribus meis. „

316. Charitatis affectus igitur repetitus validissimum perfectionis instrumentum est. Isti actus sunt qui creaturarum amorem minuunt, mentem a terrenis abstrahunt, voluntatem ad cœlestia sustollunt, cor ad omne virtutis opus amplectendum emolliunt, et nos ipsos Deo immobiliter uniunt. Isti actus sunt qui virum justum semper reficiunt, incipientem ad modum lactis enutriunt, proficientem tamquam cibi solidiores sustentant, et perfectum instar nectaris et ambrosiæ, idest instar alimenti cœlestis, ad vitam purissimam et plane cœlestem impellunt. Isti actus in vitæ spiritualis exordio fragiles, in medio robusti, in fine et perfectione inseparabiles se exhibent, et cum anima ipsa crescente et proficiente proficiunt. Istos actus anima solet tamquam portionem præmii recipere, ut inter molestias vitæ hujus aliquam veluti stillam gustet exultationis cœlestis. Nam, ut Bernardus ait, charitas in opere mandatur ad meritum, et charitas in affectu datur in præmium. Affectus itaque charitatis valde nos in adeptione perfectionis promovent.

317. Ad excitandos istos affectus charitatis, legendum est id quod dicit D. Thomas super cap. XIII, I. Cor.: " Charitas patiens est, „ idest facit patienter tolerari mala. Cum enim homo diligit aliquem, propter ejus amorem de facili tolerat quæcumque difficilia. Et similiter qui diligit Deum, propter ejus amorem patienter tolerat quæcumque adversa. Et sic statues propter Deum ægritudines, infamias, persecutiones, aridităates mentis, consolationum subtractionem, et quæcumque alia adversa æquo et hilari animo sustinere: immo si hæc non tibi evenient, ea ad experimentum amoris desiderare. — " Charitas benigna est; „ benignitas autem dicitur quasi bona igneitas, ut sicut ignis liquefaciendo effluere facit, ita charitas hoc efficit, ut bona quæ homo habet, non soli sibi retineat, sed ad alios derivet,

secundum illud Prov. v: Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Statues propter Dominum ad omnes comiter et reverenter te habere, ut filius Dei, et in illos, secundum exiguitatem tuam, beneficia exemplis et doctrina aut saltem desideriis conferre. — " Charitas non æmulatur; „ quia charitas omnia mala vitat. Statues propter amorem Domini fratribus non invidere, sed magis lætari, si perfecte secundum virtutem operentur, si potioribus donis ornentur, si ab omnibus pluris quam tu reputentur et crescant in mille millia.

318. " Non agit perperam, „ idest perverse contra aliquem. Nullus enim injuste agit contra illum, quem diligit sicut se ipsum; Isaiæ I: Quiescite agere perverse. Statues propter Dominum omnem inconstantiam et instabilitatem expellere; sed quæ bona a te agenda sunt, et quæ tibi minime convenientia omittenda mature considerare, et in his quæ semel proposueris, stabilis permanere. — " Non inflatur. „ Ostendit quomodo charitas facit vitare mala, quibus aliquis deordinatur in seipso. Recte enim superbia inflationi comparatur. Nam id quod inflatur non habet veram magnitudinem, sed apparentem: ita superbi videntur quidem esse sibi magni, cum tamen vera magnitudine careant, quæ non potest esse absque ordine divino. Statues propter Dominum non superbire de bonis naturæ aut gratiæ, nec de bonis operibus, confitens omnia aliena esse, scilicet Dei, ab eoque profecta. Item nec alios despicere aut minores putare, saltem meritis, sed omnibus te per humilitatem subjicere. — " Non est ambitiosa. „ Est principalis superbiæ filia, ambitio, per quam aliquis quærit præesse; quam etiam charitas excludit, quæ potius eligit proximis ministrare, secundum illud Galat. v: Per charitatem spiritus servite invicem. " Non est ambitiosa, „ idest facit hominem ambitionem vitare. Eccli. VII: Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Amor Dei non est ambitiosus. Statues propter Dominum non ambire primas sedes, nec optare prælationem inter homines, immo eam prudenter fugere. Item nihil minus honeste agere, neque in opere, neque in modo operandi, sed ut in die, et tamquam in conspectu Domini in omnibus honeste ambulare.

319. " Non quærit quæ sua sunt, „ ut intelligatur cum præcisione, idest neglectis bonis aliorum; nam qui diligit alios

sicut se ipsum, bona aliorum quærit, sicut et sui ipsius. Unde Apostolus, I. Cor. x: Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Statues propter Dominum in his quæ egeris, quæ aggressus fueris, non propriam gloriam, aut commodum, aut voluptatem quærere, sed in solam Dei gloriam et animarum salutem intentionem dirigere. — " Non irritatur, „ idest non provocatur ad iram. Est enim ira inordinatus appetitus vindictæ. Ad charitatem autem pertinet magis remittere offensas, quam supra modum aut inordinate vindicari. Statues propter Deum, malum pro malo non rependere, sed beneficiis et orationibus pro malefactoribus fusis, eorum malevolentiam superare et injurias æquanimiter sustinere. — " Non cogitat malum. „ Charitas ergo primo quidem excludit perversitatem consilii, et ideo dicit: " Non cogitat malum, „ idest non permittit excogitare quomodo aliquis perficiat malum. Statues propter Dominum temerarie non judicare, sed cum simplicitate cordis aliorum dicta et facta in meliorem partem semper vertere. — " Non gaudet super iniquitate. „ Ille enim qui ex passione peccat, cum quodam remorsu et dolore peccatum committit; sed ille qui peccat ex electione, gaudet ex hoc ipso quod peccatum committit. Hoc autem charitas impedit. Vel charitas non gaudet super iniquitate, scilicet a proximo commissa, quinimo de ea luget. Statues non gaudere de malis et afflictionibus proximi, sed potius compati illis, et gaudere de veritate.

De exitu charitatis.

320. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. XVI, dicit ex D. Hieronymo, quod omnis res per quascumque causas generatur, per easdem dissolvitur, versas scilicet in contrarium. Et secundum Philosophum, idem est causa contrariorum, hujus per præsentiam, illius per absentiam. Quot modis et quibus amicitia generatur, eisdem et tot corrumpitur. Exit ergo charitas in esse modo quasi supernaturali, scilicet cum dat, vel infunditur postulanti: e contrario desinit esse cum peccans deest influenti. Quo contra Apostolus ad Hebr. XII: Videte ne quis desit gratiæ Dei. Sicut ergo sol lucens in aere causa est efficiens et conservans luminis, et ideo cessante causa, scilicet influentia solis, cessat

ejus effectus, scilicet luminositas aeris: sic Deus continue influens causa est in anima charitatis. Sed si sole stante, et effluente lumine, aer mortuus recederet, ipse sibi tenebræ causa esset; et quod influxum erat non subtrahitur, sed corrumpitur, quando non continuatur: sic verus Sol, fons caloris et lucis, cognitionis et dilectionis, stat, quia immobilis effluit, quia dives et liberalis. Sed si animus movens gratiæ se absentat, vel nubem peccati interponat, quod influxum erat corrumpitur, quia non continuatur.

321. Secundo modo charitas exit in esse modo quasi voluntario, cum per deliberationem Deus homini præponitur, et in amicum eligitur; et converso corrumpitur et desinit esse, cum anima nomen Dei in vanum accipit, et quasi sine re in libram ponit, cui hominem, vel aliam creaturam cum circumstantiis generalibus, vel specialibus aggravantibus proponit, et declinans adhuc hominem vel creaturam aliquam Deo eligendo præponit; generalia librat illa in Osee II: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas, et oleum, etc. Et hæc nescivit quia ego dedi ei frumentum, vinum, et oleum, etc. Quod si scire et advertere voluisset, Deus præponderasset. Specialia ponderant illi de quibus Matth. X: Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus.

322. Tertio modo charitas exit in esse quasi naturaliter, cum simile a simili generatur, et anima beneficia Dei continue gratanter accipiens, amantem redamare cogitur, et converso desinit esse et corrumpitur, cum anima ingrata beneficio paulatim torpens ad frigiditatem primam revertitur. Jerem. III: Quomodo si contempsit mulier amatorem suum, sic contempsit me Dominus Israel. Matth. XXIV: Quoniam superabundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Incipit iniquitas in cogitatione, crescit in delectatione, abundat in sensu, superabundat in actu, vel usu.

323. Nota igitur, cor hominis, vel animus quantum ad statum viæ habet se ad charitatem, sicut materia ad formam elementarem, per quam appetitus ejus non terminatur totaliter, et ideo possibilis est generatio et corruptio circa ipsam. Quantum autem ad statum patriæ est sicut materia quintæ essentiæ, quæ contenta est forma sua, utpote terminante appetitum ejus, et non movet ad aliam, et ideo non incidit corruptio circa

ipsam. Sic corruptibilis est in via charitas circa cor; incorruptibilis in patria ex simili causa.

324. Quoniam igitur, secundum Philosophum, omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, licita fit translatio ubi est aliqua, etsi non omnimoda, similitudo. Sunt autem quatuor elementa unam communem materiam habentia, cujus pars uni formæ, pars subjicitur alteri, inter quas est pugna et actio, et passio mutua. Ignis calidus, Deus benedictus et diligens; aer humidus, carnales amici nostri quibus humore sanguineo communicamus; aqua fluida, bona temporalia; terra deformis, et quasi fæx elementorum, vitia et peccata. — Cor igitur amando vitia et peccata fit quasi terra. Psal. x: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Dilexisti malitiam super benignitatem. — Amando temporalia, immoderate tamen, cum citra Deum, fit quasi aqua. Psal. iv: Filii hominum, usquequo gravi corde? — Amando amicos carnales pure naturaliter, fit aer. Gregorius: Sunt qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis. — Amando Deum fit ignis. Cant. viii: Fortis est ut mors dilectio, etc. Lampades ejus. — Primus amor mortalis; secundus venialis; tertius debitus, sed tamen indifferens, quia naturalis; quartus meritorius, cum sit gratuitus.

325. Ignis aerem, ut symbolum secum habentem, amplectitur, et facilis est tibi transitus; aquam ut magis distantem tolerat, quam impugnans diminuit, sed ab ipsa non extinguitur propter distantiam. Cantic. viii: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Sap. xix: Aqua extinguentis naturæ non obliviscitur. Sed cavendum ne aqua crescens horizonta ignis attingat, quoniam tunc ignem ardentem extinguit aqua, cum amor temporalium venialis excrescendo fit mortalis. Terræ vero sic ignis contrariatur, ut ipsam vel corrumpat, vel corrumpatur. — Tria igitur simul in uno animo, ut in una communi materia, sed in parte alia et alia, quæ tandem in ignem omnia convertuntur. Si fervet ignis agens in aquam, tandem etiam propter Deum tantum diligis temporalia factusque es ignis de aqua. Calefacit ignis aerem, tandem et cognatos tantum propter Deum diligis, et sic ignis fit ex aere. Terra autem incensaque igni, etsi non naturali oppositione, tamen locali positione et distantia maxima est remota, in hac metaphora secum compatitur in eodem animo aquam et aerem, sed fugat penitus, vel fugit ignem,

quæ secundum suas qualitates, scilicet siccitatem, frigiditatem, et gravitatem, et alias, in aquam et aerem agit, eaque tandem in suam naturam convertit. Quasi enim terra ex aqua generatur, cum amor temporalium rerum primum venialis ens, postmodum ingrossatur et mortalis efficitur; sed et aer in terram degenerat, cum amor naturalis nimietate in culpam declinat, secundum illud Matth. x: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.

11. (Pag. 97) Quæst. 4, Disp. 1, post art. 14.

326. In art. 4, disp. 3, quæst. 3, addendum est: D. Thomas, Opusc. LX, art. 16, dicit: Notandum quod tria describuntur circa transfigurationem Christi: scilicet temporis opportunitas, discipulorum numerositas, et loci congruitas, idest quando facta est, quibus, et ubi. — Quod mysterio non vacat. Primum ibi: Et post sex dies. Ubi dicit Origenes: Mystice cum aliquis ascenderit sex dies, idest omnes mundi res sex diebus factas, poterit gloriam, Verbum Dei aspicere, et Jesum transfiguratum ante oculos cordis sui videre. Diversas enim habet verbum Dei formas apparentes unicuique, secundum quod videnti expedire cognoverit, et nemini super quod capit se ipsum ostendit. — Secundum ibi: Assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem. Per quod datur intelligi quod dicit Rabanus, quod qui nunc fidem sanctæ Trinitatis incorruptam servant, tunc æterna ejus visione lætentur. — Tertium ibi: Et duxit illos in montem excelsum seorsum. In quo docet, ut dicit Remigius, quod necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed amore supernorum semper ad cœlestia se erigant.

327. In art. 2, disp. 5, quæst. 3, addendum est: D. Thomas loquitur de visione imaginaria, explicans illud Job I: Cui dixit Dominus. — Dicit Sanctus: Dicere dupliciter accipitur. Nam quandoque refertur ad conceptum cordis; quandoque autem ad significationem qua hujusmodi conceptus alteri exprimitur. Secundum igitur primum modum dicere Dei est æternum, et nihil est aliud quam generare Filium, qui est Verbum ipsius. Secundo vero modo specialiter Deus aliqua dicit: diversimode

tamen secundum quod congruit eis quibus dicit. Nam hominibus corporeos sensus habentibus aliquando Deus locutus est aereo sono formato in aliqua subjecta creatura, sicut vox sonuit in Baptismo et Transfiguratione Christi: Hic est Filius meus dilectus. Aliquando autem per imaginariam visionem, sicut multoties legitur in prophetis. Aliquando intelligibilium impressione: et hoc modo intelligendum est Dominum ad Satan dixisse.

328. D. Thomas explicans illud ad Hebr. I: Multis modis, dicit quod refertur ad tria diversa genera visionum, sicut ad visionem corporalem; Dan. V: Apparuerunt digiti quasi manus scribentis in pariete, etc. Aliquando aliquibus per visionem imaginariam; Isa. VI: Vidi Dominum sedentem, etc. Aliquibus vero apparebat per visionem intellectualem, sicut David, Psal. CXVIII: Super senes intellexi. Unde de istis dicitur Os. XII: Ego visionem multiplicavi eis. In quo loco adducit D. Thomas quæ requirantur ut aliquis sit propheta, et loquatur visione imaginaria. Et dicit quod sunt quinque. Primum est revelatio eorum quæ excedunt humanam cognitionem: alias non dicitur propheta sapiens, sicut Salomon. Secundum est intelligentia revelatorum: alias nisi revelata intelligantur, non est propheta; et sic Nabuchodonosor non fuit propheta. Tertium est quod propheta in rebus visis, quibus alienatur, non detineatur tamquam in ipsis rebus, sed tamquam in figuris; alias non esset propheta, sed phreneticus. Quartum est ut cum certitudine revelata percipiat, quasi per demonstrationem sciens; alias esset somnium, et non prophetia. Quintum est ut adsit voluntas denuntiandi quæ revelata sunt. Hæc ille.

Quæ necessaria sint tam prævіæ quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem animæ cum Deo.

329. Quando Deus alicui perfectam, tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ, vult formam communicare, quamvis absolute posset, si velit, honestare pauperem, secundum cursum ordinarium suæ divinæ providentiæ plures ante dispositiones præparat introductioni talis formæ proportionatas, quæ vocantur prævіæ, quibus subjectum ad illam recipiendam dis-

ponitur, et simultaneas, sive concomitantes ipsam formam, subjecto impressas conservat, ut et ipsa forma mediis illis diu conservari valeat. De his dispositionibus loquitur D. Thomas, 3 p., qu. 9, art. 3 ad 2: Dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: Uno modo sicut via ducens ad perfectionem; alio modo sicut effectus a perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam. Quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Cum igitur intima unio actualis fruitiva animæ cum Deo sit suprema, quæ in præsenti vita potest intra ordinem gratiæ forma communicari, et summum quod conferri potest beneficium, sequitur quod multæ debeant dispositiones præcedere.

Desiderium perfectionis est prima dispositio ad illam.

330. Desiderium perfectionis est primum virtutis principium. D. Thomas, in 1, dist. 1, art. 1 ad 1: Omne desiderium consequitur cognitionem, et sic doctrina perfectionis tribus partibus concluditur, cognitione, desiderio, et actione: quorum cognitio intellectum perficit, desiderium voluntatem accendit, et actio ipsam voluntatem, tum reliquas vires animæ studio virtutis absolvit. Nullus enim post cognitionem alicujus boni ejus assecutioni insistit, nisi ipsum primo loco desideret; et multa quæ bona arbitrantur et confitemur, nunquam adipisci nitimur, quia nec bona et proficua nobis esse putamus, nec eorum desiderio succendimur. Post perfectionis notitiam primum principium non est aliud profecto quam ipsius perfectionis ac sanctitatis desiderium, quod somnolentos excitat, dormientes increpat, et ad execrationem omnis peccati, quia perfectioni opponitur, et ad omnis virtutis amorem impellit. Si enim hoc desiderium non habueris, nunquam adversariorum jugum ex-

cuties, nunquam virtutes diliges, nunquam cum Deo et cum cœlestibus intimam conversationem cupies.

331. Tota perfectio in charitate et amore consistit, et ita oportet ut in amore consistat ejus initium. D. Thomas, in III, dist. 27, q. 1, art. 3, ad 1: Desiderium sequitur amorem finis, et præcedit amorem eorum quæ sunt ad finem. Et idem Sanctus, in expositione illorum verborum Psal. XXVI: Unam petii a Domino, hanc requiram, dicit: Perfectio enim desiderii dependet ex perfectione causæ suæ, scilicet amoris, qui quando est perfectus primo congregat in unum omnes vires, et movet eum ad amandum. Est enim, secundum Augustinum, pondus amantis. Res autem ponderosa sine vacillatione tendit in unum; sed non sic, si res non est bene ponderosa; sed divinus amor facit totum hominem in Deum tendere sine vacillatione; Psal. LXXII: Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Gregorius: Vis amoris studium multiplicat inquisitionis. Ab hoc ergo perfectionis desiderio sumit disciplina perfectionis exordium, quod cum perfectio jam non absens, sed præsens fuerit, et in nostras manus devenerit, in voluptatem seu delectationem transit, et in alium præsentiorem actum commutatum, meliorem statum sibi præripit.

332. Quia igitur perfectionis desiderium est primum medium, sive primum subsidium, quo mentem nostram ad capiendam perfectionem disponimus, ideo primo loco de illo tractatur. Dicitur Matth. V: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Quem locum explicat D. Thomas de perfectione, ita ut nomine justitiæ intelligatur perfectio. Et adducit illud D. Hieronymi, qui dicit quod non sufficit quod homo justitiæ opus operetur, nisi cum desiderio operetur; Psal. LIII: Voluntarie sacrificabo tibi. Et Psal. XLI: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Amos VIII: Mittam famem in terram istam, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Ergo est esuries quando cum desiderio operatur quis. Et vult Dominus quod ita anhelemus ad istam justitiam, idest perfectionem, quod nunquam quasi satiemur in vita ista

Mortificatio sensuum et passionum est dispositio ad perfectionem.

333. D. Thomas, 1 2, q. 88, art. 3, dicit: Disponens est quodammodo causa; unde secundum duplicem modum causæ, est duplex dispositionis modus. Est enim causa quædam movens directe ad effectum, sicut calidum calefacit. Est etiam causa indirecte movens, removendo prohibens: sicut removens columnas, dicitur removere lapidem superpositum. Hoc modo disponit via purgativa ad perfectionem.

334. Communiter a Patribus duo genera mortificationis assignantur: alterum quoad exteriorem hominem, alterum quo interiorem cohibemus atque componimus. Mortificatio illius primi generis vocatur exterior, quæ sensus omnes et membra corporis moderatur, ne in illicita aut imperfecta defluant. Mortificatio secundi generis vocatur interior, quæ affectus et intellectum et voluntatem et cogitationem regit, ne etiam in mala aut imperfecta consentiat. — Loquendo de mortificatione exteriori, oculus mortificandus est, ut non videat mulieres formosas, ne videat comœdias, tragœdias, nec choreas, nec saltationes. Et oculis quæcumque innoxia, quæcumque inutilia neganda sunt, ne mentis tranquillitatem et orationis puritatem impediant. D. Thomas dicit: Recollige te, redi ad te, habita tecum, non sicut oculus, qui cum omnia videat, seipsum non videt. Potentia auditiva mortificanda est, et auris non debet audire suggestiones dæmonis, nec profana verba audienda sunt a viro spirituali, nec carmina amatoria; et vitandæ sunt nugæ, scurrilitates et omnes narrationes risum excitantes. Custodiendæ sunt aures a tumultibus sæcularibus. Non solum aliorum defectus procul ab auribus abjiciendi sunt, verum et laudes nostræ verissima humilitate repudiandæ. Videantur quæ de mortificatione istius sensus dicta sunt in disputatione illorum.

335. Mortificanda est potentia odorativa. Multi enim sunt qui per hunc sensum gravius peccant, qui non ob aliquam necessitatem, sed ob solam curiositatem et corporis oblectationem odorum suavitate se mulcent. Mortificandus est gustus et omnes sensus externi. Videantur quæ diximus in peculiari disputatione de mortificatione sensuum externorum.

336. Mortificandæ sunt passiones; nam amor mortificatur temperantia et omnibus virtutibus quæ pertinent ad temperantiam: nempe verecundia et honestate, abstinentia, sobrietate, castitate, patientia, continentia, humilitate, mansuetudine, clementia et modestia.— Odium moderatur amore.— Concupiscentia moderatur castitate et virginitate, abstinentia et sobrietate. — Delectationes sensibiles moderantur virtute continentiæ et verecundiæ et jejunii. — Passio doloris et tristitiæ moderatur per patientiam. — Passio spei per humilitatem. Desperatio moderatur magnanimitate. — Timor moderatur fortitudine et virtute perseverantiæ. — Audacia moderatur per fortitudinem, et audaciam ad malum frenat justitia Dei, quæ sua mandata transgredientes acriter punit, et eorum conatibus potenter obsistit. — Ira moderatur per mansuetudinem et clementiam. Videantur quæ diximus de moderatione passionum in disputatione de passionibus.

337. Mortificatio secundi generis vocatur interior, quæ affectus et intellectum et voluntatem et cogitationem regit. Intellectus purgandus est ab ignorantia et cæcitate et a phantasiis, et a culpa judicii proprii in rebus agendis. Propria voluntas abjicienda est et abneganda; et aliqui libertati propriæ voluntatis totaliter abrenuntiant, se propter Deum aliis subjiciendo per obedientiæ votum.

Parvipensio rerum temporalium et despectio terrenorum est dispositio ad perfectionem.

338. D. Thomas, in II, dist. 21, quæst. 2, art. 3 ad 1, dicit quod duplex est dispositio: quædam est quæ necessaria est ad esse ejus ad quod disponit, sicut calor ad formam ignis; quædam vero dispositio ordinatur ad facilitatem ejus ad quod disponit, quod quidem sine ea esse potest, sed non ita de facili: sicut quod ligna perfundantur oleo, ut inflammentur citius; et hoc modo parvipensio rerum temporalium et despectio terrenorum est dispositio ad perfectionem. D. Thomas, Opusc. XVII, cap. 15, dicit ex Matth. V: Beati pauperes spiritu; quod Hieronymus exponens, dicit: Qui scilicet propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes. Et sicut Ambrosius dicit super Lucam, primam beatitudinem

paupertatis uterque Evangelista posuit. Ordine enim prima est et parens quædam generatrixque virtutum, quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus est. D. Thomas, 2 2, qu. 184, a. 7 ad 1: Abrenuntiatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est in actu, et sic in ea non consistit essentialiter perfectio: sed est quoddam perfectionis instrumentum; et ideo nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenuntiatione propriorum. Alio modo potest considerari secundum præparationem, ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere, vel distribuere. Et hoc pertinet directe ad perfectionem. Unde Augustinus dicit in lib. De Quæst. Evangel.: Ostendit Dominus filios sapientiæ intelligere nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam. Unde et Apostolus dicit: Scio et abundare et penuriam pati.

339. Sed tamen idem Sanctus, Opusc. XVII, cap. 15, dicit: Manifestum est igitur ad cumulum perfectionis pertinere, quod aliqui possessiones non habeant nec proprias, nec communes. Adhuc potest hoc evidenter ostendi, si ratio consiliorum ad evangelicam perfectionem pertinentium consideretur. Ad hoc enim introducuntur, ut homines, a curis mundi expediti, liberius Deo vacent. Unde Apostolus, proposito consilio de virginitate servanda, dicit: Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Ex quo patet tanto aliqua magis ad consiliorum perfectionem pertinere, quanto magis hominem a sollicitudine mundi absolvunt. Manifestum est autem quod divitiarum et possessionum cura impedit animum a rebus divinis.

340. Ex qua doctrina colligitur alia ejusdem Sancti, quod si sancto Deus aufert bona temporalia, cum patientia est sustinendum. Et adducit illud Job, c. 1: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita et factum est. D. Thomas: " Dominus dedit. „ Confessus est prosperitatem mundanam hominibus advenire, non casualiter, nec ex fato stellarum, nec ex solo humano studio, sed ex dispositione et dispensatione divina. — In hoc vero quod dicit: " Dominus abstulit, „ confitetur etiam adversitates in hominibus divinæ providentiæ judicio prove-

nire. Hic autem innuit quod non habet homo justam querelam de Deo, si temporalibus bonis spolietur: quia qui gratis dedit, potuit, vel usque ad finem, vel usque ad tempus largiri; unde cum ante finem homini temporalia aufert Deus, homo conqueri non potest. — Tertio ostendit idem ex beneplacito divinæ voluntatis. " Sicut Domino placuit, ita factum est. „ Est autem amicorum idem velle et nolle. Unde si ex beneplacito divinæ providentiæ procedit, quod aliquis bonis temporalibus spolietur, si Deum amat, debet voluntatem suam divinæ voluntati conformare, ut hac consideratione tristitia non absorbeatur.

Totalis annihilatio et mors spiritualis est dispositio ad perfectionem.

341. D. Thomas, 1 2, qu. 47, art. 4, ad 3, dicit: Dispositio tripliciter se habet ad id ad quod disponit. Quandoque enim est idem et in eodem, sicut scientia inchoata dicitur esse dispositio ad perfectam scientiam; quandoque autem est in eodem, sed non idem, sicut calor est dispositio ad formam ignis; quandoque vero, nec idem, nec in eodem: sicut in his quæ habent ordinem ad invicem, sicut bonitas imaginationis est dispositio ad scientiam, (*ita*) annihilatio et mors spiritualis est dispositio ad perfectionem. Tunc anima annihilatur quando se ipsam despicit; sic sui obliviscitur et omnium rerum creatarum, ut nullam earum memoriam, affectum et cogitationem apud se retineat, sola contenta Deo, cui se totaliter tradidit. Videantur quæ diximus de annihilatione, art. 8 quæst. procemialis.

342. Mors spiritualis est dispositio ad perfectionem. Postquam homo per peccatum disperdit justitiam originalem, in qua fuit creatus a Deo, in omnibus quærit suam utilitatem, et non gloriam Dei; et sic requiescit per amorem in creaturis, vel in seipso, vel in donis Dei, vel in ipso Deo cum propria utilitate. Et ut anima vivat Deo in spiritu puro, debet mori in omni ista vita. Debet mori in appretio et æstimatione creaturarum, et annihilata ista prima vita, debet etiam mori in secunda, nimirum in æstimatione et appretio sui ipsius. Et annihilata ista vita, debet mori in affectu et appretio quo re-

cipit dona Dei. Annihilata ista vita, debet mori in quarta et ultima, qua appetit certitudinem experimentalem de Deo. In omni ista debet mori homo, ut possit vivere cum Deo in spiritu puro. D. Paulus ad Coloss. c. III: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. D. Thomas: Non sapite quæ sunt terrena, quia mortui estis terrenæ conversationi. Mortuus enim huic vitæ non sapit ea quæ sunt hujus mundi. Rom. VI: Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo; Isaiæ XXVI: Morientes non vivant, gigantes non resurgant. Cum autem dicit " Existimate, „ subdit " viventes. „ Et ideo alia vita est occulta. Unde hic dicit: " Et vita vestra abscondita est cum Christo. „ Et hanc vitam adquirimus nobis per Christum qui occultus est nobis.

343. D. Paulus, II. Cor. V: Et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. D. Thomas: Christus mortuus est ad delenda peccata; ergo omnes debent mori veteri vitæ, scilicet peccati, et vivere vita justitiæ. " Ut qui vivit, „ scilicet vita naturali, " jam non sibi vivat, „ idest non propter seipsum et propter bonum suum tantum; " sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, „ scilicet Christo, idest totam vitam suam ordinet ad servitium et honorem Christi; Galat. II: Vivo ego, jam non ego. Et horum ratio est quia unusquisque operans sumit regulam operis sui a fine. Unde si Christus est finis vitæ nostræ, vitam nostram debemus regulare, non secundum voluntatem nostram, sed secundum voluntatem Christi. — Nota autem quod duo dicit, scilicet quod mortuus est Christus, et quod resurrexit pro nobis: ubi duo exiguntur a nobis. Quia enim mortuus est pro nobis, et nos debemus mori nobis ipsis, idest pro ipso abnegare nos ipsos. Unde dicebat, Lucæ IX: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Quod idem est ac dicere: Moriatur sibi ipsi. Quia vero Christus surrexit pro nobis, et nos debemus ita mori peccato, et veteri vitæ, et nobis ipsis, quod tamen resurgamus ad novam vitam Christi. Rom. VI: Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate, etc. Et propter hoc Dominus non dixit solum: Abneget semetipsum et tollat crucem suam, sed addidit: Et sequatur me, scilicet in novitate vitæ proficiendo in virtutibus; Ps. LXXXIII: Ibunt de virtute in virtutem.

Optima dispositio ad perfectionem est, quod homo abneget semetipsum.

344. D. Thomas, quæstione unica de virtutibus, art. 1 ad 8: Dispositio ad aliquid dicitur id per quod aliquid movetur in illud consequendum. Motus autem habet quandoque terminum in eodem genere, sicut motus alterationis est qualitas, unde dispositio ad hunc terminum semper est ejusdem generis cum termino. Quandoque vero habet terminum alterius generis, sicut alterationis terminus est forma substantialis, et sic dispositio non semper est ejusdem generis, (*ita*) abnegatio sui ipsius est optima dispositio ad perfectionem. D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 10, adducit illud D. Dionysii, 4 cap., de divinis nominibus, quod divinus amor est extasim faciens, idest extra seipsum ponens, non sinens hominem sui esse, sed ejus quod amatur. Hoc enim ipse Dominus docet, Matth. XVI: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Hujus autem salubris abnegationis charitatis et odii observantia partim quidem necessaria est ad salutem, et omnibus qui salvantur communis, partim autem ad perfectionis pertinet complementum. Ut enim ex supra posita Dionysii auctoritate apparet, de ratione divini amoris est ut amans non sui ipsius remaneat, sed amati; secundum igitur divini amoris gradum, necesse est et odium et abnegationem prædictam distingui. Est autem necessarium ad salutem ut homo sic Deum diligat, ut in eo finem suæ intentionis ponat, nihilque admittat quod contrarium divinæ dilectioni existimet. Et ideo consequenter et odium et abnegatio sui ipsius est de necessitate salutis. Unde Gregorius dicit: Tunc nos ipsos relinquimus et abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur.

345. Ad perfectionem vero pertinet ut homo propter intentionem amoris Dei, etiam ea abjiciat quibus licite uti potest, ut per hoc liberius Deo vacet. Secundum hunc ergo modum consequens est ut et odium et abnegatio sui ipsius ad perfectionem pertineant. Matth. XIX: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; non necessitatem

imponens, sed voluntati relinquens. Ita dicit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. Non coactivum facit sermonem. Idem D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 10, dicit: Ad perfectionem pertinet etiam abnegare propriam vitam, quia Martyres propter Deum contemnunt propriam vitam, propter quam omnia temporalia quæruntur, et ejus conservatio etiam cum omnium aliorum amissione aliis omnibus præfertur. Magis enim homo vult et divitias perdere et amicos, adhuc etiam corporis infirmitati succumbere et in servitutem redigi, quam vita privari; unde hoc beneficium victis et victoribus præstat, ut vitæ parentes conservent servituti subjectos. Unde ad Dominum dixit, ut habetur Job II: Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, idest pro corporali vita servanda. Hæc ille.

346. Pertinet ad perfectionem abnegare propriam voluntatem. Ita D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 10: Quanto aliquid magis amatur, tanto perfectius contemnitur propter Christum; nihil homini est amabilius libertate propriæ voluntatis. Per hanc enim homo est etiam aliorum dominus, per hanc aliis uti vel frui potest, per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde sicut homo dimittens divitias, vel personas conjunctas, eas abnegat: ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius dominus est, seipsum abnegare invenitur. Nihil est etiam quod homo naturali affectu magis refugiat quam servitutem: unde et nihil posset homo pro alio amplius impendere, post hoc quod est seipsum in mortem pro eo tradere, quam quod seipsum servituti ejus subjugaret. Hujus autem voluntatis libertatem aliqui sibi propter Deum particulariter adimunt, dum quodcumque particulare votum emittunt de quocumque faciendo, vel non faciendo. Aliqui vero libertati propriæ voluntatis abrenuntiant, se propter Deum aliis subjicientes per obedientiæ votum. Et hoc est maxima dispositio ad perfectionem.

347. Ad perfectionem etiam pertinet tamquam dispositio abnegare amorem ad res spirituales, quia aliqui inordinate eis inhærent. Unde legimus in Evangelio quod Christus Dominus suis dixit discipulis: Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos; cum assumptus fuero, mittam vobis eum. — Quærentes sancti Patres et Expositores hujus propositionis Dominicæ causam, asserunt, Apostolos sensibili affectu Christo nimis addictos, et

illos oportuisse per absentiam ipsius purgari, ut condigne ad Spiritus sancti receptionem pararentur, et apte gratiarum ejus infusioni disponerentur. Possumus etiam dicere quod Christus Dominus adhuc parvulus se sanctissimæ suæ Matri subtraxit, non quod aliqua imperfectio dilectioni ipsius misceretur: hæc namque sanctissima Virgo prorsus omni caruit imperfectione; sed ad patientiæ et meriti incrementum, ut ex concepto dolore de absentia filii magis disposita firmius eidem invento cohæreret.

Maxima dispositio est ad perfectionem operari cum conscientia pura.

348. Duo alia genera dispositionum adducuntur a doctoribus mysticis ad perfectionem, scilicet activum et passivum. Sub activo continentur omnes illæ dispositiones quas anima, divinis tamen auxiliis præventa et roborata, solet propria cooperans industria paulatim acquirere; sub passivo autem continentur aliæ, quas Deus animæ non cooperanti, sed tantum consentienti infundit. — Per primum genus dispositionis dicitur anima proprie se ipsam disponere; per secundum dicitur a Deo proprie disponi. Operari cum conscientia pura pertinet ad primum genus dispositionis. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. XII: "Testimonium conscientiæ nostræ," dicit: Notandum quod conscientiæ testimonium verum est, quia non decipit. Multi enim exterius videntur boni qui in conscientia sua non sunt boni. Et semper durat. Sed non dicit conscientiæ aliorum, sed nostræ: quia semper homo plus debet stare testimonio conscientiæ suæ de se, quam testimonio aliorum; quod non faciunt illi qui reputant se bonos ex hoc quod alii sunt mali, non ex hoc quod ipsi in veritate boni sint; et illi qui gloriantur in bonitate alicujus boni viri, qui eis aliqua affinitate conjungitur. — Causam autem hujus gloriæ insinuat, dicens quod "in simplicitate." In duobus consistit puritas conscientiæ, ut scilicet ea quæ facit sint bona, et quod intentio facientis sit recta. Et ista dicit Apostolus de se: Primo quod habet intentionem rectam ad Deum in operibus suis, et ideo dicit, quod "in simplicitate," idest in rectitudine intentionis. Sap. I: In simplicitate cordis; Prov. II: Simplicitas

justorum. Secundo, quod ea quæ facit sunt bona, et ideo dicit: " In sinceritate operationis. „ Philipp. I: Ut sitis sinceri et sine offensa. Dispositio maxima est operari in conscientia pura.

349. Item maxima dispositio est operari cum pace. Unde sequela charitatis est gaudium, perfectio autem gaudii est pax quoad duo importata per pacem, scilicet quoad quietem a perturbationibus, et quoad sedationem a fluctuatione desiderii. Ita D. Thomas, 1 2, q. 70, art. 3. Ex D. Joan. IV: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Unde sequela charitatis est gaudium. — Perfectio autem gaudii est pax quantum ad duo. Primo quidem quantum ad quietem ab exterioribus conturbantibus: non enim potest perfecte gaudere de bono amato, qui in ejus fruitione ab aliis perturbatur. Et iterum qui perfecte cor habet in uno pacatum, a nullo alio molestari potest, cum alia quasi nihil reputet. Unde dicitur in Ps. CXVI: Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. quia scilicet ab exterioribus non perturbatur quin Deo fruatur. Secundo quantum ad sedationem desiderii fluctuantis; non enim perfecte gaudet de aliquo, cui non sufficit id de quo gaudet. Hæc duo importat pax, scilicet ut neque ab exterioribus perturbetur, et ut desideria nostra conquiescant in uno. Et ita operari cum pace est maxima dispositio ad perfectionem.

350. Maxima dispositio est operari cum simplicitate. Divus Thomas, 2 2, q. 109, art. 2 ad 4, dicit quod simplicitas dicitur per oppositionem duplicitati; quia scilicet aliquis aliud habet in corde, aliud ostendit exterius. Et sic simplicitas ad veritatem pertinet. Facit autem intentionem rectam, non quidem directe, quia hoc pertinet ad omnem virtutem, sed excludendo duplicitatem, quia homo unum prætendit, et aliud intendit. Et q. 111, art. 3 ad 2, dicit quod, sicut dictum est q. 55, a. 3, qq. 4 et 5, prudentiæ directe opponitur astutia; ad quam pertinet adinvenire quasdam vias apparentes, et non existentes ad propositum consequendum. Executio autem astutiæ est proprie per dolum in verbis; per fraudem autem in factis. Et sicut astutia se habet ad prudentiam, ita dolus et fraus ad simplicitatem. Dolus autem vel fraus ordinatur ad decipiendum principaliter, et quandoque secundario ad nocendum. Unde ad simplicitatem pertinet directe se præservare a duplicitate. Et secundum hoc virtus simplicitatis est eadem virtuti

veritatis; sed differt sola ratione, quia veritas dicitur secundum quod signa concordant signatis. Simplicitas autem dicitur secundum quod non tendit in diversa, ut scilicet aliud intendat interius, et aliud prætendat exterius.

Maxima dispositio est ad perfectionem quod voluntas humana conformetur divinæ.

351. Non loquimur de conformitate voluntatis nostræ quantum ad entitatem et in ordine ad creationem, quia ista est conformitas naturæ per quamdam analogam similitudinem et participationem divini esse: sed loquimur de conformitate nostræ voluntatis ad divinam in ordine ad objectum et in ratione potentiæ operantis moraliter; qua ratione quadrupliciter potest intelligi se conformare divinæ voluntati, secundum quatuor genera causarum. Primo modo in quantum voluntas vult idem quod divina; quod videtur reduci ad genus causæ materialis. Secundo, inquantum vult nostra voluntas propter eumdem finem atque divina; quod quidem reducitur ad genus causæ finalis. Tertio modo, inquantum vult nostra voluntas ex eodem habitu charitatis vel justitiæ atque vult divina; quod quidem reducitur ad genus causæ formalis. Quarto modo, inquantum licet humana voluntas non velit quod Deus vult, vult tamen id quod Deus vult ipsam voluntatem hominis velle. Conformitas voluntatis humanæ ad divinam in volito formali consistit, regulariter loquendo, in eo quod ex parte operis referatur in ultimum finem et ordinetur ad illum, ut sicut Deus quidquid vult, vult propter suam bonitatem, ita etiam et voluntas humana volitum velit propter Dei bonitatem et bonum divinum ex parte operis.

352. In Deo duplex voluntas est distinguenda nostro modo intelligendi, ut dicit D. Thomas, p. 1, q. 29, art. 11, et qu. 12. Alia quidem voluntas absoluta et efficax, quæ vocatur beneplaciti, quæ semper impletur. Et hæc quidem voluntas nobis constare non potest nisi per divinam revelationem et per opera ipsa quæ fiunt. Alia vero est voluntas in Deo, quæ vocatur voluntas signi: quæ quidem tantum metaphorice vocatur voluntas, quia formaliter non est in Deo; sed talis dicitur tan-

tum ab effectu, secundum quod res volita dicitur explicare voluntatem. Quod ergo Deus præcipit, vel prohibet, vel consiliatur, vel permittit, dicitur velle, quia hujusmodi signa sunt voluntatis.— Ex parte nostra etiam voluntas debet dici secundum diversam considerationem. Primo, consideratur voluntas ut natura, secundo ut rationalis; et ista adhuc dupliciter. Primo, secundum portionem superiorem et regulas divinas; secundo, secundum portionem inferiorem et regulas humanas. Voluntas humana dupliciter potest aliquid velle. Primo voluntate conditionata et imperfecta, quæ vocatur velleitas, ut volitio retinendi merces in tempestate, quas de facto nauta projecit in mare. Secundo, voluntate absoluta, nulla supposita conditione per complacentiam rei in se ipsa. Hæc autem duplex esse potest: altera inefficax, quæ ad opus non extenditur; altera vero efficax, quæ in opus prorumpit. — Volitum a Deo potest esse vel ignotum, vel notum; et notum quidem vel generali quadam manifestatione, ut in ipso opere potest manifestari, ut manifestatur voluntas Dei pluendi quando pluit; aut vero potest manifestari peculiari quadam revelatione, et hoc adhuc dupliciter. Primo, solum manifestando; secundo, cum manifestatione præcipiendo.

353. Voluntas humana debet conformari voluntati divinæ in volito formali, quia sicut Deus quidquid vult, vult propter suam bonitatem, ita etiam et voluntas humana volitum velit propter Dei bonitatem et bonum divinum ex parte operis. Et voluntas humana in omni actione bona necessario conformatur voluntati divinæ in genere causæ efficientis, volendo id quod Deus vult ipsam velle. Non tenetur homo conformari voluntati divinæ in genere causæ efficientis, nisi quando divina voluntas manifestatur præcepto. Nam non tenetur quis conformari voluntati prælati, nisi interveniat præceptum: ergo nec voluntati divinæ, nisi præceptum adsit. Quando voluntas divina non innotescit in nobis in re singulari agenda, non solum non tenemur conformari divinæ voluntati in volito materiali, sed juste et meritorie possumus in contrarium velle. Hoc patet II. Reg. VII, ubi narratur quod David voluerit ædificare templum Domino, quod tamen Deus nolebat per ipsum ædificari, sed per Salomonem; nihilominus tamen illa David (*voluntas*) fuit recta; quare ipsum laudavit Dominus, III. Reg. VIII.

354. Quandocumque voluntas Dei nobis innotescit per præceptum, vel prohibitionem, tenetur homo se conformari voluntati divinæ. Etiamsi divina voluntas nobis innotescat, non tenemur conformari illi, secundum appetitum sensitivum, vel secundum voluntatem, ut est quædam natura. Patet; nam aliquando Deus vult nos ægrotare, et nihilominus sine peccato dolemus de infirmitate, ut de inimica naturæ et corrumpente totum suppositum; quare Christus Dominus, cujus erat rectissima voluntas, abhorrebat mortem, cœpitque pavere et tædere, et dicebat: Pater, si possibile est, etc. — Voluntas humana, etiam ut rationalis, potest velle oppositum illius quod Deus vult, etiamsi sibi constet de voluntate divina: potest, inquam, oppositum velle voluntate conditionata et inefficaci; nam voluntas conditionata est imperfecta, et non opponitur volitioni absolutæ, ut patet in projiciente merces in mare, qui simul absolute vult projicere, et conditionaliter vellet non projicere.

355. Etiamsi divina voluntas sit manifesta, si non interveniet præceptum, potest humana voluntas velle oppositum volitione absoluta et perfecta, si talis volitio non sit efficax, nec prorumpens in opus oppositum. Patet Psal. cxix: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; et ad Philipp. 1: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Absolute volebant mori, licet eis esset manifesta divina voluntas ut viverent. Quando divina voluntas innotescit solo opere et communi lege, qua res fieri solent, potest voluntas humana absolute et efficaciter velle oppositum, sive possit impedire, sive non, rem a Deo volitam, ut pluviæ non sunt impedibiles, infirmitates sunt impedibiles. Nam quæ Deus vult bona sunt, et ab ipso volita sub ratione boni, nempe propter bonum justitiæ, vel bonum universi, vel propter aliud bonum commune et universale; eadem autem volita a nobis habere possunt rationem mali, et secundum particularem rationem nobis disconvenire. Stat ergo quod simul a Deo sint volita secundum priorem rationem; et propter posteriorem, secundum quam sunt mala, a nobis detestantur, quia in hoc non est contrarietas, cum sit secundum diversam rationem.

12. (Pag. 27) Quæst. 4, Disp. 1, post art. 3.

De eadem dilectione proximi.

356. D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 14, loquens de perfectione dilectionis proximi, quæ est necessaria ad salutem, dicit: Considerandus est multiplex gradus perfectionis circa dilectionem proximi, sicut et circa dilectionem Dei. Est enim quædam perfectio quæ requiritur ad salutem, quæ cadit sub necessitate præcepti. Est etiam quædam ulterior perfectio superabundans quæ sub consilio cadit. Perfectio autem dilectionis proximi necessaria ad salutem, consideranda est ex ipso modo diligendi, qui nobis præscribitur in præcepto de proximi dilectione, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod vero Deus est universale bonum supra nos existens, ad perfectionem dilectionis divinæ requiritur ut totum cor hominis secundum aliquem modum convertatur in Deum, sicut ex dictis patet. Et ideo motus divinæ dilectionis convenienter exprimitur per hoc quod dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Proximus autem noster non est universale bonum supra nos existens, sed particulare infra nos constitutum: et ideo non determinatur nobis modus, ut aliquis diligat proximum ex toto corde, sed sicut se ipsum.

357. Ex hoc autem modo circa dilectionem proximi tria consequuntur. Primo quidem ut sit vera dilectio. Cum enim de ratione dilectionis, sive amoris, hoc esse videatur, ut aliquis bonum velit ei quem amat, manifestum est quod motus amoris, sive dilectionis, in duo tendit, scilicet in eum cui aliquis vult bonum, et in bonum quod optat eidem. Et quamvis utrumque amari dicatur, tamen illud vere amatur, cui aliquis bonum optat. Bonum vero quod quis optat alicui, quasi per accidens, dicitur amor, prout ex consequenti sub actu amoris cadit. Inconveniens est enim dicere quod illud vere et proprie ametur, cujus destructionem aliquis optat. Multa autem sunt bona quæ dum in nostrum usum vertimus, consumuntur, sicut vinum dum bibitur, et equus dum exponitur pugnæ; unde

manifestum est quod dum res aliquas in nostrum usum vertere cupimus, vere quidem et proprie nos ipsos amamus; res autem illæ per accidens et quasi abusivè a nobis amari dicuntur. Manifestum est autem quod unusquisque naturaliter sic vere se amat, ut sibi bona optet, puta felicitatem, virtutem, scientiam et quæ ad sustentationem vitæ requiruntur. Quæcumque vero aliquis in suum usum assumit, non vere illa amat, sed usum et magis se ipsum. Sicut autem alias res assumimus in nostrum usum, ita etiam et homines ipsos. Si igitur proximos eo tantummodo diligamus, inquantum in nostrum usum venire possunt, manifestum est quod eos non vere diligimus, nec sicut nos ipsos: et hoc quidem apparet in amicitia utili et delectabili. Qui enim amat aliquem quia est ad suam utilitatem, vel delectationem, se ipsum amare convincitur, cum ex altero bonum delectabile vel utile quærat, non illum ex quo quærit, nisi sicut dicitur amari vinum, vel equus, quæ non diligimus sicut nos ipsos, ut eis bona optemus, sed magis ut ipsa bona existentia nobis cupiamus. Primo ergo ex hoc quod præcipitur quod homo proximum tamquam se ipsum diligat, dilectionis veritas demonstratur, quam necesse est charitati adesse. Procedit enim charitas de corde purò, et conscientia bona, et fide non ficta, ut Apostolus dicit, I. Tim. I. Ideo, ut ipse dicit I. Cor. XIII, charitas non quærit quæ sua sunt, sed optat bona eis quos amat. Et hujus rei seipsum exemplum dat, cum dicit, I. Cor. X: Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

358. Secundo ex prædeterminato modo nobis indicitur ut dilectio proximi sit justa et recta. Est enim justa et recta dilectio, cum majus bonum minori bono præponitur. Manifestum est quod inter omnia humana bona, bonum animæ præcipuum locum tenet; post hoc autem ordinatur bonum corporis, ultimum autem bonum est quod consistit in bonis exterioribus. Unde et hunc ordinem diligendi seipsum videmus homini naturaliter inditum. Nullus enim est qui non mallet se corporis oculo privari, quam usu rationis qui est oculus mentis. Rursusque pro vita corporali tuenda, vel conservanda, homo omnia sua bona exteriora largitur, secundum illud Job II: Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Et hic quidem naturalis ordo dilectionis sui ipsius, in paucis

vel nullis deficit, quantum ad naturalia bona, de quibus exemplum posuimus. Sed inveniuntur nonnulli qui quantum ad superaddita hunc ordinem dilectionis pervertunt, sicut cum propter salutem vel delectationem corporis, bonum virtutis aut scientiæ multi abjiciunt; rursusque propter exteriora bona conquirenda corpus suum periculis et laboribus immoderatis exponunt, quorum non est recta dilectio: imo, ut amplius dicam, nec vere isti seipsos diligere probantur. Hoc enim maxime videtur esse unumquodque, quod est in ipso præcipuum. Unde et civitatem aliquid facere dicimus, quando id faciunt principes civitatis. Manifestum est enim quod præcipuum in homine est anima, et inter animæ partes, sive potestates, ratio, sive intellectus. Qui ergo bonum rationalis animæ contemnit inhærens bonis corporis, vel animæ sensitivæ, manifestum est quod non vere se ipsum diligit; unde et in Psal. x dicitur: Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Sic ergo rectitudo circa dilectionem proximi instituit, cum præcipitur alicui, quod proximum diligat sicut seipsum, ut scilicet eo ordine bona proximis optet, quo sibi optare debet, præcipue quidem spiritualia bona, deinde bona corporis, etiam quæ in exterioribus bonis consistunt. Si quis vero proximo bona exteriora optet contra salutem corporis, aut bona corporis contra salutem animæ, non eum diligit sicut seipsum.

359. Tertio vero ex prædicto modo præcipitur, ut sit sancta proximi dilectio. Dicitur enim aliquid sanctum ex eo quod ordinatur in Deum; unde altare sanctum dicitur, quia Deo est dicatum, et alia hujusmodi quæ divino ministerio mancipantur. Quod autem aliquis alium diligat sicut se ipsum, ex hoc contingit quod communionem aliquam ad invicem habent: in quantum enim aliqua duo simul conveniunt, considerantur quasi unum: et sic unum eorum se habet ad alterum sicut ad seipsum. Contingit enim aliquos duos multipliciter convenire. Conveniunt enim aliqui naturali convenientia secundum generationem carnalem, puta qui ex eisdem parentibus oriuntur; alii vero conveniunt convenientia quadam civili, puta quia sunt ejusdem civitatis municipes, et sub eodem principe, et eisdem legibus gubernantur. Et secundum unumquodque officium vel negotiationem aliqua convenientia vel communicatio invenitur, sicut qui sunt socii in negotiando, vel militando,

vel subtili officio seu artificio, aut in quocumque hujusmodi. Et hujusmodi quidem proximorum dilectiones honestæ quidem et rectæ possunt esse, sed non ex hoc sanctæ dicuntur: sed solum ex hoc quod dilectio proximi ordinatur in Deum; sicut enim homines qui sunt unius civitatis consortes in hoc conveniunt, quod uni subduntur principi, cujus legibus gubernantur: ita et omnes homines inquantum naturaliter in beatitudinem tendunt, habent quamdam generalem convenientiam in ordine ad Deum, sicut ad summum omnium Principem, et beatitudinis fontem, et totius justitiæ legislatorem.

360. Considerandum est autem quod bonum commune secundum rectam rationem est bono proprio præferendum, unde unaquæque pars naturali quodam instinctu ordinatur ad bonum totius; cujus signum est quod aliquis percussioni manum exponit, ut cor vel caput conservet, ex quibus totius hominis vita dependet. In prædicta autem communitate, qua omnes homines in beatitudinis fine conveniunt, unusquisque homo ut pars quædam consideratur: bonum autem commune totius est ipse Deus, in quo omnium beatitudo consistit. Sic igitur secundum rectam rationem et naturæ institutum unusquisque seipsum in Deum ordinet, sicut pars ordinatur in bonum totius: quod quidem per charitatem perficitur, qua homo seipsum propter Deum amat. Cum igitur aliquis etiam proximum propter Deum amat, diligit eum sicut seipsum, et per hoc dilectio sancta efficitur. Unde dicitur I. Joan. IV: Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

361. Quarto ex prædicto modo dilectionis instruimur ut proximi dilectio sit efficax et operosa. Manifestum est enim quod unusquisque sic seipsum diligit, ut non solum velit sibi bonum advenire et malum abesse, sed unusquisque pro posse bona sibi procurat, et mala repellit. Tunc ergo homo proximum diligit sicut seipsum, quando non solum affectum ad proximum habet, quo ei bona cupit advenire et mala repelli, sed etiam affectum ostendit opere adimplendo; unde I. Joan. III dicitur: Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.

De perfectione dilectionis proximi, quæ cadit sub consilio.

362. Hæc perfectio secundum tria attenditur. Primo quidem secundum extensionem. Quanto enim ad plures dilectio extenditur, tanto videtur dilectio proximi esse magis perfecta. — In hac autem dilectionis extensione triplex gradus considerandus occurrit. Sunt enim quidam qui alios homines diligunt vel propter beneficia sibi impensa, vel propter naturalis cognationis vinculum, aut civilis; et iste dilectionis gradus terminis civilis amicitiæ coarctatur. Unde dicit Dominus, Matth. v: Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? — Sunt alii qui dilectionis affectum etiam ad extraneos extendunt, dum tamen in eis non inveniatur aliquid quod eis adversetur; et hic quidem dilectionis gradus quodammodo sub naturæ limitibus coarctatur. Quia enim omnes homines conveniunt in natura speciei, omnis homo est naturaliter omni homini amicus. Et hoc maxime ostenditur in hoc quod homo alium errantem in via dirigit, et a casu sublevat, et alios hujusmodi dilectionis effectus impendit; sed quia homo naturaliter seipsum magis quam alium diligit, ex eadem autem radice procedit ut aliquid diligatur et ejus contrarium odio habeatur, consequens est ut infra naturalis dilectionis limites inimicorum dilectio non comprehendatur. — Tertius autem dilectionis gradus est ut dilectio proximi etiam ad inimicos extendatur, quem quidem dilectionis gradum Dominus docet Matth. v, dicens: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et in hoc dilectionis perfectionem esse demonstrat; unde concludit subdens: Estote igitur vos perfecti, sicut et Pater vester perfectus est.

363. Secundo consideratur perfectio dilectionis proximi secundum intensionem amoris. Manifestum est enim quod quanto aliquis intensius amatur, tanto facilius alia propter ipsum contemnuntur. Ex his ergo quæ homo propter dilectionem

proximi contemnit, considerari potest an sit perfecta dilectio proximi. Hujus autem dilectionis triplex gradus invenitur.

364. Primus. Sunt enim aliqui, qui exteriora bona contemnunt propter dilectionem proximorum, dum vel ea particulariter proximis administrant, vel totaliter omnia necessitatibus erogant proximorum; quod videtur Apostolus tangere cum dicit, I. Cor. XIII: Si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam. Et Cant. VIII dicitur: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet. Unde et Dominus hoc comprehendere videtur, dum consilium de perfectione sectanda cuidam daret, dicens, Matth. XIX: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. Ubi omnium bonorum exteriorum abdicationem ad duo videtur ordinare, scilicet ad dilectionem proximi, cum dicit: " et da pauperibus; „ et ad dilectionem Dei, cum dicit: " sequere me. „ Ad idem etiam pertinet si quis damnum in exterioribus rebus pati non recuset propter dilectionem Dei, vel proximi. Unde Apostolus commendat quosdam dicens, ad Hebr. X: Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Et Prov. XII dicitur: Qui negligit damnum propter amicum, justus est. Ab hoc autem dilectionis gradu deficiunt qui de bonis quæ habent, proximis necessitatem habentibus subvenire non curant. Unde dicitur I. Joan. III: Qui habuerit substantiam mundi hujus, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

365. Secundus autem gradus dilectionis est ut aliquis corpus suum laboribus exponat propter proximorum amorem, cujus rei exemplum Apostolus in se ipso ostendit, cum dicit, II. ad Thess. III: In labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. — Et ad idem refertur si quis tribulationes et persecutiones propter proximorum amorem pati non recuset. Unde et Apostolus dicit, II. Cor. I: Sive tribulamur pro vestra exhortatione et salute; et II. Tim. II dicit: Laboro usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum, ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur. Ab hoc autem gradu deficiunt qui de deliciis nihil omitterent, nec aliquid incommodi sustinerent pro aliorum amore; contra quos dicitur Amos VI: Qui come-

ditis agnum de grege et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici: bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. Et Ezechiel. XIII dicitur: Non ascendistis ex adverso, neque apposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prœlio in die Domini.

366. Tertius autem gradus dilectionis est ut aliquis animam suam pro fratribus ponat. Unde dicitur I. Joan. III: In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere: ultra autem hunc gradum dilectio intendi non potest. Dicit enim Dominus, Joan. XV: Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; unde in hoc perfectio fraternæ dilectionis consistit. — Pertinent autem ad animam duo. Unum quidem secundum quod vivificatur a Deo, et quantum ad hoc pro fratribus animam ponere non debet. Tantum enim quis diligit vitam animæ, quantum diligit Deum: plus enim debet unusquisque Deum diligere quam proximum. Non debet ergo aliquis peccando vitam animæ suæ contemnere, ut proximum salvet. Aliud autem consideratur in anima secundum quod vivificat corpus, et est principium vitæ humanæ, et secundum hoc pro fratribus animam ponere debemus. Plus enim debemus proximum diligere, quam corpora nostra. Unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit. Et hoc cadit sub necessitate præcepti in necessitatis articulo, puta si aliquis videret aliquem ab infidelibus seduci, deberet se mortis periculo exponere, ut eum a seductione liberaret.

367. Sed quod aliquis extra hos necessitatis casus pro salute eorum mortis periculis se exponat, pertinet ad perfectionem justitiæ, vel ad perfectionem consilii: cujus exemplum ab Apostolo accipere possumus, qui dicit, I. Cor. XII: Ego autem libentissime impendar et superimpendar ipse pro animabus vestris; ubi dicit Glossa: Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. — Habet autem quamdam mortis similitudinem conditio servitutis: unde et mors civilis dicitur. Vita enim in hoc maxime manifestatur, quod aliquis movet seipsum; quod autem non potest moveri nisi ab alio,

quasi mortuum esse videtur. Manifestum est autem quod servus non a se ipso movetur, sed per imperium domini. Unde homo inquantum servituti subjicitur propter amorem proximi, similis charitatis est ac si se periculo mortis exponeret, licet hoc perfectius esse videatur, quia homines naturaliter magis mortem refugiunt quam servitutem.

368. Tertio vero consideratur fraternæ dilectionis perfectio ex effectu. Quanto enim majora bona proximis impendimus, tanto perfectior dilectio videtur. — Sunt autem circa hoc tres gradus considerandi. Sunt enim quidam qui proximis obsequuntur in corporalibus bonis, puta qui vestiunt nudos, pascunt famelicos et infirmis ministrant, et alia hujusmodi faciunt: quæ sibi Dominus reputat exhiberi, ut patet Matth. xxv. — Sunt autem aliqui qui spiritualia bona largiuntur, quæ tamen non excedunt conditionem humanam, sicut qui docet ignorantem, consulit dubitanti et revocat errantem, de quo commendatur Job iv: Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. — Sunt autem alii qui spiritualia bona et divina supra naturam et rationem existentia proximis largiuntur, scilicet doctrinam divinorum, manuductionem ad Deum, et spiritualem sacramentorum communicationem. Et de his donis Apostolus mentionem facit ad Galat. iii, dicens: Qui tribuit nobis spiritum, et operatur in nobis virtutes. Et I. Thess. ii: Cum accepistis a nobis verbum auditus Dei, ecce accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut vere verbum Dei. Et II. Cor. xi: Despondi vos uni viro; et postmodum subdit: Nam si is qui venit alium Christum prædicat quem non prædicavimus, aut alium Spiritum accipitis quem non accepistis, aut aliud Evangelium quod non recepistis, recte pateremini. Hujusmodi autem bonorum collatio ad singularem quamdam perfectionem pertinet fraternæ dilectionis, quia per hæc bona homo ultimo fini conjungitur, in quo summa hominis perfectio consistit; unde ad hanc perfectionem ostendendam dicitur Job c. xxxvii: Numquid nosti semitas nubium magnas et perfectas scientias? Per nubes autem, secundum Gregorium, sancti prædicatores intelliguntur. Habent autem istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet prædicationis sanctæ vias, et perfectas scientias, dum de suis meritis se nihil esse sciunt, quia ea quæ

proximis impendunt, supra ipsos existunt. Additur autem ad hanc perfectionem, si hujusmodi spiritualia bona non uni tantum, vel duobus, sed toti multitudini exhibeantur, quia etiam secundum philosophos, bonum gentis perfectius est et divinius quam bonum unius. Unde et Apostolus dicit, Ephes. IV: Alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, scilicet totius Ecclesiæ. Et I. Cor. XIV dicit: Quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.

De amore amicitiæ et concupiscentiæ erga Deum.

369. Diffinitiones amoris amicitiæ et concupiscentiæ adduximus in art. 2 de prima passione, quæ vocatur amor. Debemus diligere Deum amore amicitiæ, (*ut*) docet D. Thomas, Op. LXI, cap. 5, quia hæc est dilectio qua diligimus illud cui bonum volumus. Hoc ergo (*amore*) Dominum diliges præ omnibus, et etiam præ te ipso, et hoc dupliciter. Quantum ad objectum majus ut ei velis majus bonum quam tibi ipsi vel cuiquam. — Item quantum ad modum volendi, ut magis velis ei bonum quam tibi, vel cuiquam, quod dignum est. Nam potentia volendi ab ipso est, et ideo sua est, et a te non est, sed tibi concessa: potius ergo vult et magis vult bonum ei a quo est, quam ei a quo non est.

370. Sed nota quod dominus relative ad servum dicitur, quia dominium et homagium relationem faciunt: nam et illum dominum appello, cujus homo sum, etsi servus non sum. — Item nonnunquam aliquis homo fit alterius hominis, non quia ille sibi quicquam de bonis suis porrigat, sed ille bona propria illi assignat, et recipit in feudum ut homo fuit, utique in tali casu potius homo meus esset, quam e converso: nam plus a me habet quam ego ab ipso; ipse a me rei meæ non suæ proprietatem habet et dominium, et ego ab ipso rei meæ solummodo possessionem et usum, et tamen dominum hunc appello. Verum multo potius homo Dei sum, (*nam ab ipso*) habeo totum quod habeo, expecto totum bonum quod habiturus sum: Dominus ergo et Deus meus est, gloriorque non im-

merito liberum me esse et nobilem, utpote immediate imperatori summo subjectum, cum etiam angelus non sit mihi dominus, sed conservus. — Cæterum alia est relatio qua refertur homo ut servus ad dominum, alia qua amicus ad amicum: et nobilior secunda quam prima. Augustinus: Obstupesce igitur, anima mea, dignatione Dei tui erga te; nobilitavit te, o homo, Deus inferius constituens dominium irrationabilium. Psal. VIII: Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Qui dominaris brutis, non mirum esset si angelorum saltem Seraphin dominio subderis. Sed nunc non sic, sed nobilius es in relatione ad superius: solus Deus vere est Dominus tuus. Sed dilatare usque ad mortem præ admiratione: cui debueras servus esse, jubet ut sis amicus. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum, etc. Joan. XV: Jam non dicam vos servos, sed amicos. Stude igitur amicus esse ei a quo amaris, servus esse cui obligaris.

371. D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 4, dicit: Dilectionem concupiscentiæ principaliter quinque consequuntur, scilicet motus, dolor, timor, consolatio et delectatio. Sicut enim corpora quædam moventur in loco, ut sphæra, quædam extra locum, ut in motu recto, ut homo sedens movetur in loco cum surgit, extra locum cum procedit: sic dilectio concupiscentiæ motus est essentialis, sed quasi motus surgentis. Delectabile enim apprehensum movet, sed hunc motum sequitur alius motus quasi procedens, et ipse duplex. Primus quo moveor ad habendum; alius secundus quo moveor ad merendum: qui secundus est prior in intentione, sed posterior in esse, vel in executione: sicut vinum diligens primo movetur motu desiderii ad habendum, vel bibendum; sed quia non habet, movetur secundo ad illud per quod habeat. Et iste motus multiplicatur si plura sint ad habendum necessaria; unde movet homo linguam ad petendum vel interrogandum, manum ad operandum pro pretio, pedes eundo ad tabernam, et sic de aliis: qui motus omnes fiunt propter primum perducendum ad terminum. Unde et terminus primi appetibilior est, et prior in intentione terminis omnium posteriorum, sicut motus motibus, secundum illud: Propter quod unumquodque tale, etc.

372. Sic apprehensa suavitate et dulcedine Dei, moveor concupiscens; hoc est diligere; sed cum motus continuus habeat principium, medium et finem, hunc motum sequitur motus

quasi processivus, non sicut alius alium, sed sicut pars partem, medium principium, hoc est motus ad habendum, vel fruendum; sed quia non possum habere, vel frui sine meritis, secundo moveo me ad merendum; qui motus multiplicatur secundum quod multis modis mereri contingit. Ex hac parte accidit motus impletionis præceptorum affirmativorum, tamquam eorum quæ sunt ad habendum necessaria; consiliorum, tamquam eorum quæ sunt utilia; prohibitionum, tamquam motus ab his quæ impedientia: hinc est motus ad amandum proximum, quia præceptum.

373. Secundum Gregorium charitas Dei generat amorem proximi, qui motus est principium et causa omnium motuum qui ordinant ad proximum, etiam extenso nomine motus ad moveri a malo et moveri ad bonum. Secundum hoc dicitur ad Rom. XIII: Plenitudo legis est dilectio. Nam non adulterabis, etc., et si quid est aliud mandatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Motus igitur primus, scilicet dilectionis Dei in voluntate, ut ens in subjecto, causat alium motum, scilicet dilectionis proximi in eodem subjecto. Cum ergo voluntas habet imperium super potentias inferiores et per influentiam mota movet inferiores potentias etiam organicas in comparatione ad Deum propter se, primo et principaliter; in comparatione ad proximum propter Deum, secundario et consequenter. Secundum hoc movet linguam ad Deum laudandum, orandum et similia; aures ad audiendum de se ipso; oculos ad intuendum vestigia ejus, scilicet creaturas, et sic de aliis membris et actibus: sed inter hos motus est ordo. Verbi gratia: Cum lingua movetur ad orandum, veniam peccati ante omnia petit, et hunc motum motus confessionis naturaliter præcedit, quo se peccatorem cognoscit et arguit, et sic de aliis. In comparatione ad proximum voluntas mota movet organa multipliciter, ut patet, pedes ad eundum, ad visitandum proximos, manus ad dandum vel adjuvandum, oculos et aures ad similia, etc., linguam ad consolandum, corripiendum, instruendum, excusandum, et similia. Hinc patet quod omnes virtutes motrices sunt et quasi motores moti ab alia, et secundo movent: charitas autem est quasi motor primus.

374. Secundo dilectionem sequitur dolor: nam quo magis moveor ad habendum, eo magis affligor de dilatione, secundum

illud: Spes quæ differtur affligit animam; quo magis appeto conjunctionem, eo magis doleo et affligor de distantia. Thren. I: Idcirco plorabo, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam. — Tertio sequitur timor; nam quo magis concupisco habere, eo magis timeo perdere; quo magis conjungi, eo magis separari. Poeta:

Res est solliciti plena timoris amor.

Hic timor nobilissimus inter omnes timores viæ et subtilissimus in patria, tamen secundum hunc actum evacuandus, solo ibi reverentiæ actu contentus. — Quarto sequitur consolatio ex appropinquatione, sicut exhilarescit esuriens, viso vel odorato cibo, utpote adhuc distante, sed tamen vicino, hinc intenditur motus; sicut velocius movetur lapis quo vicinior est centro. Bernardus: Qui amat ardentius, currit velocius. — Quinto sequitur delectatio de adeptione. Prov. XIII: Desiderium si compleatur, delectat animam. Est enim delectatio, secundum Aristotelem, conjunctio convenientis cum conveniente. Deus igitur sicut præcellit omne concupiscibile, sic delectat præ omni delectabili; et hoc tripliciter, quia generalius, intimius, durabilius.

375. Generalius. Alii enim delectant particulariter, ut sapida solum gustum, non autem visum, sic de singulis. Deus autem generaliter, quia generale bonum ipse est, et omnis boni particularis causa. Anselmus: Si enim singularia bona delectabilia sunt cognita, intendite, quam delectabile sit illud bonum, quod continet in se jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantum differentem quantum differt Creator a creatura.

376. Intimius. Alia delectant superficialiter et quasi exterius, Deus autem intime, et ideo profunde: solus autem Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, et ideo medullitus delectat. Augustinus: Cum inhæsero tibi ex omni mente mea, nusquam erit labor et dolor, sed tuta erit vita mea, tota plena te. Idem: O Domine Deus, quid est quod amo, cum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis istis amicum oculis, non dulces melodias cantilenarum, non florum et aromatum suaveolentium suavitatem, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus, non hoc amo cum

Deum meum amo: et tamen amo quamdam lucem, quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum. Non amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum exterioris hominis, sed interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non capit tempus, ubi olet quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi hæret quod non divellit satietas; hoc est quod amo cum Deum amo. Augustinus: Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, et non timebit, sed habebit se optime in optimo.

13. (Pag. 269) Quæst. 4, Disp. 2, post art. 18.

Quid sit virtus heroica, et in quo differat a communi.

377. Virtus heroica est virtus excelsa et præstantissima, et hæc celsitudo non attenditur tantum secundum intentionem, sed secundum accidens quoddam divinum quo præstat virtuti communi. Etenim omnis virtus ita est bonum habentis, ut illum perficiat non solum in ordine ad bona temporalia hujus vitæ, sed etiam in ordine ad bona divina et æterna futuræ vitæ. Itaque heroica virtus in hoc differt a communi, quod illa comparatur ex actibus ita regulas æternas secundum rationem humanam respicientibus, ut omnia temporalia contemnat. Communis vero generatur ex actibus qui ita respiciunt regulas temporales juxta dictamen rationis humanæ, ut æterna non attingat. Quo fit ut assueti operari semper circa divina et æterna evadant veluti divini, ac proinde solent heroes nuncupari: assueti vero sequi bonum rationis secundum regulas temporales, evadant quidem studiosi, sed non alia virtute quam communi. Ita D. Thomas, Matth. v. Aristoteles distinguit duplex genus virtutis: unum communis, quod perficit hominem humano modo; aliud specialis, quam vocat heroicam, quæ perficit supra humanum modum. Quando enim fortis timet ubi est timendum, istud est virtus; sed si non timeret, esset vitium. Si autem in nullo timeret, confisus Dei auxilio, ista virtus esset supra humanum modum, et istæ virtutes vocantur divinæ.

378. D. Thomas, 2 2, qu. 61, art. 5, dividit virtutes cardinales in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi et exemplares. Unde quælibet virtus cardinalis dividitur in ista quatuor genera virtutum. — Et virtutes cardinales exemplares sunt istæ virtutes prout inveniuntur in Deo, in quo est exemplar et idea omnium virtutum; ideoque illæ virtutes non sunt humanæ, sed divinæ, longeque differunt a nostris, scilicet plusquam specie. Sunt tamen exemplar et idea nostrarum virtutum, quæ in nobis sunt; per imitationem divinæ justitiæ sumus justi, et per imitationem perfectionis divinæ, perfecti, juxta illud Matth. v: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. — Omitto virtutes exemplares quæ in Deo sunt; et loquendo de participatis, scilicet de politicis, purgatoriis et purgati animi, istas vocat D. Thomas virtutes heroicas, 3 p., q. 7, art. 2: Dicendum quod habitus ille heroicus, vel divinus, non differt a virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, inquantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. Unde per hoc non ostenditur quod Christus non habuerit virtutes, sed quod habuerit eas perfectissime ultra communem modum, sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum quas esse dixit animi purgati.

379. Istæ virtutes heroicæ politicæ, purgatoriæ, purgati animi non sunt diversæ virtutes, sed dicunt diversos status ejusdem virtutis, secundum diversas perfectiones, sicut pueritia, adolescentia et virilitas non faciunt diversos homines, sed diversos status ejusdem hominis. — In istis virtutibus duo sunt consideranda. Primum est effectus quem faciunt, seu operantur, scilicet relinquere passiones moderatas et compositas ad regulam rationis. Secundum est motivum ex quo aliquis inclinatur et movetur ad istas passiones sic moderandas; aliquando enim non potest ex inferiori motivo aut ex proprio talis virtutis eas componere, sed indiget superiori dono Spiritus sancti, aut motivo alterius virtutis. Si attendamus ad primum, dico quod ex parte effectus, qui est moderari passiones, non differunt essentialiter virtutes politicæ et purgatoriæ, sed secundum diversos status majoris, vel minoris perfectionis in domandis passionibus; quod enim aliquis moderate utatur temporalibus, vel moderatas habeat passiones, aut totaliter

illas nesciat et relinquat, non variat objectum formale. Si autem in istis virtutibus varietur motivum et formalis ratio, quia videlicet ad effectus illos tam perfectos faciendos utitur quis superiori motivo, tunc distinguuntur istæ virtutes politicæ, purgatoriæ, non præcise quia tales sunt, sed ratione diversi motivi. Ut quando aliquis ad abjiciendum omnem amorem temporalium utitur motivo divinæ contemplationis et amoris, qui omnem illum affectum exsiccat et destruit, vel quando ad vincendas passiones utitur motivo divini timoris, juxta illud Psal. CXVIII: Confige timore carnes meas; vel ad dirigendum prudentialiter res humanas utitur superiori instinctu, et consulit rationes æternas per donum consilii. Tales virtutes purgatoriæ aut purgati animi diversæ specie erunt a virtutibus politicis et communi modo procedentibus.

380. Datur exemplum in virginitate et castitate, liberalitate et magnificentia. Nam virginitas non est specialis virtus a castitate distincta per hoc solum quod de facto ab omni venere abstinet, etiam a matrimoniali: ad hoc enim sufficit castitas ipsa, quæ sic temperare potest subjectum, ut nullam appetat venerem. Tunc autem virginitas est specialis virtus distincta a castitate, quando non solum nullam appetit venerem, sed etiam omnem reddit illicitam, etiam matrimonialem: hoc enim castitas ex solo suo formali motivo temperantiæ facere non potest, cum ex natura rei, usus matrimonialis veneris licitus sit; sed oportet altiori motivo inniti, scilicet religionis et voti, quo aliquis virginitatem consecrat Deo, et sic reddit illicitum etiam matrimonium. Et tunc virginitas est specialis virtus. Similiter liberalitas expendit pecunias moderate ratione communicationis amicabilis et socialis, et potest etiam magnam quantitatem ex hoc motivo expendere, ut patet, quia aliquando declinat in prodigalitatem, quæ liberalitati opponitur; neque ad hoc indigeret virtute magnificentiæ, sed quod affectus ipse liberalitatis crescat. Cæterum si recipiatur magnitudo sumptuum non in ratione debiti amicabilis, sed in ratione ardui habentis difficultates vincendas, sic non a liberalitate respicitur, sed a magnificentia.

381. In ipsis etiam virtutibus moralibus infusis supernaturalibus possunt distingui isti gradus virtutis politicæ et purgatoriæ. Virtus autem infusa moralis respicit finem super-

naturalem, et in eo etiam habet suam politicam secundum communicationem bonorum supernaturalium, tamquam cives sanctorum et domestici Dei. Et in hac supernaturali communicatione et politica sunt gradus, quia non omnes habent istas virtutes supernaturales in gradu heroico et excellenti, sed in modo ordinario, ut patet in pueris, aut recenter baptizatis adultis, qui recipiunt virtutes infusas, nec tamen statim omnes se exercent in illis cum totali abstractione a rebus temporalibus, etiam ex fine supernaturali. Compatitur ergo supernaturalis finis et virtutis infusæ statum virtutis imperfectæ et magis perfectæ politicæ et purgatoriæ, etiam intra illam lineam et genus supernaturalitatis.

382. Dona Spiritus sancti vocantur enim virtutes heroicæ. Ita D. Thomas, 1 2, qu. 68, art. 1 ad 1: Hujusmodi dona nominantur virtutes, secundum communem rationem virtutis: habent tamen aliquid superveniens rationi communi virtutis, inquantum sunt quædam divinæ virtutes perficientes hominem inquantum est a Deo motus. Unde et Philosophus, VII. Ethicorum, supra virtutem communem ponit quamdam virtutem heroicam vel divinam, secundum quam dicuntur aliqui divini viri. Idem Sanctus, 2 2, qu. 159, art. 2 ad 1: Clementia est virtus hominis, unde directe sibi opponitur crudelitas, quæ est malitia humana; sed sævitia, vel feritas continetur sub bestialitate. Unde non directe opponitur clementiæ, sed superexcellentiori virtuti, quam Philosophus vocat heroicam, vel divinam, quæ secundum nos videtur pertinere ad dona Spiritus sancti. Unde potest dici quod sævitia directe opponitur dono pietatis. Idem Sanctus ad Galat. v, lect. 6, circa medium, dicit: In virtute est considerare habitum et actum. Habitus autem perficit ad bene agendum. Et si quidem perficiat ad bene operandum humano modo, dicitur virtus; si vero perficiat ad bene operandum supra modum humanum, dicitur donum. Unde Philosophus supra communes virtutes ponit quasdam heroicas, puta cognoscere invisibilia Dei sub ænigmate per modum humanum. Et hæc cognitio pertinet ad virtutem fidei; sed cognoscere ea perspicue et supra humanum modum pertinet ad donum intellectus.

383. Explicatur dictum et simul probatur. Potest contingere ut ille qui operatur modo communi et politice ex fine natu-

rali et virtute acquisita, potest ad alium modum et motivum superius transeat ut majores effectus habeat, scilicet operando ex dono Spiritus sancti, sicut qui solum servat temperantiam quantum exigitur ad conservandam salutem corporalem, vel ne vilescat apud homines, et ideo moderate utitur rebus sensualibus, potest ex timore Spiritus sancti etiam omnes delectationes carnis fugere, juxta illud Psal. CXVIII: Confige timore tuo carnes meas; et iterum: Conversus sum in ærumna dum configitur spina: eo quod illud altius motivum divinum non solum carnis delectationes componit, sed quasi ventus urens arefacit (sicut dicitur Exod. XIV, quod Deus abstulit mare, flante vento vehementi et urente tota nocte): sic timor Dei aufert turbulentum mare passionum, et quasi spiritus vehemens conterit omnem sublimitatem sæculi, in timore et dolore, juxta illud Psal. XLVII: Timor apprehendit eos, ibi dolores, ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis; et denique juventutis ardores, immittente Deo manum, quasi in vetustatem et adustionem redigunt pellem, et carnem, et ossa, juxta illud Prophetæ, Thren. III: Tantum in me vertit, et convertit manum suam, vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. Quo etiam respiciebat vox Sponsæ dicentis: Dilectus meus misit manum suam per foramen, hoc est per angustum introitum timoris, et venter meus intremuit ad tactum ejus, Cantic. v. Si ergo dicuntur virtutes heroicæ, vel purgatoriæ, quæ effectus istos perfectiores et extraordinarios faciunt, sub altiori motivo divino vel supernaturali tales virtutes distinctæ erunt a politicis et communibus, et pertinere debent ad dona Spiritus sancti, secundum altius et excellens motivum operantis.

De fide, spe et charitate heroica.

384. Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res a Deo revelatas propter ipsius auctoritatem. Et Paulus diffinit eam: Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. — Est virtus theologica et habitus infusus et formata charitate est virtus. — Et fides, quæ non solum est speculativa, sed etiam practica, inquantum per dilectionem

operatur, est forma virtutum, ut sunt cognoscibiles: charitas vero ut sunt operativæ. — Fides non est contra rationem, sed supra eam; non destruens eam, sed captivans eam, et sic faciens eam abnegari. — Fides dicitur una ratione unius objecti, et quia multos unit. — Ad illam requiruntur duo, scilicet quod credibilia proponantur, et assensus. — Gradus fidei triplex: transcendere rationem, determinare credenda et testificari aliis. Adjuvat nos dupliciter, scilicet ad faciliter credendum contra duritiam et discrete contra errorem. — Omnia ista sunt sancti Thomæ.

385. Objectum fidei est non visum, et nihil cadit sub fide nisi a Deo revelatum et ut habens ordinem ad Deum. — Et est triplex: formale, scil. prima veritas; materiale, idest quod de Deo credimus; accidentale, idest consequentia. — Et objectum est duplex: complexum et incomplexum. — Articuli fidei sunt indivisibiles actu, sed divisibiles in potentia, et creverunt secundum successionem temporum quoad explicationem, non autem quoad substantiam. — Articuli fidei etsi non possint demonstrative probari, possunt tamen per rationes declarari non esse impossibiles. — Fides est major in uno homine quam in alio quoad certitudinem, devotionem, confidentiam et explicationem: non autem quoad rationem formalem objecti ejus. — Fides, quoad proponenda credibilia necessario est a Deo immediate quibusdam, et aliis per angelos et prædicatores; sed quoad assensum intrinsece est a solo Deo; extrinsece vero, et sufficienter, scilicet proponendo et persuadendo, est etiam ab aliis. — Omnia ista sunt D. Thomæ.

386. Qui habet fidem cum omnibus his circumstantibus, habet fidem heroicam: et illam habuerunt non solum sapientissimi viri, sed etiam multi rustici, et etiam multæ virgines omni studio humano destitutæ; sic fidei mysteria, ipsumque supremum augustissimæ Trinitatis mysterium penetrarunt, quod plus de illis divinitus noverint, quam doctores celeberrimi. Nec mirum est, cum in intimum cœlestis Regis cubiculum admissi, secluso sæcularium negotiorum tumultu, et tranquilla mente Deo præsenti vacantes, et docenti suaviter attendentes, instillatam cœlestem doctrinam et eximiam sapientiam percipere meruerunt. Qui, quamvis in terra constituti, cœlestia jugiter contemplantur; qui cum Apostolo dicere possunt: Nostra

conversatio in cœlis est. Sicut igitur qui in terra conversantur, addiscunt terrena; sic qui in cœlis conversantur, addiscunt cœlestia et divina. Et fides in istis non solum habetur in habitu, sed in actu pene continuo et tam certe credunt, ut nunquam minimum circa fidem dubium irrepat.

387. Loquens D. Thomas in Opusc. XXIII de Fide (intelligitur de heroica): Fides est per quam anima vivificatur per gratiam, secundum illud Apostoli, Galat. II: Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. Et Habacuc, II: Justus ex fide vivit. Ipsa est per quam anima a peccatis purgatur; Actor. XVII: Fide purificans corda eorum. Ipsa est per quam anima justitia ornatur; Rom. III: Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi. Ipsa est per quam anima Deo desponsatur; Osee II: Desponsabo te mihi in fide. Ipsa est per quam homines in Dei filios adoptantur; Joan. I: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Ipsa est per quam acceditur ad Deum; ad Hebr. XI: Accedentem ad Deum oportet credere. Ipsa denique est per quam homines æternæ vitæ bravium consequuntur, secundum illud Joan. VI: Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.

388. D. Thomas in III, dist. 23, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, ad 5: Ad fidem pertinent quatuor: Amor, motus in Deum, et adhæsio et incorporatio; quæ omnia pertinent ad illam secundum ordinem ad voluntatem. Voluntas autem est finis, et ideo ista quatuor distinguuntur secundum ea quæ exiguntur ad consecutionem finis. Præexigitur enim primo affectio ad fidem, et ad hoc pertinet credendo amare; ex amore autem et desiderio finis aliquis in finem incipit moveri, et ad hoc pertinet credendo in eum ire. Motus autem ad finem perducit ad hoc ut aliquis fini jungatur, et ad hoc pertinet credendo ei adhærere. Ex conjunctione autem ad finem aliquis in participationem perfectionum finis perducitur, et ad hoc pertinet credendo membris ejus incorporari. Admirabilis fuit fides beatæ Rosæ de sancta Maria, Limensis, ex tertio Ordine beati P. Dominici. Obstupuit Pater Magister de Lorenzana, vir doctissimus in responsis mysteriorum fidei, cum ipsa esset simplex et illitterata. Cum interrogaretur de arcano Ss. Trinitatis mysterio, de hypostatica Verbi unione, de Sacramento altaris, de gloria

Beatorum, de libro vitæ ac prædestinationis, de natura gratiæ, promebat axiomata tam profunda ac solida, conceptus tam acutos ac sublimes, sententias tam perspicuas, breves, fœcundas ac ponderosas, verba tam propria, apposita, clara, succincta, ut ipse magister non dubitarit fateri ingenue nunquam se in tam luminosum et perspicax ingenium incidisse, laudabatque Patrem luminum, qui tanta sapientibus ac prudentibus abscondita, humilibus, parvulis, indoctis revelabat.

389. Marci XI dicitur: Quicumque dixerit monti huic: tollere et mittere in mare; et non hæsitaveritis in corde vestro, sed credideritis quia quodcumque dixeritis fiat, fiet vobis; qui enim hæsitat aliquid petens a Deo, ait B. Jacobus, cap. I, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non æstimet ergo homo ille quod accipiet aliquid a Domino. Fides viva, dicebat D. Thomas, causat continuam Dei præsentiam, et affirmabat Sanctus se capere non posse quomodo anima religiosa poterat vel (*per*) unicum instans sive momentum Dei oblivisci.

De spe.

390. Spes est virtus theologica et supernaturalis, qua speramus beatitudinem divino auxilio obtinendam. — Spes theologica est subjective in voluntate. — Spes potest esse informis, idest sine charitate. Quando est informis, non est virtus. Spes virtus habet Deum pro principali objecto. Et habet duplex objectum, scilicet bonum expectatum, scilicet beatitudinem, et auxilium Dei. Objectum ejus habet quatuor conditiones, scilicet bonum, arduum, futurum et possibile. Objectum spei non est possibile, ut est differentia veri, sed est possibile secundum aliquam potentiam. Spes est tantum eorum quæ non habentur a sperante. Spes est de beatitudine, ut de ultimo fine; sed est de gratia, ut de ducente ad finem. — Hæc omnia sunt D. Thomæ.

391. Spes, quoad rem speratam, est ex gratia et meritis: sed quoad habitum est tantum ex gratia. Præsupponit merita in proposito, non autem in actu. Spes semper procedit ex gratia, vel habita, vel expectata, non autem semper ex habita; præsupponit etiam amorem et desiderium rei expectatæ. Adjuvat per se operationem dupliciter, scilicet ratione objecti, et ratione

affectus, scilicet delectationis. Et supra expectationem addit certitudinem. Habens spem, sperat Deum consequi, et per ipsum omnia necessaria, quantumcumque difficilia, recipere. Spes est prior charitate via generationis, sed ordine perfectionis est e converso. Spes et charitas sunt propinquiores fini, quoad consecutionem ejus, quam fides; sed e converso quoad ostentationem finis. — Hæc omnia sunt D. Thomæ.

392. Spes ista theologica in viris perfectis in heroico gradu resplendet. — Ex D. Thoma tria maxime movent ad sperandum in Deo, scilicet providentia, misericordia et potestas. D. Thomas, Psal. xx: Quoniam rex sperat in Domino: Tria sunt quæ debent movere ad sperandum. Primum divina providentia. Homo non consuevit sperare in illis ad quos sua cura non pertinet; ad Deum autem pertinet cura nostra. Ideo dicit: " sperat in Domino, „ cujus est gubernare. Secundum est misericordia; Luc. I: Misericordia ejus a progenie in progenies. Tertium est potestas, et ideo dicit: " Altissimi; „ Psal. xc: Qui habitat in adjutorio Altissimi.

393. Spes heroica in viris perfectis resplendet, ut patet in patriarcha Abraham, qui, ut dicitur ad Rom. IV, contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium. Eadem fides heroica enituit in sancto Job, qui quamvis omnis creatura in ipsum conjurasse videretur, ipsumque Creatorem tamquam adversarium experiretur, firmam tamen in eum spem semper habuit. Et Apostolus loquens de se et de aliis, dicit: Regeneravit nos in spem vivam. Sanctus pater Dominicus, cum non haberet nisi unum panem pro sustentatione fratrum, dedit illum pauperi petenti, sperans in Domino, et angeli venerunt et ministraverunt panes Religiosis.

De charitate.

394. Charitas est mutua dilectio inter Deum et homines, fundata non in communicatione qua homines, sed qua filii habentes eumdem spiritum cum Deo. — Charitas est virtus theologica, mater et forma omnium virtutum et generalis perfectio illarum. — De ratione charitatis est tam facere Deum nobis charum, quam facere nos charos Deo. — Et ista virtus non po-

test esse informis. — Actus charitatis dicitur dupliciter, scilicet qui est a charitate, et qui est ad charitatem præparativus. Secundus in non habentibus charitatem, non autem primus. — Objectum principale ejus formale est bonitas summa Dei, objectum secundarium est bonum proximi. Quilibet habens charitatem, habet omnes alias virtutes. In habente charitatem non potest esse aliquis actus virtutis non informatus charitate. — Hæc D. Thomas.

395. Charitas est major omnibus aliis virtutibus, quia propinquius se habet ad objectum suum, scilicet ad Deum. Sola charitas imperat omni virtuti. Nulla virtus habet tantam inclinationem ad objectum suum, nec ita delectabiliter operatur sicut charitas. — Charitas augetur essentialiter. Motus quo augetur charitas est alteratio; non augetur per additionem, sed per intentionem, secundum accessum ad terminum. Potest augeri in infinitum. Charitas parva in principio intentionis, fit magna in fine, quia semper Deus administrat auxilium pugnanti. Actus nostri sunt causa charitatis et augmenti ejus dispositive tantum, sed efficiens est tantum Deus. Quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, reddendo hominem promptiorem ad iterum agendum et habilitate crescente, donec conetur ad perfectum, et tunc actus augetur. Charitas unico actu augetur, si fiat cum toto conatu, et totus conatus requiritur ut ultima dispositio infusionis et augmenti charitatis. — Veniale peccatum non contrariatur habitui charitatis, sed fervori actus ejus, quem minuit. Peccatum veniale diminuit charitatem quoad radicationem in subjecto, non autem per se, idest causando imperfectius esse in subjecto, sed disponendo ad contrarium. Peccatum veniale potest esse causa quod charitas sit parva, impediendo infusionem vel augmentum ejus dispositive.

396. Mirabiles in anima charitas heroica habet effectus. D. Thomas, Opusc. IV, p. 3, dicit: Duo maxime augent charitatem, scilicet separatio a terrenis, et patientia in adversis. Primum, separatio a terrenis. Cor enim perfecte in diversa ferri non potest. Unde nullus valet Deum et mundum diligere. Unde quanto magis ab amore terrenorum noster animus elongatur, tanto magis firmatur in dilectione divina. Unde Augustinus dicit in lib. LXXXIII Quæstionum: Charitatis venenum

est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas, quia radix omnium malorum est cupiditas. Quisquis igitur charitatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia. Hujus imminuendæ initium est Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Et propter hoc ordinatæ fuerunt Religiones, in quibus et per quas a mundanis et corruptibilibus animus trahitur, et erigitur ad divina, quod signatur II. Machab. I, ubi dicitur: Refulsit sol qui prius erat in nubilo; sol, idest intellectus humanus, est in nubilo quando deditus est terrenis: sed refulget quando a terrenorum amore elongatur et retrahitur. Tunc enim splendet; et tunc divinus amor in eo crescit.

397. Secundum est firma patientia in adversis. Manifestum est enim quod quando gravia pro eo quem diligimus, sustinemus, amor ipse non destruitur, immo crescit. Cantic. VIII: Aquæ multæ, idest tribulationes multæ, non potuerunt extinguere charitatem. Et ideo sancti viri, qui adversitates pro Deo sustinent, magis in ejus dilectione firmantur; sicut artifex illud artificium magis diligit in quo plus laboravit. Et inde est quod fideles quanto plures afflictiones pro Deo sustinent, tanto magis elevantur in amorem ipsius. Genes. VII: Multiplicatæ sunt aquæ, idest tribulationes, et elevaverunt arcam in sublime, idest animam viri justi.

398. Charitatis heroicæ sunt illi decem gradus quos posuit D. Bernardus, et commentantur a D. Thoma, qui a nobis jam adducti sunt. Charitatis heroicæ est illud dictum D. Augustini: Si ego Deus essem, et tu Augustinus, vellem fieri Augustinus, ut Augustinus fieret Deus.

De castitate, humilitate et misericordia heroica.

399. Castitas est virtus per quam concupiscentiam castigamus rationis moderatione. Castitas, sive continentia, pertinet ad perfectionem vitæ spiritualis. — Castitas ut delectans est fructus, sed ut est secundum rationem, est virtus hominem ad perfectionem intellectualis operationis maxime disponens. —

Castitati antonomastice attribuitur decor, et virginitati attribuitur excellentissima pulchritudo. D. Thomas, Op. XVIII, c. 9, dicit: Habet autem, et hoc continentiæ bonum, aliquando idoneitatem ad perfectionem adipiscendam. Impeditur enim animus hominis ne libere possit Deo vacare, non solum ex amore exteriorum rerum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu. Inter omnes autem interiores passiones, maxime rationem absorbet concupiscentia carnis et venereorum usus. Unde Augustinus dicit in primo libro Soliloquiorum: Nihil esse sentio quod magis ab arce virtutis dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminæ, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest; et ideo continentiæ via est maxime necessaria ad perfectionem consequendam. — Hæc D. Thomas.

400. Prosequitur Doctor sanctus, dicens: Hanc viam Apostolus consulit I. Cor. VII, dicens: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis. Hujus autem viæ utilitas ostenditur Matth. XIX, ubi cum discipuli Christo dicerent: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere, Dominus respondit: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. In quo arduitatem hujus viæ ostendit, et quia ab ejus consecutione deficit hominum virtus communis, et quia nonnisi dono Dei ad eam pervenitur; unde dicitur Sap. VIII: Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat summa sapientia, scire cujus esset hoc donum. Cui consonat quod Apostolus dicit I. Cor. VII: Volo omnes homines esse sicut me ipsum, scilicet qui continentiam servo. Sed unusquisque proprium habet donum a Deo, alius quidem sic, alius vero sic, ubi aperte continentiæ bonum dono Dei ascribitur.

401. D. Thomas habuit eximium gradum castitatis heroicæ, qui miro Dei favore in præmium certaminis illius gloriosi, quo juvenis adhuc mulierem impudicam titione fugavit, omni penitus sensu libidinis caruit, quamvis assidue scribens et legens de hac materia disserere teneretur. Iste sanctus, quamvis divino privilegio sic esset castus, sic tamen cautus erat, quod mulierum consortia diligentissime vitaret. Et de hoc interrogatus cur sic mulieres fugeret, cum filius esset mulieris, respondebat: Propter hanc eamdem rationem fugio, quia filius sum mulieris.

De humilitate.

402. Humilitas, ex divo Thoma, est virtus qua refrenatur animus ne immoderate tendat in alta. Humilitas præcipue videtur importare subjectionem hominis ad Deum. Ad humilitatem pertinet considerare proprios defectus, ne se extollat. — Virtus humilitatis est principaliter circa exteriorem motum. — Tendere ad magna supra se ex confidentia propriarum virium contrariatur humilitati, non autem si ex confidentia Dei. Vere humilis reputat se deteriorem aliis, non quidem quoad actum exteriorem, sed timens ne per superbiam gravius peccet in his quæ bene agere videtur. — Humilitas est propinquissima virtutibus theologicis; quia homo per eam se ex reverentia Dei subjicit alii propter Deum. Humilitas, post virtutes theologicas et intellectuales, et post justitiam præcipue legalem, est potior cæteris. — Humilitas est essentialiter in appetitu, scilicet subjective; sed cognitio proprii defectus est regula ejus. Est subjective in irascibili. — Hæc omnia D. Thomas.

403. Multi sunt gradus humilitatis heroicæ. Primus quando vir perfectus cognoscit Dei gratias in se concessas, et propriam infirmitatem; soli Deo tribuit gratiam et sibi confusionem. Secundus quando favores Dei tegit. Tertius quando patienter absque motu externo et interno contumelias et injurias tolerat. Quartus (*quando*) lætanter ipsas contumelias et injurias patitur. B. Pater noster Dominicus habuit humilitatem heroicam, qui quamvis nullius peccati mortalis conscius fuit, quando ingrediebatur aliquam civitatem, dicebat: Ne destruas, Deus, istam civitatem propter ingressum tam magni peccatoris. Et B. Thomas, qui quamvis esset eximiæ doctrinæ, et doctrina inflat, de eo canit Ecclesia: Pestiferæ superbiæ nunquam persensit stimulum.

De misericordia.

404. Misericordia est compassio alienæ miseriæ in corde, qua si possumus subvenire, compellimur. Misericordia est motus appetitus regulatus ratione; est actus virtutis moralis specialis,

non autem ut passio tantum. — Misericordia, secundum se, est maxima virtutum, non autem ad habentem, nisi ille sit maximus. Inter omnes virtutes quæ ad proximum sunt, misericordia est potissima, sicut etiam est potioris actus. — Datio beneficii ex misericordia procedit ex affectione ad eum cui homo dat : ideo misericordia pertinet ad charitatem. — Misericordia potest præcedere et sequi justificationem, et potest secum concurrere, quia operatur contra peccatum per modum satisfactionis, et per modum præparationis. Motiva ad misericordiam sunt tria maxima, scilicet mala contra naturam, contra spem et contra merita alicujus. — Hæc omnia sunt D. Thomæ.

405. Proprium opus Dei est tantum unum, scilicet benefacere et misereri. Deus dicitur omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestare. Deus semper miseretur puniendo citra condignum et præmiando ultra dignum. Misericordiæ Dei magnum signum est quando punit temporaliter. — Misericordia Dei attenditur secundum tria, scilicet secundum prædestinationem, justificationem et glorificationem. — Misericordia Dei magna est septupliciter, scil. quia est incomprehensibilis, implens omnia, est in omnibus, est sublimis, æterna, virtuosa et universalis. — Deus facit misericordiam et bonitatem in triplici genere hominum, scilicet in genere peccantium, corrigendo; pœnitentium, dirigendo; et justorum, docendo. — Hæc omnia sunt D. Thomæ.

406. Præcipit Dominus discipulis suis ut heroicam exerceant misericordiam, et, quantum fieri potest, in ea perfecte Patrem suum cœlestem imitentur; indicat in quibus debeant eam exercere. Luc. VI: Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est; nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini, et dimittemini; date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

De obedientia, fortitudine et religione heroica.

407. Obedientia est quædam specialis virtus, qua redditur prompta hominis voluntas ad implendum voluntatem alterius. Obedientia est in voluntate subjective. — Proprium objectum

est præceptum tacitum, vel expressum, idest voluntas superioris, quocumque modo innotescat. — Omnis obedientia est eadem in specie, sed causatur ex diversis speciebus reverentiæ. — Abdicatio propriæ voluntatis per obedientiam est via ad perfectionem. Obedientia est mater omnium virtutum, quia causantur et conservantur per actum ejus, charitas vero ut finis. Obedientia præfertur omnibus sacrificiis. — Hæc D. Thomas.

408. D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 10, loquens de obedientia, dicit: Ad perfectionem vero pertinet ut homo propter intensionem amoris Dei, etiam ea abjiciat quibus licite uti posset, ut per hoc liberius Deo vacet. Secundum hunc modum consequens est ut et odium et abnegatio sui ipsius ad perfectionem pertineant; unde ex ipso modo loquendi apparet hæc a Domino proposita esse, quasi ad perfectionem pertineant. Matth. XIX: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. Quod Chrysostomus exponit dicens: Qui negat alium, (*qui*) vel fratrem, vel famulum, vel quemcumque, etsi flagellatum viderit et quæcumque patientem, non assistit, non adjuvat; ita vult corpori nostro nos ignoscere, ut si flagellaverint vel quodcumque aliud fecerint, corpori non parcamus. Et ne æstimes quod usque ad verba tantum et contumelias oportet abnegare seipsum, sed etiam usque ad mortem turpissimam. — Hæc D. Thomas.

409. Nihil enim est homini amabilius libertate propriæ voluntatis. Per hanc enim homo est etiam aliorum dominus. Nihil est etiam quod homo naturali affectu magis refugiat quam servitutem. Unde, ut dicitur Tobiæ IX, Tobias junior dixit ad angelum: Si memetipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. — Hujus autem voluntatis libertatem aliqui sibi propter Deum particulariter adimunt, dum quodcumque particulare votum emittunt de quocumque faciendo vel non faciendo. Aliqui libertati propriæ voluntatis totaliter abrenunciant, se propter Deum aliis subjicientes per obedientiæ votum, cujus exemplum habemus in Christo. Ad Rom. V: Sicut per inobedientiam unius hominis, etc.; Philipp. II: Humiliavit semetipsum; Matth. XXVI: Pater mi, etc.; Joan. VI: Descendi de cœlo, etc. — Omnia sunt D. Thomæ, Opusc. citato.

410. De obedientia heroica loquendo debemus ponere exemplum Christi Domini, qui maluit animam ponere, et durissi-

mam crucis mortem subire, quam obedientiam non implere; unde dicitur ad Philipp. II: Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. Et illi vere Christum imitantur, qui, mortificatis voluntatibus suis, parati sunt usque ad mortem nihil velle, nihil nolle, nisi juxta consilium aut præceptum superioris.

De fortitudine.

411. Fortitudo est virtus hominem intra rationis limites continens, propellendo ea quæ usum rationis vel quæ secundum rationem sunt quodammodo impedire possunt. — Fortitudo est circa timores et audacias immediate, mediate vero circa objecta horum. — Fortitudo est in appetitu sensitivo et in irascibili. Præcipue fortitudo est circa timores mortis. — Ad virtutem fortitudinis aliqua pertinent dupliciter, scilicet ut principale objectum, vel actus, et sicut instrumenta et auxilia. — Partes potentiales fortitudinis sunt sex, scilicet magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, tolerantia et firmitas. Hæc D. Thomas. Idem Sanctus, 2 2, q. 123, art. 5, ad 1, dicit quod martyres sustinent personales impugnationes propter summum bonum quod est Deus: ideo eorum fortitudo præcipue commendatur. Nec est extra genus fortitudinis, quæ est circa bellica, unde fortes facti sunt in bello.

412. D. Thomas, 2 2, q. 123, a. 7, dicit quod fortis intendit exprimere similitudinem sui habitus in actum ut proximum finem, quod probat sic: Finis est duplex, scilicet proximus et ultimus. Finis autem proximus cujuscumque agentis est ut similitudinem suæ formæ in alterum inducat; sicut finis ignis calefacientis est ut inducat similitudinem sui caloris in patiente; et finis ædificatoris ut inducat similitudinem suæ artis in materiam. Quodcumque autem bonum ex hoc sequitur, si sit intentum, potest dici finis remotus agentis. Sicut autem in factibilibus materia exterior disponitur per artem, ita etiam in agibilibus per prudentiam disponitur actus humanus. Sic ergo dicendum est quod fortis sic proximum finem intendit,

ut similitudinem sui habitus exprimat in actu : intendit enim agere secundum convenientiam sui habitus; finis autem remotus est beatitudo, vel Deus. D. Thomas, 2 2, q. 123, a. 8 : Fortis delectatur de suo actu et fine, sed non percipit nisi ex superabundanti gratia Dei, propter dolorem corporis et animæ pro amissione vitæ.

413. Fortitudo heroica apparuit in Gedeone, qui cum exiguo militum numero, innumeros incircumcisos destruxit. Ipsa claruit in Davide, qui in nomine Domini hostem nominis Dei Goliath interemit. Ipsa quoque sola triumphavit in Samsone, qui Philisthæos cum maxilla asini profligavit. Isti enim viri non propria confidebant potentia, sed in virtute divina agebant. Omnes electi illa indigent fortitudine, quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Tu ergo, fili, accipe fortitudinem heroicam, et habebis armaturam Dei, galeam salutis, gladium verbi cœlestis, thoracem justitiæ, ocreas munditiæ, balteum fidei, clypeum spei et telum charitatis.

De religione.

414. Religio, secundum etymologiam nominis, ex D. Augustino, in libro De vera religione, a religando sumpta est. Illud autem proprie ligari dicitur, quod ita uni astringitur, quod ei ad alia divertendi libertas tollatur. Sed religatio iteratam ligationem importat. Et quia omnis creatura prius in Deo existit quam in se ipsa, et a Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem, ideo rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primo conjuncta fuerat. Prima ligatio est per fidem et per legem; sed ad religionem pertinet religatio per votum paupertatis, castitatis et obedientiæ. Per votum castitatis abrenunciatur conjugio, per votum paupertatis abrenunciatur divitiis, per votum obedientiæ abrenunciatur propriæ voluntati. — Omnia ista sunt D. Thomæ, Opusc. XIX, cap. 1.

415. Prosequitur idem eodem loco: Per hæc tria vota homo Deo sacrificium offert de omnibus bonis. Per votum quidem castitatis in sacrificium Deo offerens corpus proprium, de quo Rom. XII dicit Apostolus: Exhibeatis corpora vestra hostiam

viventem. Per votum autem paupertatis oblationem Deo faciens de exterioribus bonis. De quo ad Rom. xv: Obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerosolymis sanctis. Per votum autem obedientiæ Deo spiritum offerens. De quo Psal. L: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Non solum sacrificium per hæc tria Deo offertur, sed holocaustum quod erat in lege acceptissimum. Unde Gregorius in homil. 8: Cum quis suum aliquid Deo vovet, sacrificium esse; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit omnipotenti Deo voverit, holocaustum est quod facit Religiosus.

416. Virtus religionis, qua Deus colitur, est unica, licet in Deo multæ sint intrinsece perfectiones. Religioni plures actus assignantur: aliqui interni, externi alii. Interni sunt devotio et oratio: externi sunt adoratio, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet; oblatio, qua Deo res exteriores offeruntur in sacrificiis, decimis; ac tandem assumptio eorum quæ Dei sunt, ut in voto, juramento, admiratione et laudibus. Devotio promptam importat voluntatem ad ea quæ ad divinum cultum sive famulatum respiciunt, exequenda. Oratio reverentiam exhibet Deo, quatenus per eam homo se subjicit Deo, et profitetur orando se eo sicut auctore suorum bonorum indigere. Adoratio ordinatur ad reverentiam ejusdem Dei qui adoratur. Et similiter oblatio sacrificii et decimarum, cum per illam Deus agnoscatur supremus vitæ et mortis dominus.

De paupertate, de patientia et de mansuetudine heroica.

417. Paupertas est ob amorem Dei et desiderium perfectionis omnium rerum temporalium abdicatio, opere et voluntate. D. Thomas, Opusc. XIX, cap. 6, docet paupertatem actualem ad evangelicam perfectionem pertinere. Matth. XVI dicitur: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, etc. Sed ille qui sua vendit et pauperibus distribuit, non solum habitualem paupertatem eligit, sed etiam actualem: ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet. — Item perfectio evangelica consistit in imitatione Christi; sed Christus non solum voluntate, sed etiam realiter fuit pauper; unde, Matth. XVII, super illud: Vade et vende, Glossa: Dominus tantæ paupertatis fuit,

ut unde tributum solveret non habuit. Et Lucæ IX, super illud: Vulpes foveas habent, etc., dicit Glossa: Ego sum tantæ paupertatis, ut ne hospitium quidem habeam, nec meo utor tecto: ergo actualis paupertas ad perfectionem pertinet.

418. Perfectio evangelica in Apostolis multum claruit; sed ipsi actualem paupertatem habuerunt, sua omnia relinquentes. Unde Petrus dicit, Matth. XIX: Ecce nos reliquimus omnia; et ideo Hieronymus dixit ad Habidiam: Vis esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et sequere Salvatorem, ut nudam solamque crucem nuda sequaris: sola ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet. Item Matth. x, super illud: Quam difficile qui pecunias habent, etc., Glossa: Aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent et non amant, et multi non habent et amant. Item alii et habent et amant, alii vero non habere nec amare se gaudent: qui tutiores sunt, et quidem cum Apostolo dicere possunt: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Ergo actualis paupertas et habitualis simul præferenda est habituali paupertati. — Omnia ista sunt D. Thomæ, Opusc. citato.

419. Illi qui habent paupertatem heroicam oportet illos sentire animi libertatem: si opes habent acquirere sine rapacitate, possidere sine tenacitate, amittere sine anxietate et distribuere cum charitate; si in aliquo istorum deficiunt, seipsos decipiunt, et ut boni discipuli magistrum Christum non imitantur. Paupertas heroica necessariis est contenta, juxta consilium Apostoli dicentis: Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.

De patientia.

420. Patientia est virtus quæ bonum rationis conservat contra tristitiam, ne ratio ipsa succumbat. Patientia importat tolerantiam tribulationum cum quadam æquanimitate. — Patientia est radix et custos virtutum, solum removendo prohibens est in concupiscibili subjective. — Virtutes morales non remanent in patria secundum eumdem actum quem habent in via, scilicet per comparationem ad bonum præsentis vitæ. Et sic actus patientiæ in patria non erit in sustinendo aliqua, sed in frui-

tione bonorum, in quæ pervenire volebamus patiendo. Et ex D. Augustino, in libro de patientia: Patientes proprie dicuntur qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferendo committere. — Patientia in ratione virtutis non potest haberi sine gratia, secundum illud I. Cor. XIII: Charitas patiens est, et manifestum est quod charitatem nemo habere potest sine gratia, secundum illud ad Rom. V: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. — Patientia est pars fortitudinis, quasi potentialis, quia adjungitur fortitudini, sicut virtus secundaria principali. — Omnia ista sunt D. Thomæ.

421. Patientia heroica vincit omnia, sive alta, sive profunda, sive larga, sive longa, sive mala, sive privativa, sive affectiva, sive corporis infirmitates, sive animi ægritudines, sive mundi infelicitates, sive hominum crudelitates, sive dæmonis tentationes, sive Dei probationes. Patientia heroica de omni malo sibi inflicto non solum gaudet, sed et triumphat, quia transit cito calix tribulationis in horto, et dies resurrectionis in æternum durat in cœlo; non sunt autem condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in viro patiente et justo.

De mansuetudine.

422. Mansuetudo est virtus moderativa interioris passionis, nimirum iræ. — Mansuetudo habet pro objecto cæteras molestias præter mortem excitantes iram. — Mansuetudo præparat hominem ad cognitionem Dei, removendo duplex impedimentum, scil. iram et contradictionem veritati. — Mansuetudo maxime facit hominem compotem sui. Psal. XXXVI: Mansuetudo est in irascibili subjective. — Homo est naturaliter mansuetus, quia est complexionis temperatissimæ, ideo mitigat iram. Sed irasci convenit ei naturaliter, inquantum ratio nunciat causam iræ. Mansuetus est qui, depositis peccatis, subditur Deo, Ps. XXVIII. Ps. XXXIII mansueti dicuntur justi, quia possident cor suum in puritate et terram cœlestem ac terrestrem. Ps. XXXVI: Mansueti lætantur in omnibus quæ Dei sunt, quia non resistunt testamento patris nec ordinationi Dei, Psal. XXXIII. — Omnia ista sunt D. Thomæ.

423. Quidam sunt mites ex natura, quia eorum dispositio corporis in amaritudine fellis non abundat; et hi non sunt mansueti secundum Christi Evangelium, sed secundum cordis temperamentum. — Quidam sunt mites ex impotentia, quia contra vim imperantis non est eis sufficiens resistentia, et hi non habent mansuetudinis virtutem, quia mites tantum sunt per necessitatem. — Quidam sunt mites ex astutia, ut facilius impetrent postulata, et hi non habent mansuetudinem viri fidelis, sed adulationem canis supplicis. — Alii autem sunt mites ex Christi gratia, eo quod Spiritus sanctus in eis quiescit, et hi possident mansuetudinis virtutem: quia cum Christo veram habent similitudinem, qui arundinem quassatam non confregit, lignum fumigans non extinxit, et coram tondente se sicut agnus obmutuit. Moyses habuit mansuetudinem heroicam, et fuit mitissimus hominum, ideo Pharaonis obstinationem patienter portavit, et filiorum Israel exacerbationem in deserto superavit. David habuit mansuetudinem heroicam, nam fuit mitissimus regum, idcirco multa monstra domavit et Absalonis contumacias et Semei injurias æquo animo toleravit.

Hic ponuntur aliquæ additiones
quæ pertinent ad articulos disputationum præcedentium.

424. In articulo undecimo disputationis primæ, quæstionis tertiæ addendum est: D. Thomas, explicando versiculum illum Psal. XXVI: Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam, dicit: Circuitus iste refertur ad contemplationem.— Circulus duo propria habet inter alias figuras. Unum quia est capacior aliis; aliud est quod est totus uniformis, sine angulo, et convenit contemplationi, primo quantum ad capacitatem, quia tunc dicitur circuire contemplando, quando omnia quæ consideranda sunt, contemplatur: unde dicit " circuivi, „ idest consideravi omnia dona tua et Ecclesiæ beneficia. Beatus Dionysius ponit triplicem motum, scil. circularem, rectum et obliquum. — Recto motu semper movetur aliquid difformiter, quia semper habet diversam distantiam, et ideo in contemplando motus est rectus quando de uno ad aliud quis movetur considerando processum rerum. — Circulari motu movetur aliquis contemplando, quando

conceptio animæ est uniformis, et tunc dicitur circularis, quando scilicet revocat animam a rebus. Et primo, congregat in se, postea unitur spiritualibus, et postea ascendit in contemplationem unius Dei. — Obliquus motus est compositus ex utroque, quando quis procedit ex consideratione creaturarum, sed hanc ordinat in consideratione Dei. Et ideo dicit: " circuivi " quantum ad uniformitatem. Ezech. I: Hic erat aspectus splendoris, propter gyrum. Hæc ille.

425. In articulo octavo disputationis quintæ, quæstionis tertiæ addendum est: D. Thomas, explicans illud Isaiæ XLIX: Audite, insulæ, dicit sic: Verba Dei sunt audienda, quia sunt utilia. Primo ad intellectus illustrationem; Prov. VI: Mandatum lucerna est et lex lux. Secundo ad affectus dulcedinem; Ps. CXVIII: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Tertio ad amoris accensionem; Jerem. XX: Factum est verbum Domini in corde meo sicut ignis. Psal. IX: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Quarto ad operis rectitudinem; Psal. XXXIV: Dirige me in virtute tua. Quinto, ad gloriæ adeptionem. Prov. III: Custodi legem atque consilium. Sexto ad aliorum instructionem; I. ad Timoth. III: Omnis doctrina divinitus inspirata utilis est ad docendum.

426. In articulo nono disputationis quintæ, quæstionis tertiæ addendum est: D. Thomas, explicans illud Cantic. V: Vox dilecti mei pulsantis, dicit: Pulsat dilectus cum Christus fideles suos ad profectum virtutum hortatur, sicut pulsat cum eos admonet, ut proximos prædicando lucrentur. Est tertia pulsatio, qua pulsat Dominus electos suos, cum per ægritudinis molœstias esse mortem vicinam designat. De qua pulsatione in Evangelio dicitur: Ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

427. In articulo nono disputationis sextæ, quæstionis tertiæ, addendum est: D. Thomas, explicans illud D. Pauli ad Hebr. V: Tentatum autem per omnia, dicit: Est autem tentatio triplex. Una quæ est a carne, quando scilicet caro concupiscit adversus spiritum, ut dicitur Galat. V. Et ista non est sine peccato, quia, ut dicit Augustinus, nonnullum peccatum est cum caro concupiscit adversus spiritum, quia hoc est carnem concupiscere: sed hoc non fuit in Christo, et ideo dicit: Absque peccato, idest absque minimo motu peccati. I. Pet. II: Qui pec-

catum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et ideo dicitur Agnus Dei; Joan. I. — Alia est tentatio ab hoste et a mundo, et hoc dupliciter, vel alliciendo per prospera, vel terrendo per adversa. Et his duobus modis fuit tentatus Christus. Fuit enim allectus prosperis. Quidquid enim pertinet ad prosperitatem hujus vitæ, vel pertinet ad concupiscentias carnis, vel ad concupiscentiam oculorum, vel ad superbiam vitæ. De primo tentavit eum diabolus quando tentavit eum de gula, quæ est mater luxuriæ. Matth. IV: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Item de inani gloria, cum dicit: Mitte te deorsum. Item de concupiscentia oculorum: Hæc omnia tibi dabo. Item fuit tentatus per adversa, et insidiis pharisaicis, quia volebant eum capere in sermone.

428. D. Thomas, explicans illud Matth. IV: Ductus est Jesus in desertum a spiritu ut tentaretur a diabolo, notat quinque rationes quare quis post acceptam spiritualem gratiam, tentatur. Primo ut accipiat experimentum suæ justitiæ; Eccli. XXX: Qui non est tentatus quid scit? Secundo ad reprimendam superbiam; II. Corinth. XII: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Tertio ad confundendum diabolum, ut sciat quanta sit virtus Christi, ut eum superare non posset. Exemplum habemus Job I: Numquid considerasti servum meum Job, etc. Quarto, ut fortior reddatur, sicut milites fortes redduntur per experimentum. Judic. III: Quare voluit dimittere hostes cum filiis Israel? Quinto, ut suam dignitatem cognoscat, qua quando diabolus aggreditur aliquem, hoc cedit in honorem.

429. In articulo quinto disputationis quintæ, quæstionis quartæ addendum est: D. Thomas, explicans illud Joan. II: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, dicit esse intelligendum de nuptiis spiritualibus. Christus est verus animæ sponsus, quia qui habet sponsam sponsus est; et Christus habet animam sponsam, ergo illius sponsus est. Idem Sanctus explicans illud Matth. XXII: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Per hominem regem intelligit Christum, qui conjungitur ut sponsus ad animam nostram. Fit enim anima particeps gloriæ Dei per fidem, et sic fiunt nuptiæ nostræ; Osee II: Sponsabo te in fide.

430. D. Thomas, sermone dominicæ primæ post Epiphaniam, ex Evangelio, dicit: Quatuor nuptiæ leguntur in Scriptura. Primæ historicæ; Esther II: Fecit convivium præparari pro conjunctione Esther et nuptiis. Secundæ allegoricæ; Matth. cap. XXII: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Tertiæ tropologicæ; Osee II: Sponsabo te mihi in fide. Quartæ anagogicæ; Matth. XXV: Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias. Per tertias nuptias moraliter intelligitur conjunctio Dei ad animam; in quibus nuptiis tria concurrunt: primo judicium, secundo justitia, tertio misericordia. Judicium quoad se ipsum, justitia quoad Deum, misericordia quoad proximum.

431. In articulo decimoquarto disputationis quartæ addendum est: D. Thomas, explicans illud Psal. XXIV: Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dicit sic: In vita activa est duplex modus procedendi, scilicet communis per præceptum, specialis per consilia. Quantum ad primum dicit: Vias tuas, Domine, demonstra mihi. — Viæ Domini, quibus itur ad Deum, sunt præcepta. Matth. XIX: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ezechiel. XVIII: Si in præceptis meis ambulaverit et fecerit ea, hic justus est et vita vivet. Per has vias venit Dominus ad nos, maxime per præceptum charitatis; Joan. XIV: Si diligitis me, mandata mea servate. Has vias ergo non cognosco, et ideo ostende eas mihi et quantum ad intellectum et quantum ad affectum. Quantum ad secundum dicit: Et semitas tuas edoce me. Via est publica et communis, et semita est brevis et non est communis, sed quædam abbreviatio communis viæ. — Item consilia sunt via ad Deum, sed arctiora et breviora. Jerem. VI: State super vias vestras, scilicet servate præcepta; et interrogate de semitis, idest custodite consilia. Isa. XL: Rectas facite semitas Dei.

432. In articulo decimosexto quæstionis quartæ addendum est: D. Thomas, explicans illud Isa. XXX: Quiesce, dicit quia quiescere debet homo: Primo a peccati actu; Isa. I: Quiescite agere perverse, discite benefacere. Secundo a vagandi cursu; Jer. XIV: Hæc dices populo huic, qui dilexit movere pedes suos et non quievit. Tertio ab immoderato appetitu; Is. XLVII: Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Quarto a præsumptuoso intellectu; Eccl. VIII: Cum consummaverit homo, tunc incipiet.

433. D. Thomas explicans illud Matth. XIV: Ascendit in montem solus orare, dicit: Dat nobis exemplum quomodo ad orandum requiritur quies mentis. Quies ostenditur quia dimissa turba, quæ significat cogitationes perturbantes, cum quibus non potest homo orare; ideo ostium cordis claudere docet Matth. VI: Cum autem oraveris, intra cubiculum tuum.

434. D. Thomas explicans illud Joan. IV: Cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo, dicit: Mystice autem per hoc datur nobis exemplum, quod si volumus in nobis recipere Christum Jesum, oportet nos ascendere Jerusalem in die festo, idest captare quietem mentis et videre singula quæ peragit ibi Jesus; Isa. XXXIII: Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ. Psal. CXLII: Meditatus sum in omnibus operibus tuis.

435. D. Thomas, explicans illud Joan. XI: Lazarus amicus noster dormit, intelligit illud de somno quietis contemplationis. Cant. II: Ego dormio, et cor meum vigilat. Idem Sanctus, Opusc. LX, art. 23, explicat illud Job III: Quasi effodientes thesaurum gaudent vehementer cum invenerint sepulchrum, quia antiquitus mortui cum divitiis recondebantur, ut dicit Gregorius. Sic, juxta sensum mysticum, anima sancta gaudet cum invenerit sepulchrum internæ quietis: quia nisi a tumultu vitiorum perfecte quieverit, thesaurum gratiarum et virtutum minime reperire poterit. Notandum vero quod sepulchrum mortuorum est; unde nisi anima funditus mundo huic moriatur, in sepulchro internæ quietis non poterit abscondi.

436. Domine Deus meus, omnia quæ scripsi sunt præceptoris mei D. Thomæ, pro quibus immensas tibi gratias rependo, et beatissimam Virginem ac omnes cœlestes, ut me adjuvent ad gratias agendas rogo. Quidquid utilitatis pusilli ex hoc meo labore acceperint, tibi offero, et gratum ac ratum habeo, et per fervorem et devotionem eorum qui tibi placere student, meorum peccatorum indulgentiam postulo, et ut non aliam nisi teipsum mercedem accipiam, confidenter efflagito. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

LAUS DEO.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR

Numeri paragraphum denotant.

A

Abnegare debet homo propter intentionem amoris Dei ea quibus licite uti potest, App. 345.
Abnegare amorem ad res spirituales pertinet ad perfectionem, App. 347.
Abrenuntiatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest: uno modo secundum quod est in actu, et sic in ea non consistit essentialiter perfectio: alio modo secundum præparationem, et hoc modo pertinet ad perfectionem, App. 338.
Abstinentia in suo nomine importat subtractionem ciborum, 395.
Accidia est tædium bene operandi, et tristitia de re spirituali, 120.
Actum voluntatis naturaliter semper præcedit actus intellectus, 15.
Actum amoris, etiam in ordine gratiæ, semper præcedit actus cognitionis, 15.
Actus voluntatis, etiam de potentia Dei absoluta, dari non potest absque prævia cognitione, 17.
Actus ut illustretur, debet denudari a repræsentationibus rerum sensibilium, et materialium, et tunc forsitan illustrabitur, 363.
Actus appetitus sensitivi in homine vocantur passiones, 378
Actus supernaturales habent vitalitatem a potentiis supernaturaliter elevatis, ad vivendum vita supernaturali, 673.
Adventus Christi in mentem, App. 8.
Adventus Christi in mentem ista sunt signa: Quando intrat, spergefacit animam, movet, et emollit, et vulnerat cor. Quando recedit, omnia frigida jacere incipiunt, App. 11.
Ad adventum Christi tria disponunt: Primo contemptus terrenæ voluntatis; secundo, devota meditatio divinæ voluntatis; tertio, fervens desiderium charitatis, App. 10.
Æstimativa est potentia apprehendens insensata ex sensatis, 164.
Aliqui dicuntur perfecti dupliciter: Uno modo secundum intellectum, alio modo secundum voluntatem, 3.
Aliquis in hac vita potest esse perfectus, 834.
Amor sensitivus definitur: Affectio, qua appetitus alicui objecto adhæret propter ejus bonitatem unione quadam, 377.
Amor dividitur in amorem concupiscentiæ, et amicitiæ, 378.
Amor amicitiæ est amor illius cui bonum volumus, scilicet personam, 378.
Amor concupiscentiæ est amor objecti, quod vult tamquam rem volitam, 378.
Amor amicitiæ et concupiscentiæ erga Deum, App. 369.
Amor ex duobus principiis oritur, ex objecto, ejusque conditione ad alliciendum requisita, et ex dispositione, seu contemperantia subjecti, 379
Amor potest habere effectus aliquos intra ipsam voluntatem, seu appetitum, alios ad extra, 380.
Amor ut est passio moderatur temperantia, et etiam omnibus virtutibus, quæ pertinent ad temperantiam, nimirum verecundia, honestate, abstinentia, sobrietate, castitate, patientia, continentia, humilitate, mansuetudine, clementia, et modestia, 384.
Amor est copula amantis cum amato. Quæ est triplex, conjunctionalis, verbalis, et carnalis, 883.
Amor facit languere, 1057.
Amor facit quærere incessanter, 1059.
Amor facit operari indesinenter, 1060.
Amor facit sustinere infatigabiliter, 1061.
Amor facit appetere impatienter, 1062.
Amor facit currere velociter, 1063
Amor facit audere vehementer, 1064.
Amor facit astringere indissolubiliter, 1068.
Amor facit ardere suaviter, 1071.
Amor facit similare totaliter, 1074.
Amorem concupiscentiæ principaliter quinque sequuntur, scilicet motus, dolor, amor, consolatio et delectatio, App. 371.
Amoris infirmitas utilis multipliciter, 1057.

Amoris effectus intra se sunt quatuor: Unio, inhæsio mutua, seu intima, extasis, zelus, 380.
Amoris unio triplex, una antecedens, alia consequens, alia constituens, 380.
Anathema est nomen græcum, et compositum ex *ana*, quod est sursum, et *thisis*, quod est positio, et dicitur anathema, quasi sursum positum, 315.
Angeli tam boni quam mali possunt interius quodammodo disponere, et ordinare species imaginarias, secundum quod competit ad aliquid intelligibile apprehendendum, 684.
Anima in exercitio Theologiæ Mysticæ non tantum patitur, sed etiam vere per intellectum et voluntatem operatur, et propter finem, 11.
Anima tunc annihilatur quando se ipsam despicit, et sui obliviscitur, et omnium rerum creatarum, et nullam earum memoriam, affectum et cogitationem apud se retinet, solo contenta Deo, cui se totaliter tradit, 32.
Anima annihilatur quando amat despicientias et vituperationes, ad imitationem Redemptoris, 33.
Anima tunc annihilatur quando se ipsam despicit per humilitatem ad imitationem Christi, 34.
Anima tunc annihilatur quando patitur dejectionem, 35.
Anima vocata post conceptum verbum debet facere tria, quæ fecit beata Virgo post conceptum verbum, App. 7.
Anima quæ se præsentat Deo, debet sese per mentis puritatem, per cordis humilitatem, per animi tranquillitatem, et per fœcunditatem bonorum operum illi offerre, App. 24-30.
Anima debet se offerre Deo in holocaustum, App. 30
Anima in oratione multoties pascitur bonis spiritualibus, et habet delectationem spiritualem, et habet scientiam experimentalem, App. 185.
Anima in statu intimæ unionis liquefit, 36.
Anima ut habeat perfectam unionem, est denudanda a phantasmatibus, 45.
Anima in intima unione Deo, seu verbo sponso suo fruitur, 50.
Anima contemplativa unitur Deo unione habituali et actuali, 882 887.
Anima in statu unionis habitualis introducitur in paradisum spiritualem, 898.
Anima in ipsa perfecta unione habet aliqua privilegia, 893.
Anima in ista unione vera fruitur pace, 900.
Anima in ista actuali et habituali unione habet felicitatem et inchoatam beatitudinem, 901.
Anima diversis modis collocatur in exercitio theologiæ mysticæ, 56.
Anima interdum absque suo conatu, repente ad mysticæ theologiæ intuitum, raptum, extasim elevatur, immensa Dei pietate, per prævenientem gratiam, 56.
Anima post judicium de rebus meditatis, debet disponi, ut lux divina imprimat menus judicium, 318.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum Jeremia (Thren. 1): Quomodo sedet sola Civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium? 806.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum Jerem. (Thren. 1): Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis; idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est consolator, 806.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum Jerem. (Thren. 2): Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum, 806.
Anima in purgatione passiva lamentatur cum Jerem. (Thren. 2): Conclusit vias meas lapidibus quadris, et replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio, 806.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum Jerem. (Thren. 2): Tetendit arcum suum quasi inimicus, 806.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum Jerem. (Thren. 3): In tenebrosis collocavit me, et adduxit in tenebras, et non in lucem, 806.
Anima posita in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum S. Job (cap. 6): Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, 808.
Anima cum eodem S. Job lamentatur (cap. 6): Ecce non est auxilium mihi in me, 809.
Anima posita in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum S. Job (cap. 7): Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? 808.
Anima in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum S. Job (cap. 10): Et multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me, 808.
Anima cum eodem S. Job lamentatur (cap. 10): Loquar in amaritudine animæ meæ. Et (c. 19): Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet, vociferabor, et non est qui judicet, 809.
Anima cum eodem S. Job lamentatur (cap. 12): Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? 809.
Anima cum eodem S. Job (cap. 13) lamentatur: Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, 808.
Anima cum eodem S. Job (cap. 23) lamentatur: Os meum replebo increpationibus. Et probavit me quasi aurum quod per ignem transit, 809.
Anima in purgatione partis intellectivæ, debet invocare in auxilium sanctos suos devotos, 810.
Anima nostra quanto magis a corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior, 1195.
Anima cum sit limitatæ virtutis, et capacitatis, quanto efficacius et vehementius uni functioni intendit, tanto minus aliis intendit, 1202.
Anima in alienationem abducitur tribus de causis, aut præ magnitudine devotionis, aut præ magnitudine admirationis, aut præ magnitudine exultationis, 1203.

Anima in oratione impulsus semper aspirat ad Deum, in quo super omnia, et in omnibus requiescere debet, 1231.
Anima recipit non solum dona gratiæ, sed etiam auctorem donorum, 861.
Anima unitur Deo in matrimonio spirituali, 1051.
Anima in beatitudine amabit Deum per Deum, et fruitur Deo per Deum, et unitur Deo per Deum, 903.
Animæ Deo consecratæ debent spirare ad actualem fruitionem, 927.
Animæ vocantur ad contemplationem et ad vitam unitivam, App. 7.
Animæ in ipso statu perfectæ unionis communicatur privilegium concessum Adæ, 893.
Animæ in statu perfectæ unionis specialiter moventur a Deo, 893.
Animæ contemplativæ in Deum transformatæ, in unione habituali et actuali fruitiva, in eodem tempore possunt exercere utramque vitam, contemplativam et activam, 895.
Animæ in unione habituali et actuali participant aliquid cœlestis patriæ, 896.
Animæ in unione habituali et actuali fruitiva dicuntur specialiter templum Domini et altare, 898.
Animæ in unione habituali et actuali transformantur in Deum, ita ut possidere dicantur regnum Dei, 899.
Animæ purgatorii frequentissime apparent ad petenda suffragia, 693.
Animæ existentes in cœlo et damnatorum existentes in inferno, et illæ, quæ in purgatorio pœnis expiantur, corporali specie videntur, 692.
Animæ perfectorum contemplativorum non sunt exemptæ a passionibus turbantibus intellectum in cognitione, et voluntatem in amore, 1112.
Animæ multæ sunt, quæ pertingunt ad statum quietis internæ: sed paucæ sunt, quæ superius ascendant, 1184.
Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, 105.
Apathia est nomen græcum, quod latine idem est quod impassibilitas, 1111.
Apice intelligentiæ contemplatur Deus, 523.
Apparitio divina importat aliquod divinum in signo visibili manifestatum, 687.
Apparitio visibilis est omnium infima, et illusioni Diaboli magis exposita, 694.
Apparitio Christi tria commendabilia tangit de Magis, videlicet quod Christum per stellam sapienter cognoverunt, cognitum diligenter quæsiverunt, inventum reverenter adoraverunt, 975.
Apparitiones visibiles Christi Domini semper sunt ad bonum, 688.
Apparitiones veteris testamenti corporales fuerunt factæ ministerio Angelorum, 690.
Apparitiones nec appetendas, nec postulandas esse, 695.
Apparitiones aliquando fiunt a spiritu bono, aliquando a malo, 730.
Appetitus elicitus definitur, potentia quædam passiva, quæ nata est moveri ab apprehenso, 374.
Appetitus dividitur in irascibilem et concupiscibilem, 374.
Argutio quandoque fit ad emendationem, quandoque ad condemnationem, App. 108.
Ariditas nihil aliud est quam desiccatio a pinguedine devotionis, App. 248.
Ariditate laborare, App. 247-248.
Ariditatum radices et remedia, 454.
Audacia causatur ex his, quæ provocant spem, et erigunt illam, et ex his, quæ excludunt timorem, et contrariantur audaciæ, 425.
Audacia est motus appetitus irascibilis, malum arduum imminens prosequentis, 424.
Audacia moderatur virtute fortitudinis. Et audaciam ad malum frænat justitia, 426.
Audaciæ effectus est promptitudo in aggressione prima, et deficientia in continuatione, 425.
Audienda non sunt profana verba a viro spirituali, 132.
Auditus valde periculosus est, nisi mortificatione reprimatur, 127.
Auditus est necessarius ad sapientiam, 133.
Auditus definitur vis ordinata in nervis mollibus a cerebro procedentibus, ad apprehendendum sonum causatum ex aeris concussione constricti inter percutiens et percussum, 127.
Aures audiunt spiritualem doctrinam, et perfectionem naturalium operum, quæ ex præcepto divinæ sapientiæ fiunt, 128.
Aures debent audire libenter consilia Dei, et cum fructu percipere verba Domini, 129.
Aures non debent audire suggestiones Dæmonum, 130.
Aures aperiendæ sunt, quia per auditum fidei datur Spiritus Sanctus, 131.
Avaritia est peccatum, quo quis supra debitum modum cupit acquirere, vel retinere divitias, 108.
Avaritia spiritualis est peccatum, quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere dona spiritualia, 108.

B

Beatitudo duplex, una inchoata in hac vita, alia perfecta in alia, 1240.
Blasphemia est maximum peccatorum, quia opponitur confessioni fidei, 811.
Bonum dividitur in honestum, utile, et delectabile, 605.

C

Caligo divina est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur, lux enim ejus summa est creatæ mentis caligo, 23.
Caligo quanto major est, tanto perfectius anima Deum cognoscit, 633.
De caligine divina multa dicit B. Angela de Fulginio, 635.

In caligine habet anima quamdam occupationem otiosam, scilicet amorosam anhelationem ad nudam et gloriosam dilecti sui faciem videndam, 635.
Castitas est virtus per quam concupiscentiam castigamus quadam rationis moderatione, App. 399.
Castitas spiritualis datur, et fornicatio spiritualis, 114.
De castitate vide multa, App. 399-400.
Castitatem heroicam habuit D. Thom., App. 401.
Causa formalis contemplationis supernaturalis est lux divina, 421.
Causa efficiens contemplationis supernaturalis est Spiritus Sanctus cum suis donis, 421.
Causa materialis contemplationis supernaturalis est persona intellectualis, sive angelica sive humana, 421.
Causa finalis contemplationis supernaturalis est Deus ipse, et unio fruitiva, 421.
Causæ sunt quatuor: materialis, formalis, efficiens et finalis, 435.
Cautela, seu cautio, est pars prudentiæ, 312.
Charitas congaudet de bono, et congaudet veritati, 119.
Charitas augetur per separationem a terrenis, et per patientiam in adversis, 395.
Charitas non æmulatur, non invidet, 119.
Charitas dicitur ignis, quia illuminat, exæstuat, et omnia ad se convertit, expeditum facit, et sursum trahit, 344.
Charitas supernaturalis est vera et propria amicitia inter Deum et homines, fundata non in communicatione qua homines, sed qua filii habentes eumdem spiritum cum Deo, 936.
Charitas exit in esse modo quasi supernaturali, cum datur et infunditur postulanti? econtrario desinit esse cum peccans deest influenti, sicut sol lucens in aere, causa est efficiens et conservans luminis; et ideo cessante causa, scilicet influentia solis, cessat ejus effectus, scilicet luminositas aeris; sic Deus continue influens causa est in animo charitatis; sed si sole stante, et influente lumine, aer mortuus recederet, ipse sibi tenebræ causa esset, et quod influxum erat non subtrahitur, sed corrumpitur, quando non continuatur, Append. 320.
Charitas exit in esse modo quasi voluntario, cum per deliberationem Deus homini præponitur, et in amicum eligitur. Econverso corrumpitur, et desinit esse, cum anima nomen Dei in vanum accipit, et quasi sine re in libram ponit, cui hominem, vel aliam creaturam præponit, 321.
Charitas exit in esse quasi naturaliter, cum simile a simili generatur, et anima beneficia Dei continue gratanter accipiens amantem redamare cogitur. Econverso desinit esse, et corrumpitur, cum anima ingrata beneficio paulatim torpens ad frigiditatem primam revertitur, 322
In charitate notanda sunt quatuor: essentia, habitus secundum se, radicatio, vel inhærentia in subjecto, motus vel actus, et fervor in motum, 937.
De charitate vide multa, 394-395.
Charitatis augmenti signa major perfectio subjecti vel potentiæ, major impermixtio contrarii, major extensio actus proprii, 940.
Charitatis heroicæ sunt illi decem gradus D. Bernardi, 398.
Charitatis radicatio augetur duratione, 943.
Christus est via, quia per ipsum accessum habemus ad Patrem, via non fallax, sed vera, via regia, App. 14-15.
Christus est veritas et vita, App. 19-20.
Christus dilexit nos tripliciter: gratuite, efficaciter et recte: ita debemus eum diligere, App. 54.
Christus purgavit peccata, App. 89.
Christus oravit tertio, ut nos a malis præsentibus, præteritis et futuris liberaret, App. 185.
Christus oravit tertio, ut orationem nostram doceret, ad Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum dirigendam, App. 185.
Christus oravit tertio, ut trina oratione trinam Petri negationem liberaret, App. 185.
Christus ad convivium morale animæ præparat charitatem, fidem, et solidam doctrinam; ex parte animæ requiritur ut bene utatur gratia, App. 192-194.
Christus convenientissime in Jerusalem passus est propter quatuor, quia erat locus a Deo electus ad sacrificia sibi offerenda, ut virtus passionis ad totum mundum diffunderetur, propter humilitatem, et ut ostenderet a Principibus populi Judæorum exortam esse iniquitatem, 323.
Christus ante portam passus est, propter tria: ut veritas responderet figuræ, ut nobis daret exemplum exeundi a mundana conversatione et ad ostendendum sacrificium esse commune, 324.
Christus docuit in hoc mundo pauperem vitam, 339.
Christus tentari voluit triplici de causa: ut nobis exempla ferret, propter nostram cautelam, et propter exemplum, 979.
Christus Dominus fuit exemptus a turbatione et perturbatione passionum, 1114
Christus ascendit ad montem ad ostensionem excellentiæ suæ doctrinæ, ad ostendendam altitudinem Ecclesiæ, ad ostendendam perfectionem, ut congrueret veteri legislationi, quæ data fuit in monte, 1256.
Christum sequimur per contemplationem, per observantiam mandatorum, et per imitationem, App. 21.
Christum pati mortem crucis convenientissimum fuit sextuplici causa. Propter exemplum virtutis, et quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni; ut aeris natura mundaretur; ut in alto moriens ascensum nobis pararet ad cœlum, et quia hoc competit universali satisfactioni totius mundi, et quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur, 325.

Christum pati inter latrones fuit conveniens, quantum ad intentionem Judæorum, ut eorum suspicionis fieret particeps; quantum vero ad ordinationem, inter noxios quasi noxius crucifigitur, ut in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in judicio ipsius facienda est discretio, et ut significaret omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum passionis, 333.
Cilicium est vestis asperrima, et pungitiva ex pilis caprarum, App. 161.
Circa spiritualem manducationem tria sunt consideranda, scilicet differentia personarum sic manducantium, ratio spiritualiter manducandi, effectus manducationis. Differentiæ personarum sunt incipientes, proficientes, et perfecti, 67.
Circumspectio est pars prudentiæ, 313.
Cogitationes malæ, aut vanæ, ex diversis causis oriri solent, 168.
Cogitationum triplex genus, quos oportet abnegare, 167.
Cognitio ita est causa amoris, quod cum sit cognitio, et quasi applicatio objecti, potest aliquando amor excedere cognitionem propter dispositionem subjecti, 20.
Cognitio Dei scholastica ad intellectum præcipue pertinet; cognitio mystica, non tam cognoscere, quam amare quærit, 1128.
Cognoscitur aliquid a nobis tripliciter, per essentiam, per effectum influentem intellectum, et per effectum aliquem extra intellectum videntis, 42.
Compunctio importat quamdam cordis punctionem, sive dolorem, App. 141.
Conceptio fidelis animæ fuit significata mystice in conceptione Virginis, App. 124
Concupiscentia ut est passio, nihil aliud est, quam amor inhians ad id quod sibi deest, 390.
Concupiscentiæ naturales a non naturalibus distinguuntur ex objecto, 392.
Concupiscentia si est circa venerea moderatur castitate et virginitate; si est circa cibos moderatur abstinentia et sobrietate, 393-394.
Confessio debet habere multas conditiones, App. 103.
Conscientia definitur: Applicatio scientiæ ad ea quæ agimus, App. 190.
Consilii donum est quod dirigit ea, quæ agenda sunt, non ex rationibus humanis præcise cognitis a fide, aut prophetia, sed ex affectu, et experientia divinorum interna, ex qua docetur, et inspiratur de omnibus necessariis ad salutem, 569.
Consilii donum ad omnia illa agibilia directe se extendit, quæ per alia dona appetitivæ partis operanda sunt, scilicet per fortitudinem, pietatem, et timorem, 572.
Consilii donum etiam pro hac vita datur ad tollendam dubitationem, 573.
Contemplatio vocatur oleum, et mons, et tectum, et fructus, App. 231.
Contemplatio triplex: alta, ampla, et perfecta, App. 238.
Contemplatio tunc est ampla, quando in causa potest aliquis considerare omnes effectus ipsius causæ, App. 240.
Contemplatio tunc est perfecta, quando contemplans perducitur et elevatur ad altitudinem rei contemplatæ, App. 241.
Contemplatio vocatur domus recubitus, speculum oculus, App. 232-233.
Contemplatio illuminatur a Christo, et est finis, ad quem omnis meditatio, et investigatio tendit, App. 234.
Contemplatio perfecta ab amore Dei incipit, App. 236.
Contemplatio est simplex intuitus veritatis, 491.
Contemplatio requirit aliquas dispositiones in subjecto, 494.
Contemplatio requirit tamquam primam dispositionem cognitionem ipsius saltem confusam. Secundo requirit animum fortem, continuam mortificationem, et austeritatem vitæ, 495.
Contemplatio suas habet proprietates et effectus. Proprium est contemplationis, quod maximam habeat delectationem. Proprium est contemplationis, quod sit diuturna, 498.
Contemplatio suos habet effectus. Primus est pax et tranquillitas animæ; secundus contemptus temporalium; tertius desiderium æternorum; et alii, 500.
Contemplatio dividitur in eam, quæ est catholicorum, et in eam, quæ est philosophorum gentilium, 504.
Contemplatio fidelium et gentilium conveniunt in objecto, et aliqualiter in medio, 505.
Contemplatio fidelium, et gentilium differunt in principio physice movente, 507.
Contemplatio fidelium dividitur in acquisitam, et infusam, 509.
Contemplatio acquisita et infusa differunt ex parte principii, et ex parte luminis, ex parte specierum, et ex modo tendendi, et ex parte subjecti, et in aliis, 511.
Contemplatio perfecta debet habere tres conditiones: quod sit actus altissimæ sapientiæ; quod sit in habitu nobilissimo, et in objecto dignissimo, 525
Contemplatio mediante lumine fidei habet tres conditiones: quod proponatur potentiæ objectum conveniens tali contemplationi, ut detur firmum medium, ut detur intelligentia sublimis, 526.
Contemplatio supernaturalis est præmium et finis connaturalium operationum intellectus, 523.
Contemplatio mediante lumine fidei habet omnes conditiones, quas assignavit Christus Dominus Matth. VI: Tu autem cum oraveris intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum, 527.
Contemplatio acquisita dividitur in eam quæ est per affirmationem, et in eam quæ est per negationem, 530.
Contemplatio dividitur in eam quæ est per ascensum, et in eam quæ est per descensum, 530.

Contemplatio acquisita dividitur per tres motus, circularem, rectum et obliquum, App. 249.
Contemplatio supernaturalis et infusa definitur simplex intuitus veritatis, a principio supernaturali proveniens, 587.
Contemplatio ut supernaturalis dicatur non sufficit quod per viam fidei supernaturalem procedat, quia hoc est extrinsecum, et ex parte objecti; sed debet principium esse supernaturale, 589.
Contemplatio supernaturalis est bona, ac per consequens appetibilis, 605.
Contemplatio supernaturalis dicit bonum utile, 607.
Contemplatio supernaturalis dicit bonum delectabile, 609.
Contemplatio supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi, licet aliquando aliter contingat, 626.
Contemplatio perfectior in caligine aliquando datur, 632.
Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit, 637.
Contemplatio supernaturalis aliquando ad claram Dei visionem pertingit, 644.
Contemplatio supernaturalis multiplici medio perficitur, 678.
Contemplatio cœlestis significatur per sepulchrum, 988.
Contemplatio in perfectissimis viris, extraordinariis auxiliis potest diu durare, 1104.
Contemplatio perfectorum est, illorum scilicet, vel qui jam perfecti sunt, vel qui a Deo vocantur, 1121.
Contemplatio comparatur palmæ, 1127.
Contemplatio per se accepta non est omnis virtus, at infert omnem virtutem, 1129.
Contemplatio definitur ab August perspicuæ veritatis jucunda admiratio, 1131.
Contemplatio definitur a D. Bernardo: Est mentis in Deum suspensa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans, 1131.
Contemplatio altissima, si consideretur ex parte Dei infundentis species, lumen, et alia intellectus, se habet passive, ac per consequens non est ille actus humanus et liber, 1133.
Contemplatio quando est vehementissima, fieri potest, ut legetur imaginato, ne aliquid phantasiando operetur, 1196.
Contemplatio quantumvis sit vehemens, non potest impedire vi sua et efficacia per se vires potentiæ vegetativæ et nutritivæ, 1197.
Contemplatio Dei, et fruitio ipsius, sunt principaliores actiones theologiæ mysticæ, 14.
Contemplatio ornamentum est oculorum animæ, App. 299.
In contemplatione supernaturali animæ delectantur dulcedine admirabili, App. 284.
In contemplatione supernaturali anima dilatat cor suum, ad fruendum deliciis Dei sui, App. 290.
In contemplatione Deus animam satiat bonis, dat intelligentiam elevatam, et alia, App. 296.
In contemplatione Dei in universali, intellectus, seu scintilla rationis debet quiescere, 524.
In contemplatione mediante lumine fidei ascendit anima in montem, sicut Moyses, 529.
De contemplatione acquisita mediante lumine fidei, 517.
Contemplationem relinquere obligat charitas aliquando, App. 242 246.
Contemplationem aliqui deserunt ex multis causis, 590.
Ad contemplationem supernaturalem debent omnes aspirare, 604.
Ad contemplationem supernaturalem pervenitur per multa media, 610.
Ad contemplationem supernaturalem requiritur ex parte Dei, ut animam vocet et excitet, 610.
Ad contemplationem ex parte animæ requiritur munditia, 611.
Ad contemplationem supernaturalem ex parte animæ requiritur simplicitas mentis, 612.
Ad contemplationem supernaturalem requiritur parvitas humilitatis, 613.
Contemplationis altitudo consistit in contemplatione et cognitione Dei, App. 239.
Contemplationis sanctæ cognitio quietat et satiat animam, ut terrena degustare non libeat, App. 298.
Contemplationis supernaturalis proprietates sunt quatuor, quod sit amabilis valde dulcedo, quod animam supra se ipsam rapiat, quod cœlestia mentibus sic elevatis aperiat, quod spiritualia mentis oculis patefiant, 594.
Contemplationis supernaturalis effectus plurimi sunt, nova mentis illustratio de rebus divinis, nova delectatio, inæstimabilis jucunditas, ardentissima, extatica, et anagogica dilectio, 599.
Contemplationis gratia aliquando subtrahitur, 614.
Contemplationis lucem Deus subtrahit ob multas causas, 617.
Contemplationis supernaturalis gratia aliquando conceditur imperfectis, aliquando denegatur perfectis, 621.
Contemplationis supernaturalis principium formale elicitivum aliquando est donum scientiæ, 649.
Contemplationis supernaturalis principium aliquando est donum sapientiæ, 654.
Contemplationis supernaturalis principium aliquando est donum intellectus, 661.
Contemplationis supernaturalis principium aliquando est altius donis Spiritus Sancti, 665.
Contemplationis supernaturalis principium aliquando est lumen gloriæ, 670.
Contemplationis summus gradus, qui est videre Deum per essentiam, non competit homini in hac vita, 1105.
Contemplationis tres sunt gradus: obscurum, omnino clarum, et medium, 1106.
Contemplationis summus gradus non excludit actiones animæ vegetabilis, 1108.
Contemplationis intentio attenditur ex parte causæ primo moventis, et impellentis, sed suaviter operantis, 1134.

Qui male ut antur vita contemplativa severissime puniuntur a Deo, App. 237.
Contemplativi perfecti uniti non carent fomite, neque motibus primo primis, et secundo primis, 1119.
Contemplativi dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam suam vitam deputant, 1121.
Contemplativi uniti Deo non sunt redacti ad statum innocentiæ, 1142.
Contemplativi uniti Deo non rediguntur ad nihilum, 1143.
Contemplativi uniti Deo non sunt in speciali otio et quiete, 1146
Contemplativi uniti Deo, active producunt suas actiones, 1144.
Contemplatur Deus apice intelligentiæ, 523.
Contemptus ex duplici parte mensurari potest, 1226.
Continentia dupliciter sumitur: vel per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet; vel per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementes existunt, 402.
Contrarium est omni philosophiæ velle ascendere ad contemplationem divinam sine exercitio meditationis imaginariæ, 301.
Contritionis quatuor assignantur definitiones, App. 107.
Conversionis duplex causa: beneplacitum Dei, et convertentis vocatio, App. 1.
Copula triplex: conjunctionalis, verbalis, et carnalis, 1069.
Culpa consistit in abusu auctoritatis, 199.

D

Dæmones cognoscunt futura aliqua, aliqua vero non, 725.
Datur spiritus incipientibus, proficientibus, et perfectis, App. 66.
Debemus petere lumen divinum, ut possimus percipere divina, 357.
Debemus fugere occasiones peccatorum, 400.
Dei cognitio triplex: specularis, figuralis, et aperta, App. 66.
Dei cognitio acquiritur per alia, sed postquam jam cognoscitur, non per alia cognoscitur, sed per seipsum, App. 66.
Delectatio est quidam motus animæ, et constitutio simul tota, et sensibilis, in naturam existentem, 401.
Delectatio omnis, quam percipit anima in creaturis in hac vita, ut in plurimum elongat a Deo, 373.
Delectatio causatur ex multiplici materia: ex motu, ex spe, ex memoria, ex tristitia, ex actionibus aliorum, ex beneficiis, ex similitudine, et ex admiratione, 401.
Delectationes sunt malæ, quæ requiescunt in aliquo, quod repugnat rationi: bonæ, quæ requiescunt in aliquo conformi rationi, 401.
Delectationes sensibiles moderantur virtute continentiæ, 402.
Delectationes sensibiles moderantur verecundia et jejunio, 404-405.
Delectationes spirituales secundum se excedunt corporales, sed quoad nos vehementius movent corporales delectationes, 401.
Delectationis formalis ratio est illa, in qua concurrunt duæ conditiones, scilicet conjunctio, seu præsentia, et passio boni amati, seu convenientis, 401.
Delectationis effectus sunt dilatare cor, perficere operationem, causare sitim et desiderium sui, 401.
Delectationis dupliciter aliquid est causa: uno modo sicut id, quod est ratio diligendi: alio modo, quia est via quædam ad adquirendam delectationem, 21.
Deliberare est diversa librare, App. 40.
Desiderium desiderati est duplex, hujus ut finis, hujus ut viæ ad finem, 1233.
Desolatio est ægritudo inferioris, sive sensualis partis hominis ad cœlestia aspirantis, quæ ex rebus spiritualibus gaudium et lætitiam non percipit, 455.
Desperatio est fuga seu recessus ab arduitate et difficultate boni sperati, 416.
Desperatio moderatur magnanimitate, 417.
Desperatio potest esse immoderata, vel quoad objectum, vel quoad medium, 418.
Deum esse cognitum et amatum dupliciter sumitur: vel pro denominatione extrinseca, et prout dicit modum specialem familiaris convictus cum Deo, et communicationis ad possidendum et fruendum ipso, 75.
Iste modus specialis præsentiæ resultat in anima, posita dispositione gratiæ et charitatis, et contactu Dei per modum operantis, et producentis illam, quod pertinet ad modum communem immensitatis, 76.
Gratia et charitas dispositive se habent ad istam præsentiam Dei, et sunt valde distinctæ præsentia per modum objecti, et per modum agentis. Et in ista præsentia per modum objecti est gradatio, 78-80.
Deum totaliter amari tripliciter potest intelligi: uno modo ut modus totalitatis referatur ad rem dilectam; alio modo quod totalitas referatur ad diligentem; alio modo ut modus diligentis adæquet modum rei dilectæ, 22.
Deum diligere ex toto corde explicatur latissime, App. 351.
Deum diligere ex tota anima, explicatur subtiliter, et ad longum, 843.
Deum diligere ex tota mente explicatur, 846.
Deum diligere ex totis viribus explicatur, 848.
Deum diligere ex tota virtute explicatur, 851.
Deum diligere ex tota fortitudine explicatur, 852.
Deum semper cogitare, et diligere, et ei intellectu et affectu adhærere, est hujus vitæ actualis perfectio et nobilitas, 961.
Deum propter Deum diligere habet sex sensus, 1233.
Deus cum examinat, tria facit: probat, visitat, et examinat, App. 32.
Deus protegit per quatuor: per speciem obum-

brantem, per compunctionem humiliantem, per virtutem illuminantem, per Ecclesiam viventem, App. 57.
Deus videtur secundum quasdam similitudines bonitatis ipsius, sive in rebus sensibilibus, sive in imaginibus, sive in speciebus intelligibilibus, App. 64.
Deus quadrupliciter videtur: per speciem sensibilem, imaginariam, intelligibilem, abstractam, et infusam, App. 65.
Deus cognoscitur per species infusas, vel per acceptas, et a Deo ordinatas, et per lumen propheticum, et per lumen fidei, App. 65.
Deus existit in omnibus per essentiam, præsentiam, et potentiam, App. 72.
Deus existit in justis speciali modo per gratiam, et iste specialis modus explicatur a D. Thoma tamquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, App. 73-74.
Deus habet istum contactum objectivum, et realem, et intimum, non solum quando clare et intuitive videtur, sed quando obscure, et per fidem. Sicut etiam anima nostra nobis in hac vita manifestatur, nam illam non videmus, et tamen experientiam animationis sentimus, quasi objectum præsens, quia informat nos realiter, App. 83.
Sicut contactus animæ quo experimentaliter sentitur, etiam si in sua substantia non videatur, est informatio, et animatio, quia corpus redditur vivum et animatum: ita contactus Dei quo sentitur experimentaliter, et ut objectum conjunctum, etiam antequam videatur intuitive in se est contactus operationis animæ, quo operatur intra cor, ita ut sentiatur et experimentaliter, App. 84.
Deus unit sponsalia et matrimonium cum anima sancta, 40.
Deus communicat creaturis quidquid communicabile et ab eis receptibile est, 364.
Deus dicitur Pater noster, ratione specialis creationis, gubernationis et providentiæ, 300.
Deus dicitur ignis, quia illuminat, exæstuat, omnia ad se convertit, expeditum facit, et sursum trahit, 345.
Deus intellectum illuminat, voluntatem satisfacit, et virtutem operativam roborat, 348.
Deus dicitur immutabilis, homo mutabilis, 358.
Deus unicuique gratiam præstat secundum suam capacitatem, 368.
Deus non est quærendus, quia in nobis est, 522.
Deus sic est præsens animæ, ut ipsa non indiget nuntiis, quibus cum eo possit agere, 1184.
Deus dicitur ignis, quia subtilis secundum substantiam, scientiam, et apparentiam. Et est lucidus, quia manifestat, delectat et dirigit. Et est calidus, quia vivificat, purgat, et devastat, 345, 12 8.
Deus vulnerat animam; modus quo id facit, non potest facile exprimi, 1221.
Deus perfectos homines, tum luce fidei, tum luce sapientiæ collustrat; ut agenda et vitanda pervideant; illa, ut actione impleant: hæc ut a sua operatione dimoveant, 1241.
Devotio a devovendo dicta secundum ethymologiam nominis, 944.
Devotio definitur, actus quidam voluntatis promptæ et paratæ ad facienda quæcumque spectant ad Dei famulatum, 944.
Devotio est actus Religionis, 947.
Devotio quæ habetur ad sanctos Dei, mortuos vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, 948.
Devotio excitatur per res divinas, 950.
Devotio primo et per se causat delectationem et lætitiam; secundario autem et per accidens causat tristitiam, 952.
Devotio est pinguedo animæ, causata a charitate, et conservans eam, 954.
Dilectio proximi est vera dilectio, est justa et recta, est sancta, est efficax et operosa, App. 356-359.
Dilectio proximi, quæ cadit sub consilio, App. 362.
Dilectio proximi quæ cadit sub consilio considerator secundum extensionem, et ista extensio est triplex, App. 362.
Dilectio proximi quæ cadit sub consilio considerator secundum affectum, et iste affectus est triplex, App. 362.
Directores ab omni specie mala cavere debent avaritiæ et lucri, 747.
Discipuli Christi veri imitatores sunt crucis, 399.
Discretio in mortificatione comparatur sali, palpebribus, freno, aurigæ, App. 175.
Disponens est quodammodo causa; unde secundum duplicem modum causæ est duplex dispositionis modus; est enim causa quædam movens directe ad effectum, alia indirecte sicut removens prohibens, et hoc modo disponit via purgativa ad perfectionem, App. 333.
Dispositio est ex similitudine, et ex impressione, 520.
Dispositio duplex: quædam est quæ necessaria est ad esse ejus ad quod disponit; alia quæ ordinatur ad facilitatem ejus ad quod disponit: et hoc modo parvipensio rerum temporalium, et despectio terrenorum, est dispositio ad perfectionem, App. 338.
Dispositio tripliciter se habet ad id ad quod disponit, quandoque est idem, et in eodem, sicut scientia inchoata ad perfectam; quandoque est in eodem, sed non idem, sicut calor ad formam ignis; quandoque nec idem, nec in eodem, sicut in his quæ habent ordinem ad invicem, App. 341.
Dispositio optima ad perfectionem est quod homo abneget semetipsum, App. 344.
Dispositio ad aliquid dicitur id, per quod aliquid movetur in illud consequendum. Motus habet quandoque terminum in eodem genere, sicut motus alterationis; quandoque habet terminum alterius generis, sicut alterationis quæ est forma, App. 341.
Dispositio maxima ad perfectionem est operari cum conscientia pura, App. 348.
Dispositio duplex: prævia, quæ disponit subje-

ctum ad introductionem formæ, simultanea seu conservans, quia illa media conservatur forma, App. 329.
Dispositio maxima ad perfectionem operari cum simplicitate, App. 350.
Dispositio maxima ad perfectionem, quod voluntas humana conformetur divinæ, App. 351.
Dispositio maxima ad perfectionem parvipensio rerum temporalium, App. 338.
Dispositio ad perfectionem est desiderium illius, App. 330.
Dispositionum duo sunt genera, scilicet activum, et passivum; sub activo continentur omnes illæ dispositiones, quas anima divinis tamen auxiliis præventa et roborata, sola propria cooperans industria paulatim acquirit. Sub passivo continentur aliæ quas Deus animæ non cooperanti, sed tantum consentienti infundit, App. 348.
Divina essentia non potest ab homine videri per aliam vim cognoscitivam quam per intellectum, 629.
Divina essentia non videtur nisi per lumen gloriæ, 672.
Doctrina scholasticorum, et mysticorum eadem est. Mystica patitur divina, scholastica est tantum intelligens, 1104.
Documenta pro illis, qui sunt in purgatione passiva partis intellectivæ, 794.
Dolor est circa malum conjunctum in appetitu sensitivo, 406.
Dolor Christi fuit maximus, interior, et exterior, in sua passione, 409.
Doloris causa ex parte rationis formalis est malum conjunctum, 407
Doloris passio minuitur per innocentiam patientis, quantum ad numerum, et per considerationem, 409.
Doloris passio minuitur per patientiam, 411.
Dona Spiritus Sancti ad contemplationem maxime conferunt. App. 259.
Dona Spiritus Sancti comparantur columbæ, App. 271.
Dona Spiritus Sancti vocantur virtutes heroicæ, App. 382.
Dona sunt tantum septem, 548.
Dona Spiritus Sancti significantur in illis septem mulieribus, quæ apprehenderunt virum unum, et in septem proprietatibus columbæ, 549.
Per dona designat Spiritus Sanctus viam et statum spiritus et spiritualis hominis, 552.
Dona sunt habitus diversi a virtutibus theologicis et moralibus, 556.
Donum sapientiæ, secundum adæquatam rationem definitur: Habitus, qui habet judicare de divinis ex instinctu et motione Spiritus Sancti, qua unimur et subjicimur Deo, quasi ex connaturalitate et experientia, seu gustu quodam divinorum, 10.
Donum definitur: habitus quidam, quo homo disponitur ad exercenda opera virtutum, secundum quod homo est mobilis a Spiritu Sancto, 517.

E

Effectus orationis unionis passivæ sunt maximum animæ gaudium, tenerrimus devotionis sensus, memoria cœlestium communicationum, ingens animus, desiderium laudandi Deum, et gradus heroicus omnium virtutum, 1028-1031.
Effectus orationis unionis activæ sunt maximus meritorum cumulus, summa pax interna et externa, internæ suavitatis abundantia, quædam participatio beatitudinis, immutabilitatis divinæ communicatio, quædam Deificatio communicationum, 1037-1041.
Egenus et pauper differunt, quia egenus est qui indiget et eget, pauper qui parum habet, App. 55.
Eleemosyna est opus in quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum, App. 129.
Eleemosyna liberat a peccato dupliciter, App. 130.
Eligere est duobus præjacentibus præoptare alterum alteri, App. 40.
Error est approbatio falsa pro veris, 191.
Error electionis est quando nescitur quid est melius, 189.
Est error cognitionis. Et isto modo potissime errant prælati in promotionibus subditorum, 190.
Eucharistia ut digne sumatur debet esse cum præmemoratione charitatis ipsius instituentis, ac ejus passionis, et mortis, et lotionis, App. 216.
Ex discursu imaginario nos debemus transferre ad ponderationem rei meditatæ, 315.
Examen conscientiæ definitur subtilis et exquisita discussio, qua cogitationes, desideria, verba et actiones nostras expendimus ac mala et bona a nobis gesta retractamus, App. 206.
Examen et discussio est necessaria, quia peccata detegit, et lumen ad ea cognoscenda, ac sapientiam impertit, App. 208.
Examen et discussio est necessaria, quia sine illa communiter culparum nostrarum remissionem nequaquam consequimur, App. 208.
Examen particulare debet fieri de peccatis et de vitiis, App. 213.
Examen debet fieri de passionibus, de viribus animæ, diverso tamen modo fit examen de his, et de peccatis et vitiis; nam ista examini subduntur ut evellantur; passiones, et sensus, et vires animæ ut ab eis quod vitiosum est eradicetur, App. 217.
Examen conflatur ex quatuor: ex proposito, cura, discussione, et collatione, App. 219.
Examen debet fieri circa cogitationes, an sint mundæ et ordinatæ. Mundæ sunt, quando neque de malis affectibus generantur, neque nobis generant affectus malos. Ordinatæ sunt, quando rationabiliter, hoc est tempore suo, adveniunt; tempore enim non suo, etiam bona cogitare sine vitio non est, App. 224.

Examen debet fieri circa affectus, an sint recti et sinceri. Bonus affectus est, quando est ad id ad quod debet, et quomodo debet. In eo ad quod debet, rectus; et quomodo debet, sincerus, App. 225.
Examen debet esse circa sermones, ut verba vera sint, et nemini noxia, ad aliquid necessaria, ut convenienti tempore et loco prolata, et debito modo dicta, App. 226.
Examen debet esse circa opera, an bona intentione fiant, simplici, et recta. Simplici, sine malitia; recta, sine ignorantia. Opera præcipue examinanda sunt quæ secundum statum quotidie occupatos nos tenent, in quibus innumerabiles solemus imperfectiones admittere. Non solum de malis peractis investigandum est, sed etiam de bonis neglectis perquirendum, App. 227.
Examen conscientiæ debet fieri quotidie ad vesperam, vel duabus vicibus, ut volunt multi sancti, App. 228.
Post examen, et dolorem de culpis, aliquam tibi, quam statim exsolvas, pœnitentiam injunge, App. 230.
Examen conscientiæ utilis est ad pacem et lætitiam mentis, et ad vitia extinguenda, et ad quietem animi comparandam, App. 212.
Examinare debet quilibet se ipsum judicio discussionis, App. 206.
Si in examine sui aliquis est negligens, peccat, App. 206.
Qui non se frequenter examinat, vitam rectam et perfectam vix habere potest, App. 206.
Excessus contingit quandoque ex causa interiori, quandoque ex causa superiori, 924.
Extasis est nomen græcum, latine dicitur excessus, 1193.
Extasis est quædam vis amoris, qua ponitur amans extra se, 382.
Extasim pati aliquis dicitur, cum extra se ponitur, quod quidem contingit secundum vim appetitivam et apprehensivam, 55.
Extasis definitur excessus mentis, quo fit alienatio a sensibus in aliquid intelligibile, supra sensum et rationem, vel extra cognitionem sibi propriam, 1192.
Extasis et raptus differunt, sed in ratione raptus pro eodem supponunt, 1192.
Extasis est quando homo ponitur extra se, vel quia a superioribus allicitur, vel quia ab inferioribus depellitur, 1194.
Extasis contingit quandoque ex causa interiori, quandoque a causa superiori, 1194.
Extasis causatur ex vi appetitiva et cognitiva, 1194.
Extasis si perfecta sit contemplatio, potest vi sua causare alienationem a sensibus externis, eos absorbendo et ligando, ne a suis objectis excitentur, 1195.
Extasis oritur ex magna devotione, ex ingenti admiratione, et ex ineffabili exultatione, 1203.
Extasis vocatur sapor, 1193.

F

Familiaritas mulierum quomodo vitanda, etiam a viris spiritualibus, 112.
Fastidium bonorum operum multoties reperitur in purgatione passiva, 813.
Fervere calore divino, qui dicantur, 1102.
Fidei objectum, et multa de fide, App. 385.
Fidem cum omnibus circumstantiis habens dicitur habere fidem heroicam, App. 386.
Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, 517.
Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res a Deo revelatas propter ipsius auctoritatem, App. 384.
Fides habet quatuor: amorem, motum in Deum, adhæsionem et incorporationem, App. 388.
Fides est basis et fundamentum spiritualis ædificii, 802.
Flagellum est illud genus verberis, quo servos nudatos cædere solebant, vel instrumentum de ligno et corrigiis factum ad verberandum. Et quando est ex funibus, vocatur disciplina, App. 164.
Formæ intelligibiles a sensibus acceptæ, non sunt omnino unius rationis cum illis formis, quæ immediate ex influentia divina proveniunt, 683.
Fornicatio spiritualis datur et castitas spiritualis, 113.
Fortitudinis donum quomodo distinguatur a virtute fortitudinis, 580.
Fortitudinis donum, licet principaliter sit circa opera supererogationis, nihilominus etiam est circa alias difficultates, circa quas est etiam virtus communiter, 582.
Fortitudo donum est fortitudo regulata instinctu et regula divina, et juxta vires divinas nobis assistentes, 580.
Fortitudo est virtus hominem intra rationis limites continens, propellendo ea, quæ usum rationis, vel quæ secundum rationem sunt, quodammodo impedire possunt, App. 411.
Fortitudo heroica apparet in multis, App. 413.
Fortitudo heroica vide, App. 413.
Frui perfecte convenit tantum rationali naturæ, 50.
Fruitio et fructus ad idem pertinere videntur, et unum ex altero derivatur, 50.
Fruitio perfecta est finis habiti realiter, imperfecta est etiam finis non habiti realiter, sed intentionaliter, 50.
Fruitio in duobus consistit, scilicet in visione intellectus, et in delectatione affectus, 51.
Fuga est recessus a malo dissono, sive motus recessionis, quo appetitus animalis ab illo tamquam a nocivo recedit, 397.

G

Generatio spiritualis, App. 128.
Gloria amittitur septempliciter, propter septem vitia, 107.

Gradus quibus mediis ascendimus ad Deum sunt tres: Primus per discursum imaginarium figurarum; secundus, per ponderationem rei figuratæ; tertius, quando in quiete, sine operatione activa tendit Deo, et passive se habet ad illuminationem, 365.
Gradus charitatis sunt tres, et vocantur incipiens, proficiens et perfectus, 5.
Gratia quandoque dicitur ignis, quandoque aqua, App. 121.
Gratia dividitur in prævenientem et subsequentem, 57.
Gratia procedit a Deo tamquam imago ab artifice, 1217.
Gratiæ sunt quinque effectus in nobis: Anima sanatur, bonum vult, bonum quod vult efficaciter operatur, in bono perseverat, ad gloriam pervenit, 57.
Gratiæ gratis datæ enumerantur et de distinctione a gratia gratum faciente, 665.
Gratiæ gratis datæ quomodo dicantur altiores donis Spiritus Sancti, 666.
Gratiarum actio nihil aliud est, quam quædam laus, quædam confessio, quædam recognitio perceptorum, 238.
Gratiarum actio, App. 195.
Gratitudo magnam vim habet ad assiduam Dei memoriam inducendam, 962.
Gratitudo est specialis virtus distincta ab aliis virtutibus, 237.
Gula spiritualis nihil aliud est, quam inordinatus appetitus deliciarum spiritualium, 116.
Gustant justi bonum Dei verbum, quia est verbum vitæ æternæ, 144.
Gustus non mortificatus, maxime periculosus, 140.
Gustus potentia describitur, 140.
Gustus est duplex, infectus, et perfectus. Gustus infectus est gustus temporalis; gustus perfectus, gustus spiritualis, 141.
Gustus perfectus est gustus spiritualis, et hoc modo gustant viri spirituales, 143.
Gustui assimilatur Eucharistia, 146.
Ex gustu immortificato multa damna oriuntur, 147.

H

Holocaustum dicitur ab *olon*, quod est totum, et *cauma*, quod est incensum, App. 30
Homo in tribus: in interiori cordis bonitate, in exterioris operis servitute, in superiori cœlestis regni hæreditate, 332.
Homo accedit ad Deum per susceptionem gratiæ, per contemplationem sapientiæ, per ministerium obedientiæ, per spiritum concordiæ, 350.
Homo per naturalem inclinationem ordinatur ad finem naturalem: ita Deus per virtutes supernaturales voluit ordinare hominem in finem supernaturalem, 353.
Homo debet circuire triplicem civitatem: Prop[illegible] recogitando peccata; militantis Ecclesiæ, imitando sanctorum exempla; cœlestis patriæ, cogitando sanctorum præmia, 355.
Homo in hac vita propter tres rationes flagellatur a Deo: ut cohibeatur ejus malitia, ut habeatur hominis experientia, et in pœnam peccatorum, 780.
Humilitas habet septem gradus, secundum sanctum Anselmum, 337.
Humilitas, secundum D. Thomam, habet tres gradus, 337.
Humilitas est virtus qua refrænatur animus ne immoderate tendat in altum, App. 402.
Humilitatis heroicæ aliqui gradus, App. 403.
De humilitate vide multa, App. 402.

I

Illustratio mentis aut est de divinis, vel de terrenis, vel de eventibus futurorum, vel est de agendis moralibus, App. 198.
Ad illustrationem mentis tria disponunt: Primo, esse in abstractione transitoriæ dulcedinis; secundo, esse in approximatione ad fontem luminis; tertio in interiori mentis dilatatione impulsus, App. 199.
Impulsus quos anima sentit, sunt fortes, et simul suaves, 1216.
Incipientes ex devotionis sensu, quem Deus eis benigne communicat ut terrenis voluptatibus segregatos ad cœlestes divitias fortiter et suaviter alliciat, superbiendi sumunt occasionem, 104.
Incipientes plurimos patiuntur defectus, quantum ad luxuriam, 110.
Incipientes plures habent defectus quantum ad iram, 114.
Infantilis ætas dicitur ante usum rationis; deinde datur alius status, quando incipit loqui; deinde status pubertatis: ita etiam diversi gradus charitatis secundum incipientes, proficientes et perfectos, 65.
Infirmus medicum peritissimum et expertissimum si potest arcessat, App. 101.
Intellectus donum habet apprehensionem terminorum veluti antecedentem, sed principaliter consistit in judicio discretivo veritatis, 557.
Intellectus donum maxime deservit contemplationi internæ, quia per ipsam acuitur et subtilizatur mens a Spiritu Sancto, 558.
Intellectus donum est idem habitus hic et in patria, 559.
Intellectus donum non acuit, nec perficit mentem ad intelligendam veritatem, ex studio et disputatione, et quasi metaphysice, sed ex connaturalitate quadam, et unione ad divina, et mystice, 260.
Intellectus donum distinguitur ab actu fidei, 262.
Intellectus donum non solum est speculativum, sed practicum, 663.
Intellectus donum inest omnibus habentibus gratiam, 664.

Intellectus etiam elevatus lumine gloriæ ad videndum Deum, non concurrit instrumentaliter sed principaliter, 676.
Intellectus purgandus est a phantasiis, 193.
Intellectus purgandus est a culpa, 196
Intellectus purgandus est judiciis propriis in rebus agendis, 198.
Intellectus practicus et speculativus quomodo differunt, 315.
Intellectus debet conformari rationi per fidem, ut lux divina possit illustrare meditationem, 356.
Intelligere est idem atque intus legere, 661.
Invidia est dolor de prosperitate aliena, 119.
Invisibile est aliquid dupliciter: uno modo propter se, sicut opacum; alio modo propter excedentiam ejus, 23.
Ira est motus appetitus irascibilis ad vindictam, 428.
In ira ordo rationis attenditur quantum ad duo: quantum ad appetibile, et quantum ad modum, 114.
Iræ formalis ratio motiva est parvipensio, seu modus aliquis contemptus, aut injuriæ tangentis excellentiam, 430.
Iræ species sunt fel, mania, et furor, 429.
Iræ effectus inveniuntur in appetitu, in corpore, in mente, in ratione, 432.
Iræ passio moderatur per mansuetudinem et clementiam, 433.

J

Judicium proprium negare debemus in his, quæ pertinent ad doctrinam et inquisitionem veritatis; et debemus adhærere doctrinæ Christi et Ecclesiæ, 201.
In justificatione tria Dominus præcipit: Primo, quod surgat de peccato; secundo, quod satisfaciat; tertio, ut ambulet proficiendo in bono, App. 118.
Justis maxime contemplativis removentur passiones, ut perturbativæ sunt actuum rationis, prout in plurimum, 1113.
Justus non dicitur perfectus per charitatem afficientem, sed propter charitatem efficientem, 835.
Justus non dicitur perfectus a quacumque gratia afficiente, sed ab illa, quæ cupit dissolvi, et esse cum Christo, 836.

L

Languor bene operandi multoties reperitur in purgatione passiva, 818.
Legendus est primo loco liber sacræ scripturæ, qui habet mandata dirigentia, habet consilia sapientiæ, habet promissa rigentia, habet prohibitionem comminantia, seu reprimentia, 226
Liquefactio nihil aliud est, quam alicujus duri aut solidi, occasione caloris, vel adjunctione humoris, dissolutio, 38.
Locutio a visione nullo pacto secundum rem distinguitur, sed tantum ratione, 748.
Locutio Dei triplex: altera vocibus exterioribus formata, altera quæ imaginatione concipitur, altera pure spiritualis mentis, 750-752.
In locutione sunt tria: verba successiva, formalia, et substantialia, 752.
Lucis admirabilis allegoria, 341.
Lumen quod Deus communicavit primo parenti ad sui contemplationem, fuit altius donis Spiritus Sancti, 668.
Lumen scientiæ infusæ est altius donis Spiritus Sancti, 669.
Lux, quæ deservit meditationi naturali, ut perfecta sit, debet illustrari a supernaturali luce, 341.

M

Magnalia Dei sunt secreta, 3.
Magistri spirituales debent evigilare ad cognoscendam complexionem filiorum spiritualium, 372.
Maledicere multipliciter dicitur: Primo, declarando malum, quod alicui debetur; secundo imprecando malum; tertio, simpliciter annuntiando, vel in præsenti, vel in futuro, 822.
Mansuetudo est virtus moderativa interioris passionis, nimirum iræ, App. 422.
Mansuetudo multiplex, App. 423.
Margarita habet multa miranda, secundum Plinium, 1246.
Margarita est Principum et Regum indumentum, 1249.
Matrimonium spirituale perfectum non est in hac vita, sed tantum consummatur in patria, 1055.
Matrimonium spirituale, ut confrahatur cum anima, quas conditiones debet habere illa, 1081.
Matrimonium differt ab sponsalibus, 1091.
Meditari debemus in Deo, quam potens est in operibus, quam justus in vindicandis sceleribus, quam largus in retribuendis muneribus, quam certus in prolandis sermonibus, quam clemens relevans onera, seu dispensans munera, quam prudens gubernans, et ordinans cætera, 292.
Meditatio est mentis discursus, quo intellectus circa materiam aliquam, de una consideratione ad aliam transit, 290.
Meditatio habet similitudinem corporalium oculorum, 290.
Meditatio aperit tres portas, infernalis miseriæ, justæ vitæ, et cœlestis gloriæ, 290.
Meditatio comparatur columbæ, 291.
Meditatio est primus gradus vitæ contemplativæ, 295.
Meditatio est multum necessaria, 298.
Meditatio imaginaria est primus gradus vitæ contemplativæ, secundum doctrinam Apostolorum, 307.
Meditatio figurarum quomodo exerceri debeat absque detrimento salutis, 311.

Meditatio aliquas circumstantias debet observare, 312.
Meditatio nihil aliud est quam ruminatio, 316.
Meditatio habet materiam circa quam debeat versari, 320.
Meditatio beneficiorum, quæ nobis contulit Deus per humanitatem suam, est via recta et secura ad perfectionem, 326.
Meditatio frequens passionis Christi causat nostram salutem, per modum satisfactionis, per modum sacrificii, per modum redemptionis, et per modum efficientiæ, 326.
Meditatio debet ordinari ad mortificationem passionum, et ad imitationem virtutum Christi Domini, 334.
Meditatio excitat ad imitandam paupertatem Christi, 339.
In meditatione præsertim incipientium, necessarium est, ut potentiæ exerceant suas operationes activas, sed debent cessare ab illis, et dare locum Deo, ut ipse operetur, 342.
In meditatione multoties aperiendum est ostium intellectus luci divinæ, ad veram ponderationem rei meditatæ, 346.
In meditatione naturali intellectus habet duo impedimenta, quæ impediunt illustrationem divinam, 347.
In meditatione debet esse quies, quæ est duplex: una in ponderatione rei meditatæ, altera in simplici contemplatione divinitatis. Prima incipientium, secunda perfectorum, 361.
Memoria est potentia ad conservandas intentiones. In homine dicitur reminiscentia, 169.
Memoria est habenda de nostro Salvatore, ut Redemptoris, ut nostri inspectoris et ut justi judicis, 171.
Ad bene memorandum documenta quatuor, 172.
Memoria debet purgari naturali notitia voluptatum, 173.
Memoria debet purgari naturali notitia divitiarum et commoditatum inde consequentium, 173.
Memoria debet purgari naturali notitia patriæ, parentum et aliorum affinium, 173.
Memoria debet purgari naturali dignitatum et honorum notitia, ut etiam eorum affectu purgetur appetitus, 174.
Memoria debet purgari naturali sæcularium negotiorum notitia, 175.
Memoria purganda est notitiis supernaturalibus distinctis, 180.
Memoriam habere debemus de Deo quantum ad quatuor: Quantum ad mirabilia quæ fecit, quantum ad beneficia quæ dedit, ad regratiandum, quantum ad tormenta, quantum ad præcepta quæ dedit ad observandum, 170.
Mens ad devotionem excitata facilius postmodum ad devotionem pristinam revocatur, 951.
Meriti conditiones, quod sit actus liber, quod sit bonus et utilis relate ad alterum, pro omni merito. Pro merito supernaturali respectu vitæ æternæ requiritur, quod merens sit in statu gratiæ, quod sit in statu viæ, et quod detur aliquod pactum, 1037.
Misericordia est compassio alienæ miseriæ, qua si possumus subvenire compellimur, App. 404.
Misericordiam heroicam præcipit Dominus discipulis suis, App. 406.
De misericordia multa, App. 404-405.
Modestia est virtus per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, et non offendit cujuscumque aspectum, 115.
Mons significat perfectionem, 1256
Mortificantur corpora per cilicium, App. 161.
Mortificantur corpora per flagella, App. 164.
Mortificantur corpora per jejunia, App. 168.
Mortificantur corpora per vigilias, App. 172.
Mortificatio secundum ethimologiam nominis componitur a mortuus, et facio, quia mortificatio est quoddam genus mortis, App. 142.
Mortificatio definitur, voluntaria liberaque separatio animæ a vita carnali, et sejunctio ab illicitis operibus virium, tam externarum, quam internarum, App. 142.
Mortificatio duplex, carnalis et spiritualis, App. 143.
Mortificatio vocatur abnegatio, App. 148.
Mortificatio vocatur spiritualis circumcisio, App. 149.
Mortificatio vocatur jejunium, App. 150.
Mortificatio vocatur odium, App. 151.
Mortificatio vocatur crux, App. 152.
Mortificatio utilis est ad domandam fornicationem, immunditiam, libidinem et omnia membra, quæ sunt super terram, App. 153.
Mortificatio tam interior, quam exterior, alia est, qua ab illicitis abstinemus, alia qua a licitis temperamus, App. 155.
Mortificatio utilis est ad imitationem Christi, ad ædificationem proximorum, et instructionem, et ad nostrarum precum exauditionem, et ad fugandos spiritus immundos, App. 157.
Mortificatio proprii corporis per vigilias et jejunia non est Deo accepta, nisi inquantum est opus virtutis, App. 177.
Mortificationis utilitas, App. 153.
In mortificatione utendum discretione, App. 175.
Mutua inhæsio est intima perscrutatio, qua amans ingreditur in amantem, App. 381.
Myrrha quid sit, et ad quid assumatur, 1236.
Myrrha et aloes significant mortificationem sensuum externorum, App. 158.
Mystica Theologia est doctrina revelata et secreta, 3.
Mystici quando affirmant in contemplatione eximia dari otium et silentium, sunt intelligendi, non habere locum actum intellectus quantum ad operositatem, tædium, etc. Et similiter actus voluntatis, non esse cum amaritudine, conatu in resistendo, 31.
Mysticum idem est quod secretum, 3.
Mysticum idem est quod occultum, 4.

N

Nativitas Christi tres conditiones secum affert, parientis virginitatem, nascentis benignitatem, et nativitatis utilitatem, 971.

Nomen Dei mirabile, amabile, venerabile, inexplicabile, 305.
Nomen fructus a corporalibus ad spiritualia est translatum, 1039.
Nomen regni a regendo est sumptum, 1266.
Nomine maculæ non solum intelligitur macula peccati, sed quilibet defectus, 54.
Non est sistendum in meditatione imaginaria, sed debemus aspirare ad contemplationem supernaturalem, 304.
Notitiæ supernaturales quædam sunt visiones, quædam auditiones, quædam affectiones, quædam gustus, quædam tactus, 179.
Notitiæ supernaturales quandoque sunt conservandæ in memoria, 180.
Notitiæ supernaturales possunt animæ multa causare damna, si eis adhæreat; quæ reducuntur ad quinque damna: Quod sæpius decipitur in suis judiciis, quod manet in proxima occasione cadendi in præsumptionem, diabolus habet facultatem illam decipiendi, impeditur unio in spe, regulata et directa talibus notitiis, non condigne judicat de Deo, 182.
Nullus homo nec vivit, nec vixit in statu naturæ corruptæ, sine peccato veniali, 1122.
Nuptiæ spirituales, App. 429.
Nuptiæ quatuor leguntur in Evangelio, App. 430.

O

Obedientia est specialis virtus qua redditur prompta hominis voluntas ad implendam voluntatem alterius, App. 407.
Obedientia heroica fuit in Christo, quam debemus imitari, 410.
De obedientia multa, App. 407-409.
Objectum, subjectum et materia respectu potentiæ pro eodem sumuntur, 8.
Objectum dicitur, quod potentiæ objicitur contemplandum; subjectum, quia subjicitur prædicatis; materia, circa quam potentia, vel habitus versatur, 8.
Objectum formale quod Theologiæ Mysticæ est divinitas; objectum formale quo est lumen supernaturale; objectum materiale comprehendit tam Deum, quam creaturas, 9.
Objectum intellectus pro hoc statu est ens concretum quidditate sensibili, 302.
Obsecrare debemus Deum, ut velit mentis iniquitatem auferre, 223.
Obsecratio est contestatio per sacra, vel obsecratio nihil aliud est, quam proponere Deo rationem et causam, quæ debet illum inclinare ad concedendum quod petitur, 222.
Oculi debent inclinari ad Deum quadrupliciter: per fidei adhæsionem, propter spei expectationem, propter amoris contemplationem, propter gloriæ fruitionem, 124.
Oculi attenuantur tripliciter: per depressionem, per luminis oppressionem, propter cogitationis pravitatem, App. 191.
Oculi sunt excelsi tripliciter: per cordis elationem, per inquisitionis curiositatem, per contemplationem, App. 191.
Oculis quæcumque innoxia, quæcumque inutilia neganda sunt, 124.
Oculus omnia videns seipsum non videt, 126.
Odii passio moderatur contrario, nempe amore, 388.
Odium est dissonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum, 385.
Odium est duplex: abominationis, et inimicitiæ, 385.
Odor aliquando sumitur pro cœlestis gloriæ suavitate, quæ odoratum devotionis attrahit et delectat, 136.
Odor vestimentorum sicut odor thuris, 137.
Odor mandragoræ suavis. Mandragoræ dederunt odorem suum, 138.
Odor nardi est odoriferus, et unguentum odoriferum. Nardus mea dedit odorem suum, 139.
Odor filii mi, sicut odor agri pleni. Aliquando spiritus sanctorum extaticus ex occasione sensibilium incipit immutari, 139.
Odoratus potest esse periculosus, si non debite mortificetur, 127.
Odoratus organum dividitur in tres partes, scilicet in exteriorem, quæ est nasus, interiorem, in qua attrahitur odor, et omnino intimam, qua continuatur cerebro per nervos communicantes spiritus animales, et per eosdem deferuntur species odoris ad sensum communem, 134.
Omnes imperfectiones incipientium reducuntur ad septem mortalia peccata, 104.
Orandum est pro omnibus, 275.
Orandum est pro omni peccatore viatore, ut convertatur, 277.
Orandum non est pro damnatis, nec pro beatis, nec pro pueris in limbo, sed pro his qui sunt in purgatorio, 278.
Orantur sancti nominibus propriis propter tria: quia hoc meruerunt, plus nobis innotescunt, et propter fidem resurrectionis insinuandam, 274.
Orare sanctos inferiores utile est quintupliciter: quia majorem quandoque quis habet devotionem ad sanctum minorem ad fastidium tollendum, propter patrocinium particulare, ut honor debitus omnibus exhibeatur, quia plurimum orationibus quandoque impetratur, 273.
Orare tenetur quilibet in communi pro suis inimicis, 276.
Oratio convenienter indicitur hominibus, per quam obtineant quæ a Deo sperant, 216.
Quæ a Deo sperare debemus, debent esse desiderata possibilia et ardua, App. 181.
Oratio quietis, 1178.
Oratio secundum omnes suas partes pertinet ad intellectum, 216.
Oratio est actus Religionis, 217.
Oratio est necessaria necessitate medii, et præcepti, 218.
Oratio, quæ est actus Religionis, cadit sub præcepto divino et naturali, 220.
Oratio dicit duo antecedentia, nempe præpara-

tionem et lectionem, et tertium in quo constituitur oratio, nempe meditatio, vel contemplatio, 224.
Oratio est petitio decentium a Deo, vel ascensus mentis ad Deum, 242.
Oratio debet continuari quantum durat devotio, 245.
Oratio debet semper durare secundum virtutem, non secundum essentiam, 246.
Oratio habet efficacitatem impetrandi, si petatur pie, pro se, perseveranter, et ad salutem, 247.
Oratio, ut habeat efficaciam ad impetrandum, debet esse ex corde, anxia, recta, ad Deum et assidua, 248.
Oratio, ut habeat efficaciam impetrandi, debet habere clamorem, justitiam, et quod totum bonum tribuatur Deo, 249.
Oratio ut sit exaudibilis debet fieri recta intentione, debet esse patientis, obedientis, et orantis pro inimicis, 259.
Oratio fit ad excitandum affectum nostrum, non autem ad docendum Deum, neque ad mutandam dispositionem divinæ providentiæ, 261.
Oratio causat sollicitudinem, fervorem, servitium Dei, gaudium, et auxilium, 263.
Oratio petentis liberari ab omni peccato est tripliciter commendabilis, 268.
Oratio soli Deo porrigitur, ut per eum implenda, 269
Oratio non debet fieri ad sanctos qui sunt in purgatorio, vel in hoc mundo, 271.
Oratio Christi pertinet ad sacerdotium ejus, 284.
Oratio Christi quoad objectum fuit sensualitatis, non autem quoad actum, 285.
Oratio dominica habet quinque excellentias: est secura, recta, ordinata, devota et humilis, 299.
Oratio unionis, tam alta contemplatio, et elevatio mentis in Deum, et tam alta nobilitatio, et deificatio, quod gratia Dei prævenieus, ac pertransiens, sensum perstringit amantis, 1018.
Oratio recollectionis nihil aliud est, quam secessus quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, et ab exterioribus elongatur, 1167.
Oratio quietis nihil aliud est, quam jucunditas quædam voluntatis nihil quærentis, nisi sic in Deo perseverare, 1178.
Oratio quietis secundum alios, nihil aliud est, quam quædam amoris divini scintilla, quam Deus accendit in anima, 1178.
Oratio quietis ordinarie non communicatur nisi his, qui mentalis orationis exercitium diu tenuerunt, 1179.
Oratio quietis secum adfert summam satisfactionem, et gaudium, et anima remanet læta, ex eo quod sentiat se prope fontem aquæ vivæ, 1183.
Oratio raptus superior est oratione recollectionis et quietis, et etiam oratione unionis ordinariæ, 1205.
Oratio raptus licet sit donum Dei maximum, non tamen sic secura remanere debet anima de propria salute, quod nullo modo timeat, 1207.
Oratio quietis differt ab oratione unionis, 1188.
Oratio unionis extaticæ, seu raptus, suos habet effectus. Primus in corpore, quod ita remanet, ac si per animam non informaretur; secundus desiderium accensum serviendi Deo; tertius, contemptus mundi; quartus, notitia divinæ Majestatis, et propriæ infirmitatis; quintus ardentissima sitis Dei viventis, pœna maxima sed deliciosa, sive pœna simul cum gaudio et jubilo, 1208-1214.
Oratio impulsus suos habet effectus. Maximus mundi contemptus, et horror temporalium; secundus vehemens æternorum desiderium; tertius amor laborum propter Deum, 1223.
In oratione debent peti aliqua determinata propter attentionem, et cogitationem nostri desiderii, et ut ferventius fiat, 265.
In oratione hoc præcipue petendum est, ut Deo vacemus, 267.
In oratione unionis anima non tam agit, quam recipit, non progreditur, sed abripitur, et non tam expectato consensu ejus (sed tamen consentiente) in thalamum incredibilis suavitatis ducitur, 1015.
In oratione unionis repletur anima indicibili pace, 1019.
In oratione unionis communicat Deus admirabiles thesauros, et delicias. Et ista oratio est delitiosa mors animæ, 1020.
In ista oratione unionis resultat in voluntate ardentissimi amoris et delectationis affectus, et mira suavitas, 1022.
Orationem tria faciunt commendabilem, scilicet elevatio mentis in Deum, continuatio, et lachrymæ, 251.
Orationem tria faciunt commendabilem, scilicet attentio, rectitudo et devotio, 252.
Tria faciunt orationem commendabilem, quod sit assidua, grata et vigilans, 253.
Tria faciunt orationem commendabilem, quod sit tempestiva, continua, multiplex, 254.
Orationem commendabilem tria faciunt, quod sit assidua, pura, et quieta, 255.
Orationis nomen sumitur quadrupliciter, 211.
Orationis in communi non datur definitio, 215.
Orationis partes sunt quatuor: obsecratio, oratio, postulatio, et gratiarum actio, 221.
Orationis clamor est in corde, non in voce, 244.
Orationis circumstantiæ, quæ faciunt illam esse exaudibilem, sunt bonitas, suffragia sanctorum, et meritum proprium, 256.
Orationis impetratio potest se extendere ad omnia illa, quæ subsunt potentiæ Dei ordinariæ, 266.
Orationis recollectionis duo sunt modi: Primus activus, secundus passivus, 1167.
Orationis quietis effectus sunt plurimi: pax, profunda humilitas, dispositio ad exercitia spiritualia, lux cœlestis in intellectu, et in voluntate firmitas ad bonum, et ad reliquas virtutes, et desiderium proficiendi in oratione, et gustus, et mira suavitas, 1189.
Oratur Deus ut beatus, et ideo ratione essentialium attributorum, 270.

Oravit Christus secundum humanitatem, 283.
Oravit Christus pro se, et pro nobis, quoad bona corporis; sed quoad bona spiritualia oravit pro nobis, non pro se, 286.
Oravit pro se Christus, scilicet exprimendo affectum sensualitatis, vel voluntatis, ut natura, quoad passionem transformandam, et secundum rationem, quoad gloriam corporis, 287.
Oravit Christus pro nobis dupliciter, scilicet petendo, seu volendo, et præsentando Patri humanitatem suam, cum mysteriis ejus, 289.
Osculum sanctum est, quod in signum Sanctæ Trinitatis datur, 39.
Osculum est signum pacis, 1043.
Otium sanctum non est sine operatione intellectus et voluntatis, 29.

P

Partus Beatæ Virginis significat partum pœnitentis animæ, App. 116.
In parabolis loqui Christum conveniens fuit, App. 197.
Passio definitur, motus appetitus sensitivi, ad imaginationem boni vel mali, cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum, et fugit a malo, 374.
Passio Christi secum adfert sex considerationes: Christi patientis voluntatem, patiendi congruitatem, passionis acerbitatem, ignominiositatem, et utilitatem; ultimo persequentium cæcitatem, et peccati gravitatem, 982-984.
Passiones appetitus sensitivi sunt undecim, sex pertinent ad appetitum concupiscibilem, quinque ad irascibilem, 376.
Passiones quæ pertinent ad appetitum concupiscibilem sunt amor, odium, desiderium, fuga, gaudium et tristitia, 376.
Passiones quæ pertinent ad appetitum irascibilem sunt spes et desperatio, timor, et audacia, et ira, 376.
Pater spiritualis debet esse doctus et expertus, 369-371.
Pati nihil aliud est, quam recipere. Et anima in exercitio Theologiæ mysticæ patitur quia recipit, 11.
Patientia est virtus, quæ bonum rationis conservat contra tristitiam, ne ratio ipsa succumbat, App. 420.
Patientia heroica vincit omnia, App. 421.
De patientia vide multa, App. 420.
Paupertas est abdicatio omnium rerum temporalium opere et voluntate, ob amorem Dei et desiderium perfectionis, App. 417.
Paupertas confert multa, 339.
Paupertas eligitur a Christo, 50.
Paupertas confert multa bona, 50.
Paupertatem heroicam habentes multa sentire debent, App. 419.
De paupertate vide multa, App. 417-419.
Pax triplex, 1038.
Pax oritur ex unione affectiva charitatis, 1117.
Peccata purgantur sacramento pœnitentiæ, App. 100.
Peccata purgantur per fervores amicitiæ, App. 121.
Peccata purgantur per dulcores eleemosynæ, App. 129.
Peccata purgantur per justitiæ rigores, et per fidei et misericordiæ splendorem, App. 134.
Peccata purgantur per correctiones, et timores, et per compunctionis fluores, App. 140-141.
Peccata sunt graviora, quæ consistunt in actuali contemptu Dei, App. 99.
Debet homo habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset periculum deficiendi, aut tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia, 96.
Peccati duplex radix, scilicet timor male humilians, et amor male inflammans, App. 213.
Peccati triplex fomentum, scilicet concupiscentia carnis, et oculorum, et superbia vitæ, App. 213.
Peccati in Spiritum Sanctum sex sunt differentiæ: Invidia fraternæ gratiæ, quod est contra charitatem; impugnatio veritatis agnitæ, quod est contra veritatem fidei; desperatio, quod est contra misericordiam Dei; præsumptio, quod est contra justitiam Dei, obstinatio, quod est contra gratiam pœnitentialem; finalis impœnitentia, quod est contra gratiam pœnitentialem, App. 214.
Peccati gravitas principaliter sumitur ab objecto, App. 96.
Peccati gravitas desumitur ex contemptu Dei in se ipso, App. 97.
Peccati gravitas desumitur ex aversione a Deo, App. 98.
Peccati gravitas ex parte Dei est infinita, App. 100.
Peccator quando potest corrigere delinquentem, 115.
Peccatores dolent de morte sua quadrupliciter: propter temporalium amissionem, propter conscientiæ contradictionem, propter futuræ gloriæ desperationem, propter pœnæ timorem, App. 114.
Peccatum definitur actus devians a ratione debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. Item: Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei; vel: Peccatum est prævaricatio legis æternæ, et cœlestium inobedientia præceptorum, App. 88.
Peccatum vocatur mors animæ, et potio amara, App. 93.
Peccatum est mors animæ, inquantum est privatio gratiæ, per quam anima Deo uniebatur, App. 93.
Peccatum vocatur funiculus, vanitas, vinculum, plaustrum, App. 94.
Per peccatum homo vendit multa, App. 95.
Peccatum quemadmodum onus fatigat, App. 95.
Peccatum dicitur veniale multipliciter, 90.
Peccatum proprie dicitur veniale, quia solum dicit deordinationem circa media, et non est contra legem, sed præter legem, 90.
Peccatum veniale non diminuit charitatem, 92.

Peccatum veniale non vulgarem gravitatem secum affert, 91.
Peccatum veniale potest esse causa, ut in principio minor charitas infundatur, App. 142.
Peccatum veniale comparatur ligno, fœno et stipulæ, App. 143.
In peccato est offensa Dei, macula et reatus pœnæ, App. 104.
Non est inconveniens quod aliqua hora homo sit absque omni peccato veniali, quamvis hoc diu durare non possit, App. 145.
Perfectio est triplex, App. 301.
Perfectio virtutis potest tripliciter accipi, 837.
Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione Dei, 840.
Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione proximi, 853.
Perfectio summa non consistit in gustibus internis, nec in extasibus, raptibus, visionibus aut revelationibus, nec in aliis similibus, sed consistit in conformitate unionis voluntatis nostræ cum divina, 1027.
Perfectio vitæ spiritualis comparatur margaritæ, 1244.
Perfectio vocatur thesaurus, 1250.
Perfectio vocatur mons, et regnum Dei, 1256.
Perfectum cum venerit evacuabit quod ex parte est, 109.
Phantasia seu imaginativa est potentiâ ordinata ad conservandas species sensatas, et ad cognoscendas res insensatas, 159.
Phantasia producit infinitas species insensatas ex illis speciebus, quas in se habet, 160.
Phantasia ita debilitata fuit per peccatum Adæ, quod sit prima, quæ bellum movet in quiete orationis, 161.
Phantasia fere omnes perturbat, 161.
Pietatis donum honorat et magnificat Deum ratione sui, sive bona, sive mala retribuat, sed in quadam nuditate et annihilatione omnium, et solum attendit ad magnitudinem divinam in se, et propter se, 576.
Pietatis donum distinguitur a pietatis virtute, elegantissima doctrina, 575.
Pietatis doni materia primaria et principalis est in ordine ad cultum Dei, respiciendo ipsum ut patrem, 578.
Pietatis donum se extendit ad omnes creaturas, quibus in gratia communicat, 579.
Pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato; sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. App. 113.
Pœnitentiæ virtutis quinque adducuntur definitiones a D. Thoma, App. 112.
Ponderatio duplex: una quæ pertinet ad meditationem, alia ad contemplationem, 316.
Ponderatio passionis Christi a Fratre Leonardo a Lettere, 319.
Possumus petere in oratione bona spiritualia secundum se, et quasi in generali, et quantum ad substantiam sine ulla conditione, 230.
Possumus petere eximium gradum gloriæ, non autem ex parte ipsius status, seu excellentiæ, 231.
Possumus semper et debemus petere auxilium efficax, 232.
Possumus petere bona temporalia. Modum vero quo ea possumus petere vide, 235.
Potentia visiva consistit in pupilla cum dependentia a nervis opticis, 121.
Potio peccati amara est quadrupliciter: propter conscientiæ remorsum, propter mortis metum, propter divinæ dilectionis defectum, propter pœnitentiæ planctum, 95.
Præparamur ad orationem per fidei plenitudinem, per opera pœnitentiæ, per fervorem amoris Dei, 224.
Præparatur homo ad orationem per cordis contritionem, 225.
Præsens dicitur, cujus essentia præsentatur sensui vel intellectui, 956.
Præsentia Dei nihil aliud est, quam memoria Dei, seu cogitatio de Deo, qua in omnibus locis et negotiis Deum ut præsentem intuemur, eum blande et reverenter alloquimur, et ad ipsum amoribus et desideriis afficimur, 956.
Præsentia Dei maxime commendatur in Sacra Scriptura, 957.
Præsentia Dei a malis eripit, et per illam consequimur tria, in quibus tota vita spiritualis continetur, 964.
Præsentia Dei ad omne opus bonum nos promovet, 967.
Præsentia divina præparat hominem ad assequendam pacem, 969.
Præsentia Dei affert secum infinitas utilitates, 970.
Præsentia Christi, Dei, et hominis, 971.
Præsentia Dei per corporeas imagines, 991.
Præsentia Dei sine imagine explicatur, 1000.
Præsentia Dei multum difficilis est his, qui vitiis et peccatis subjecti sunt, et mundi juris addicti, 1009.
Præsentiam Dei quatuor a nobis exigunt: Dei voluntas, hominis nobilitas, jus gratitudinis, et onus, quod nobis imposuimus sanctorum imitationis, 960.
Praxis optima pro directoribus animarum, 743.
Privilegiati circa multos gradus contemplationis altiori cognitione cognoscunt Deum, quam nos cognoscimus, 1106.
Proficientes qui sunt, et multa de illis inveniuntur, 488.
Propheta verus quisnam dicatur, 732.
Prophetæ datur judicium supernaturale secundum lumen infusum, in quo intellectus roboratur ad judicandum, 679.
Prophetæ Dæmonum non semper loquuntur ex Dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione activa, 727.
Prophetæ veri per multa signa distinguuntur a pseudo prophetis, 728.
Prophetia definitur divina vis Dei munere certis hominibus collata, qua sublimia divina arcana cognosci possunt, 723.

Prophetiæ triplex est species, 723.
Propria voluntas aliquando reperitur in substantia ejus quod volumus, aliquando vero solum in his, quæ sunt rei, quam peroptamus, 210.
Purgatio activa definitur mundatio a sordibus, et reductio ab immundis ad puritatem, App. 88.
Purgatio passiva declaratur ex D. Thom., 439.
Purgatio passiva necessaria est, ut pars sensitiva inferior subordinetur parti intellectuali superiori, 456.
Purgatio passiva necessaria est, ne incipientes decipiantur in communicationibus gratiæ sensibilis, 457.
Purgatio passiva necessaria est propter motiva, quæ adducuntur, 456-463.
Purgatio passiva manifestatur tribus signis, 465.
Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando tentatione contra castitatem, 477.
Purgatio passiva perficitur rerum sensibilium jactura, privatione bonorum corporis, et carentia bonorum animæ, 484.
Purgatio passiva partis intellectivæ quid sit, 765.
Purgatio passiva partis intellectivæ multo terribilior et horribilior est, quam sit purgatio partis sensitivæ, 768.
Purgatio passiva partis intellectivæ demonstratur multis signis, 788.
Purgatio passiva partis intellectivæ dupliciter sumitur: active, ex parte Dei purgantis animam, et passive, ex parte animæ purgatæ, 790.
Purgatio passiva partis intellectivæ, vel est simplex et pura, vel pœnalis, 790.
Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis, 806.
Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando desperatione remedii, 811.
Purgationis passivæ partis sensitivæ causa formalis est subtractio gratiæ, justis motivis a Deo facta, 435.
Purgationis passivæ causa efficiens est Deus ipse, bonus et misericors, 437.
Purgationis passivæ causa materialis est pars sensitiva hominis, in qua exercetur talis purgatio, 435.
Purgationis passivæ causa finalis est unio cum Deo, 438.
Purgationis passivæ fructus, quidam sunt positivi, quidam vero privativi, 469.
Purgationis passivæ tempore debent incipientes servare plurima documenta quæ adducuntur, 472.
Purgationis passivæ partis intellectivæ sunt quatuor causæ, 763.
Purgationis passivæ causæ in quo consistant declaratur, 763-770.
Purgationis passivæ effectus assignantur, 781.
Purgationis passivæ partis intellectivæ primum motivum est, ut defectus evacuentur, tam actuales quam habituales, utriusque potentiæ intellectivæ et volitivæ, 771.
Purgationis passivæ partis intellectivæ secundum motivum est meritum copiosum, quod ex tribulatione et voluntaria purgationis hujus tolerantia consurgit, 777.
Purgationis passivæ partis intellectivæ tertium motivum est spes præmii vitæ æternæ, 778.
Purgationis passivæ partis intellectivæ quartum motivum est collectio sive aggregatio plurium bonorum, quæ Deus causat in anima, 779.
Purgationis passivæ partis intellectivæ effectus assignantur, 781-787.
Purgationis intellectivæ puræ et simplicis tria sunt signa, 791.
Ad purgandum electos suos Deus etiam Dæmonum utitur malitia, 481.
Ad purgandum incipientes aliquando utitur Deus persecutione hominum, quæ nonnunquam sensibilior est, quam Dæmonum, 482.

Q

Qui inducit novam formam, vere dicitur transmutatus in illam, 53.
Qui sunt in statu unionis non procurant sua industria gustus et suavitates internas cum affectu nimio conservare, 1185.
Qui sunt in statu orationis quietis fruuntur interna pace, 1186.
Qui vult ad perfectam sui cognitionem venire, legat quæ dicuntur 202.

R

Raptus est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam vi superioris naturæ elevatio, 637.
Raptus aliquando causatur ex magnitudine admirationis, 637.
Raptus causatur ex magnitudine amoris, 638.
Raptus potest habere causam ex parte appetitivæ virtutis, 639.
Raptus causa aliquando est magnitudo jucunditatis, quæ percipitur in contemplatione, 641.
Raptus frequentes sunt in incipientibus; rari vero in perfectis, 643.
Raptus definitur operatio intellectualis animæ, secundum quam ab aliquo extrinseco fertur in aliquod objectum naturale, vel supernaturale speculandum modo sibi non naturali per ligationem, 1192.
Raptus addit supra extasim, nam extasis importat simplicem excessum in se ipso, sed raptus super hoc addit violentiam quamdam, 1192.
Raptus potest contingere ex causa naturali, 1198.
Raptus potest contingere ex virtute dæmonum, 1199.
Raptus potest contingere virtute divina, 1200.
Raptus est similis homini qui per gradus scalæ cœperat in altissimam turrim ascendere, et subito per aera raperetur, et celerius quam si volaret in summitate turris poneretur, 1204.
In raptu vel extasi qui saltant jubilatorii appellantur; qui verba erumpunt eruptores dicuntur, 1201.

Rari sunt qui serviant pro amore amicitiæ, 804.
Recollectio est secessus, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, et ab exterioribus elongatur, 1167.
Recollectio activa non est oratio supernaturalis, bene tamen recollectio passiva, 1169-1172.
Recollectionis duo sunt modi: unus activus, alius passivus. Primus adquiritur industria, secundus liberalitate Dei, 1167.
Reformatio fit cum dono sapientiæ, 360.
Regnum Dei multipliciter explicatur, 306.
Regnum cœlorum in Scriptura quatuor modis accipitur, 1266.
Religio secundum ethimologiam nominis, ex D. August., a religando sumpta est. Illud autem proprie religare dicitur, quod ita uni astringitur, quod ad alia divertendi libertas tollitur, App. 414.
De Religione vide multa, App. 415 416.
Remedia generalia pro existentibus in purgatione passiva ex Taulerio, 8 3.
Resurrectio spiritualis cognoscitur tripliciter, 120.
Revelatio secundum ethimologiam nominis idem sonat ac amotio velamenti, 717.
Revelatio divina definitur manifestatio divinorum mysteriorum, et secretorum Dei, divina dispensatione hominibus facta, supra totius naturæ cursum, ad communem Ecclesiæ, vel privatam particularium, quibus fit revelatio, utilitatem, 718.
Revelatio prophetica definitur inspiratio rerum futurarum immobili veritate denuncians, 723.
Revelationes fuerunt in lege naturæ, in lege scripta, et in lege gratiæ, 720-722.
Revelationes falsæ reducuntur ad tria capita, nempe ad oracula, raptus, extases, 724.
Revelationes veræ quomodo distinguantur a falsis, 729.
In revelationibus examinanda est persona, physice, ethice, vel politice, et quantum ad mores, et theologice quantum ad virtutes, 736-741.
In revelationibus examinandum est an sit tyro in via perfectionis, an miles veteranus, 742.
Revelationum multæ sunt circumstantiæ examinandæ, 736.
Revelationum tres sunt circumstantiæ examinandæ, 736.

S

Sacramentum pœnitentiæ continet tres partes, App. 100.
Sacrum silentium quid sit, et in quo consistat, 1172-1173.
Salmo sentiens aquam amaram retrocedit ad dulcem. Apes, formicæ sentientes fumi, vel alterius rei fœtorem, locum illum dimittunt. Bos etiam sentiens cadaver alterius bovis de novo mortui mugit et fugit, 158.
Salomon dormiendo non meruit sapientiam, 1138.
Sancti sunt interpellandi ut orent pro nobis, 271.
Sanctorum imitatio maxime movet ad studium præsentiæ Dei, 963.
Sapientia, quæ est donum, confert intellectui cognitionem altissimam et simplicem Dei, et rerum cœlestium, ac eorum quibus ad omnem sanctitatem promovemur, cum quadam mirabili suavitate, et sapore atque dulcedine, 656.
Sapientia non potest esse sine gratia, 658.
Sapientia est speculativa et practica, 659.
Sapientiæ donum secundum adæquatam rationem definitur, habitus qui habet judicare de divinis ex instinctu et motione Spiritus Sancti, qua unimur et subjicimur Deo, quasi ex connaturalitate, et experientia, seu gustu quodam divinorum, 564.
Sapientiæ donum distinguitur ab omnibus aliis donis, 566.
Sapientiæ donum procedit ad quandam deiformem contemplationem, et quodam modo explicitam articulorum, quæ fides sub quodam modo involuto tenet, secundum humanum modum, 657.
Satisfactio definitur injuriæ allatæ recompensatio, secundum justitiæ æqualitatem, App. 110.
Scientiæ donum pertinet ad scientiam mysticam et affectivam, et sic fundatur in aliqua motione Spiritus Sancti, quæ movet mentem, non puro et mundo lumine manifestante veritatem prout est extra, sed prout interna experientia, et quasi connaturalitate affectiva et supernaturali fertur, et attingit res de quibus judicat, 567.
Scientiæ donum necessarium est ad discernendum credenda a non credendis, 649.
Scientiæ donum simpliciter est speculativum, secundario practicum, 651.
Scitur aliquid tripliciter: per demonstrationem, per conjecturam et per revelationem, App. 9.
Sensibile præsentatum potentiæ sensitivæ movet sensum, 158.
Sensus non potest refugere id quod est nocivum vel inconveniens; et insipida non conveniunt ad delectationem gustus, 142.
Sensus communis in interiori parte capitis ad frontem residet, ad quem sensus omnes externi tanquam ad commune receptaculum omnes suas species intentionales referunt, 156.
Sensus infirmati sunt per peccatum, 359.
Signa tria sunt, quod Deus sit in nobis, per conjecturam. Primum, testimonium conscientiæ: secundum, verbum Dei auditum ad sapiendum: tertium, internus gustus divinæ sapientiæ, 11.
Signum et simul effectus recollectionis est quod anima sit intra se collecta, et Deo adhærens, res omnes mundanas et caducas, ut tales æstimet, et despiciat velut stercora, 1177.
Silentii causa aliquando est magnitudo amoris, 1176.
Silentium et otium sanctum non est absque operatione intellectus et voluntatis, 29.
Simplicitas dicitur per oppositionem ad duplicitatem, App. 348.

Sobrietatis nomen sumitur a mensura; dicitur aliquis sobrius quasi briam, idest mensuram, servans, 396.
Spei passio reperitur non solum in homine, sed etiam in brutis animalibus, 413.
Spei passio moderatur humilitate et magnanimitate, 414.
Spei passio potest esse immoderata, tum ex parte objecti, tum ex parte medii, tum ex parte modi, 415.
Spes est virtus theologica, et supernaturalis, qua speramus beatitudinem divino auxilio obtinendam, App. 390.
Spes theologica in viris perfectis est heroica, App. 392.
Spes prout est passio est motus appetitivæ virtutis consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci, 412.
Spes includit quatuor conditiones, per quas differt ab omnibus aliis passionibus, 412.
Spes heroica resplendet in multis sanctis, App. 393.
Multa de spe vide App. 390-393.
Ad sperandum in Deo tria maxime movent: Prudentia, misericordia et potestas, App. 392
Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur, 104.
Spiritualis vir spectaculis rerum profanarum, et comœdiis, et tragœdiis nequaquam intendat, 124.
Spiritualis vir separet se a locis ubi sunt choreæ, saltationes, equorum cursus, taurorum agitationes, 121.
Spiritus Sanctus confert nobis triplex beneficium: liberat a servitute carnis, a servitute legis, et securos nos reddit a damnatione mortis, App. 246.
Status proprie loquendo significat quamdam positionis differentiam secundum quam aliquis disponitur, secundum modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate, 63.
Status spiritualis servitutis et libertatis distinguitur secundum tria, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium; et medium, ad quod pertinet status proficientium; et terminum, ad quod pertinet status perfectorum, 63.

T

Tabernaculum multiplex: Primum, carnalis concupiscentiæ; secundum, naturalis vitæ; tertium, militantis Ecclesiæ; quartum, contemplativæ sapientiæ, 591.
Tactus sumitur active et passive, 756.
Tactus omnium sensuum judicatur periculosissimus, 148.
Tactus est multiplex: primus est infectionis, et est ille quo tangimus immunda, 150.
Tactus devotionis est quando anima cupit mentaliter Deum tangere, et se ei per devotionis obsequium applicare, 151.
Tactus alius est internæ inspirationis, 152.
Tactus alius est tribulationis, quo a Deo tangimur, et facit nos insolentiam carnis dimittere, et ad semitam veritatis redire, 153.
Tactus non sunt quantitativi, sed virtuales, 757.
Tactus divinus diversimode contingit, 758.
Tactus quamvis in voluntate recipiatur, quodammodo tamen ad intellectum redundat, 760.
Tædio laborare, App. 247-248.
Tædium definitur, horror quidam orationis, et tristitia ac languor animi in omnibus quæ pertinent ad cultum et obsequium Dei, 448.
Tangendi potentia est in nervis sub carne, 149.
Tanto res magis amantur, quanto magis cognoscuntur, 296.
Tenebra aliquando accipitur pro materiali insipientia hominum, 24.
Tentare contingit dupliciter: uno modo aperte, alio modo insidiose et occulte, 815.
Tentatio, App. 427.
Tentatio est experimentum, quod sumitur de aliquo, an sciat, vel possit, vel velit. Et sic proximus finis cujuslibet tentationis est scientia, 814.
Tentatio de se non est appetenda, quia non est utilis nec bona nisi per accidens, scilicet per auxilium gratiæ Dei, sed est mala de se, 816.
Tentatio cessandi a bonis operibus, valde frequens est in purgatione passiva, 817.
Tentatio retrocedendi a via perfectionis invenitur in purgatione passiva, 821.
Tentationes contra fidem quomodo sint vincendæ, 803.
Tentatur aliquis post acceptam gratiam, App. 428.
Testimonium conscientiæ habet tres gradus, App. 209.
Theologia est velut quædam impressio divinæ scientiæ, quæ est una et simplex omnium, 2.
Theologia est scientia nobis divinitus revelata, modus ejus revelativus, orativus, narrativus, comminatorius et præceptivus, 2.
Theologia Mystica est contemplatio perfectissima et altissima Dei, et fruitivus ac suavissimus amor illius, intime possessi, 6.
Thesaurus duplex: simplex et multiplex, 1252.
Timor est motus appetitus irascibilis recedentis a malo futuro, arduo, cui resisti vix possit, 419.
Timoris species sunt sex: Segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, agonia, 419.
Timoris objectum duplex: formale, et materiale, 420.
Timoris passio moderatur fortitudine et perseverantia, 421.
Timoris passio solet esse immoderata ex parte objecti et ex parte modi, 423.
Timoris donum principaliter respicit Deum, cujus offensam vitat; secundario potest respicere quæcumque aliquis refugit, ad vitandam Dei offensam, 583.
Timoris donum potest respicere Deum, quem timet, ut objectum afflictivum mali, vel ipsum malum quod fugit, vel passiones illas quas timore illo cohibet, tam in irascibili quam in concupiscibili, 584.

Timoris donum alienat voluntatem ab omni delectatione creaturæ, 586.
In timoris dono, actus paupertatis spiritus, et actus beatitudinis luctus sunt secundarii, 586.
Tractio non facit violentiam, App. 312.
Transformatio in Deum est per remotionem propriæ naturæ in perfecta participatione divinæ naturæ, per eximium donum gratiæ sanctificantis, 52.
Transfigurationis Christi tria describuntur: quando facta est, quibus, et ubi, App. 326.
Transgressio dicitur ex eo quod aliquis agit aliquid contra præceptum negativum, 193.
Tria naturaliter desiderantur ab homine: pulchra, delectabilia, dispositio rerum, 1165.
Tribulationes spirituales et corporales dantur, 33.
Tristitia maxima est impeditiva operationum, 408.
Tristitiæ species sunt quatuor: Accidia, anxietas, misericordia, invidia, 406.

U

Unio animæ cum Deo, tamquam cognitum in cognoscente, et amatum in amante, vocatur ab aliquibus clarificatum medium inter nos et Deum; ab aliis mansio in centro animæ, 46.
Unio quantum ad effectum quanta sit, et quomodo superet alias omnes, 47.
Unio inchoata dicitur sponsalitium, perfecta vero et firma, matrimonium, 49.
Unio animæ contemplativæ cum Deo explicatur ad longum, 864-868.
Unio animæ cum Deo significatur multis locis sacræ Scripturæ, 878.
Unio habitualis et actualis quid sit, 882.
Unio animæ cum Deo declaratur similitudinibus et exemplis, 888.
Unio animæ cum Deo dividitur in sobriam et ebriam, 921.
Unio dicitur ebria, quæ fuit ordinata in cella vinaria, 923.
Unio animæ cum Deo fuit figurata in libro Regum, et aliis, 928.
Unio alia datur inferior ad unionem perfectissimam, 1023.
Unio per intellectum et per affectum non potest esse continua in hac vita, 1094.
In unione tam intellectiva quam in illa, quæ est per affectum, est gradatio, 48.
In unione intellectuali magis fit unum ex intellectu et re intellecta quam ex materia et forma, 40.
Unionis fruitivæ extaticæ tres sunt gradus, 925.
Unionis affectivæ summus gradus non potest esse jugis in hac vita, 1110.

V

Vanum tripliciter accipi potest: pro eo quod non habet subsistentiam, pro eo quod non habet soliditatem vel firmitatem, vel quando aliquis non consequitur finem debitum, 1224.
Vigilare dicitur animal quando sensus suos exercet, App. 172.
Virginitatis nomen a virtute sumptum videtur, et alia de virginitate, 394.
Viri contemplativi in multis occasionibus mente revolvunt quod libenter gustavit Christus mortem, 145.
Viri contemplativi elevantur per gratiam, merentes divinas revelationes, etiam post lapsum, 348.
Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur, 97.
Virtus dividitur in acquisitam et infusam, 98.
Virtus acquisita dividitur in intellectualem et moralem, 100.
Virtutes infusæ aliæ sunt theologales, aliæ vero non, 99.
Virtutes intellectuales speculativæ sunt tantum tres: Intelligentia, sapientia et scientia; practicæ sunt duæ: Ars et prudentia, 100.
Virtutes morales sunt, quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi, 101.
Virtutes omnes morales reducuntur ad cardinales, 102.
Virtutes cardinales convenienter dividuntur in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi, 103.
Visio divinæ essentiæ, quæ est actus perfectissimus intellectus, requirit abstractionem ab illis, quæ vehementiam intellectivi actus nata sunt impedire, et per eam impediuntur, 645.
Visio corporalis est quando exteriori sensu aliquid videtur, 685.
Visio corporalis rerum cœlestium est quando exteriori visu aliquid videtur; in quo latet significatio mystica, hoc est, quod non sua virtute videri vel manifestari potest, sed superiori virtute opus est ad illud cognoscendum, 685.
Visio distinguitur a revelatione, 686.
Visio imaginaria divina definitur, cognitio habita per speciem repræsentantem aliquid divinum et cœleste, non minus clare quam si corporeis oculis videretur, 700.
Visio imaginaria, 700.
Visio imaginaria facile discernitur ab imaginationis fictione, 707.
Visio una incircumspecta sufficit ad prædanda cuncta animæ bona, 123.
Visio intellectualis divina definitur, manifestatio quædam rerum divinarum, aut cœlestium ostensio, quæ soli intellectui inspicienda objiciuntur, 712.
Visio intellectualis duplex: una obscura, altera clara, 713.
Visio, qua elevatus est Adam in statu innocentiæ, et elevantur contemplativi, excedebat modum intelligendi nostrum, 43.
Visionis intellectualis effectus sunt plurimi, 716.
Visionum imaginariarum duplex genus, 702.
Visionum intellectualium duplex genus distinguere possumus, 734.
Visus est primus et perfectissimus sensuum

externorum, sed perniciosissimus nisi mortificatione custodiatur, 121.
Visus adfert secum quamplurima mala, 122.
Visus mortificandus est, non videndo mulieres formosas, 124.
Vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, 1132.
Vita activa potest considerari quantum ad exercitium exteriorum actionum, et sic impedit contemplativam; alio modo inquantum componit passiones, et quantum ad hoc adjuvat contemplativam, 1149.
Vita activa est illud vitæ spiritualis institutum, quo homo studiosis actionibus ex professo vacat, ut se ad contemplationem veritatis et amoris perfectionem disponat, 1152.
Vita activa aliter definitur: Est illa viri spiritualis occupatio, qua peccata deflet, affectus moderatur, et bella tentationum dissolvit, 1154.
Vita activa continet in se omnes actus virtutum moralium, 1156.
Vita activa præcedit contemplativam quo ad nos, 1158.
Vita contemplativa absolute est majoris meriti quam activa, 1159.
Vita activa significatur per Petrum, contemplativa per Joannem, 1160.
Vita contemplativa simpliciter melior est quam activa, sed in alio genere activa est melior, quia ordinatur ad aliquid eligendum, 1161.
Vita activa complectitur opera misericordiæ corporalia, 1163.
Vita contemplativa simpliciter est melior quam activa, 1164.
In vita activa est duplex modus procedendi, App. 431.
Vitæ activæ est actus docendi quando homo interius concipit aliquam veritatem, ut per eam interiori actione dirigatur, 1157.
Vitæ activæ operibus, gratia, fortitudo et felicitas promittitur, 1155.
Vitæ activæ opus est duplex: unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur, aliud quod totaliter consistit in occupatione exteriori, 1162.
Potest contingere quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur, quam alius in operibus vitæ contemplativæ, 1159.
Vitiorum omnium capitalium unum est initium, scilicet ingratitudo, App. 213.
Vocatio duplex: interior et exterior, 610.
Vocatio est audienda et attendenda, quia est magistri, 5.
Voluntas plus potest amare quam intellectus cognoscere, 19.
Voluntas Dei quomodo facienda est, 314.
Voluntas in Deo duplex: beneplaciti et signi, 352.
Voluntas humana debet conformari voluntati divinæ in volito formali, 353.
Voluntas Dei quandoque nobis innotescit per præceptum, vel prohibitionem; tenetur homo se conformari voluntati divinæ, 354.
Voluntas divina etiamsi sit manifesta, si non intervenit præceptum, potest humana voluntas velle oppositum volitione absoluta et perfecta, si talis volitio non sit efficax, nec prorumpens in oppositum, 355.

Z

Zelus est motus animæ per modum doloris aut tristitiæ, contra id quod impedit quietem et adæquatam fruitionem, 383.

INDEX

QUÆSTIO IV.

DE VIA UNITIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PERFECTORUM

DISPUTATIO I.

DE INTIMA UNIONE ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ CUM DEO

ARTICULUS I. — De perfectis in via spirituali . . . . *pag.* 1
ART. II. — Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione Dei . . „ 7
ART. III. — Perfectio vitæ spiritualis consistit in dilectione proximi „ 19
ART. IV. — Datur actualis unio animæ contemplativæ cum Deo, quæ est fruitiva . . . . . „ 27
ART. V. — In quo prosequitur eamdem materiam unionis fruitivæ animæ contemplativæ cum Deo „ 34
ART. VI. — Dari hanc unionem actualem fruitivam animæ contemplativæ probatur locis sacræ Scripturæ . . . . . „ 39
ART. VII. — Anima contemplativa unitur cum Deo unione habituali et actuali . . . . . „ 45
ART. VIII. — Hæc unio animæ cum Deo declaratur similitudinibus et exemplis . . . . . „ 50
ART. IX. — Anima in ipsa perfecta unione habet aliqua privilegia „ 54
ART. X. — Quæ necessariæ sint tam præviæ quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem animæ cum Deo . . . . . „ 66
ART. XI. — Actualis fruitiva unio animæ contemplativæ cum Deo dividitur in sobriam et ebriam „ 75
ART. XII. — Debent omnes, et maxime Deo specialiter consecratæ animæ, ad actualem fruitivam unionem cum Deo aspirare et tendere . . . . . „ 80
ART. XIII. — De augmento perfectissimæ virtutis, nempe charitatis „ 85
ART. XIV. — De devotione . . „ 90
ART. XV. — De præsentia Dei et de ejus utilitate . . . . . „ 98
ART. XVI. — De præsentia Christi Dei et hominis . . . *pag.* 108
ART. XVII. — De præsentia Dei per corporeas imagines . . . „ 119
ART. XVIII. — De præsentia Dei sine imagine . . . . . „ 124

DISPUTATIO II.

DE ALIQUIBUS SPECIEBUS ORATIONIS QUÆ PERTINENT AD STATUM PERFECTUM

ARTICULUS I. — De oratione unionis . . . . . *pag.* 131
ART. II. — De effectibus orationis unionis passivæ . . . . „ 140
ART. III. — De effectibus orationis unionis activæ . . . . „ 146
ART. IV. — In statu unionis intimæ Deus init sponsalia cum anima „ 151
ART. V. — De altissimo gradu orationis qua anima unitur Deo in matrimonio spirituali . . . „ 160
ART. VI. — De eadem unione in matrimonium spirituale . „ 177
ART. VII. — Utrum in statu perfectissimo matrimonii spiritualis unio per intellectum et per affectum continua et minime interrupta regulariter contemplativis concedatur . . . . . „ 184
ART. VIII. — An saltem hæc unio de facto sit concessa aliquibus privilegiatis . . . . . „ 190
ART. IX. — An animæ perfectorum contemplativorum vel unitorum sint exemptæ ab imaginibus vel etiam a passionibus perturbantibus intellectum in cognitione, vel voluntatem in amore . . „ 194
ART. X. — An contemplativi unione contemplationis decorati possint carere peccatis venialibus . „ 200
ART. XI. — An anima contemplativi uniti in ipsa contemplatione discurrat . . . . . „ 205
ART. XII. — An anima, dum est in consummatione contemplationis, libere an necessario operetur, nempe intelligendo et volendo quod Deus vult . . . . . „ 208

ART. XIII. — An animæ ejusmodi contemplativorum unitorum ita uniantur Deo, ut sint exempti ab omnibus virtutum actibus exercendis, et obedientia mandatorum Dei et Ecclesiæ . . *pag.* 212
ART. XIV. — An otium sanctum contemplationis perturbetur ex vacatione vitæ activæ, insistendo saluti proximorum, et ex recitatione orationum vocalium . . „ 217
ART. XV. — De oratione recollectionis . . . . . „ 228
ART. XVI. — De oratione quietis „ 235
ART XVII. — De oratione raptus „ 243
ART. XVIII. — De oratione impulsus „ 255

DISPUTATIO III.

DE DIGNITATE PERFECTIONIS SUMPTA EX EJUS NOMINIBUS ET DE ALIIS

ARTICULUS I. — Ille dicitur perfectus qui veram sapientiam habet *pag.* 270
ART. II. — Perfectio vitæ spiritualis comparatur margaritæ . „ 274
ART. III. — Perfectio vocatur thesaurus, ob cujus amorem universa relinquimus . . . . . „ 278
ART. IV. — Perfectio vocatur mons, et regnum Dei . . . . „ 282
ART. ULT. — In quo ponuntur aliqua scitu digna hausta ex sermonibus D. Thomæ pertinentia ad viam purgativam, illuminativam et unitivam . . . . . „ 290

APPENDIX

Vol. I.

1.

I. Anima vocatur ad vitam spiritualem . . . . . *pag.* 309
II. De adventu Christi in mentem animæ vocatæ . . . . „ 313
III. Anima vocata desiderat sequi Christum, qui est via, veritas et vita . . . . . „ 317
IV. Anima vocata a Deo debet se præsentare et offerre se illi in oblationem . . . . . „ 320
V. Deus aliquando animam vocatam probat igne tribulationis, ut lucidior appareat . . . . . „ 323
VI. In anima vocata consideratur triplex amicitia secundum triplex ejus esse, et ut gratificata efficitur quamplurimis virtutibus et gratiis . . . . . „ 327
VII. Omnis Christi actio est instructio animæ vocatæ . *pag.* 332
VIII. Anima vocata considerando manum potentiæ Dei erga ipsam, ipsum glorificat; considerando manum justitiæ, ipsum timet; considerando manum misericordiæ, ipsum benedicit . . . . „ 336
IX. Quomodo cognoscatur Deus a viris contemplativis, et ab omnibus viatoribus . . . . „ 341
X. De peculiari modo existentiæ Dei in justis et contemplativis mystice . . . . . „ 344

2.

XI. Quid sit purgatio activa, quid peccatum, quibus nominibus nominetur et a quo sumat gravitatem . . . . . „ 354
XII. Peccata purgantur sacramento Pœnitentiæ . . . . . „ 361
XIII. De Confessione . . . „ 362
XIV. De Contritione . . . . „ 366
XV. De satisfactione . . . „ 369
XVI. Peccata purgantur mediante virtute pœnitentiæ . . . „ 370
XVII. Peccata purgantur per fervores amicitiæ . . . . „ 375
XVIII. Peccata purgantur per dulcores eleemosynæ . . . . „ 378
XIX. Peccata purgantur per justitiæ rigores, et per fidei et misericordiæ splendorem . . . „ 381
XX. Peccata purgantur per correctiones et timores et per compunctionis fluores . . . . „ 384

3.

I. Quid sit mortificatio, quotuplex et quibus nominibus nominetur „ 385
II. De utilitate mortificationis „ 390
III. De mortificatione corporis quoad austeritates . . . . . „ 394
IV. Cilicium . . . . . „ 395
V. Flagellum . . . . . „ 396
VI Jejunium . . . . . „ 398
VII. Vigilia . . . . . „ 400
VIII. De discretione in mortificatione servanda . . . . . „ 402

4.

I. Convenienter indicitur hominibus oratio, per quam obtineant quæ a Deo sperant . . . . . „ 406
II. Multoties anima in oratione pascitur bonis spiritualibus, et habet delectationem spiritualem, et habet scientiam experimentalem „ 408
III. Hic ponuntur quæ desunt in articulis præcedentibus . . „ 411

5.

I. Hic ponuntur quæ desunt in capitibus de meditatione . *pag.* 414

6.

I. De conscientiæ examine . „ 418
II. Testimonium conscientiæ habet tres gradus . . . . „ 419
III. De examinis utilitate . „ 421
IV. Examen particulare de quibus fieri debet . . . . „ 422
V. Examen continet quatuor „ 426
VI. Quomodo fiat examen in exercitio . . . . . „ 429

7.

Contemplatio quibus nominibus et quibus rebus comparetur a D. Thoma . . . . . „ 431
Contemplatio est triplex: alta, ampla et perfecta . . . . „ 435
Charitas obligat aliquando relinquere contemplationem propter utilitatem proximi . . . . „ 437
Hic ponuntur quæ desunt in art. 3, disp. 10 . . . . . „ 439
Contemplatio acquisita dividitur per tres motus: circularem, rectum et obliquum . . . . . „ 440

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI

Spiritus sanctus confert nobis triplex beneficium: liberat a servitute carnis, a servitute legis, et securos nos reddit a damnatione mortis . . . . . „ 444
Dona Spiritus sancti ad contemplationem maxime conferunt . „ 446
De præparatione ad Spiritum sanctum . . . . . „ 450
Hic ponuntur quæ desunt art. subsequenti . . . . . „ 451

8.

Anima in contemplatione supernaturali delectatur dulcedine admirabili . . . . . „ 456
Anima in contemplatione supernaturali dilatat cor suum ad fruendum deliciis Dei sui . . . „ 459
Deus in contemplatione animam satiat bonis, dat intelligentiam elevatam et alia multa . . . „ 463

Vol. II.

9.

De multiplici perfectione . „ 464

10.

Supposito quod perfectio consistit in charitate, aliqua particularia dicentur de ipsa . . . *pag.* 470
De exitu charitatis . . . . „ 476

11.

Quæ necessaria sint tam prævia quam simultaneæ dispositiones ad prædictam unionem animæ cum Deo . . . . . „ 480
Desiderium perfectionis est prima dispositio ad illam . . „ 481
Mortificatio sensuum et passionum est dispositio ad perfectionem „ 483
Parvipensio rerum temporalium et despectio terrenorum est dispositio ad perfectionem . . . „ 484
Totalis annihilatio et mors spiritualis est dispositio ad perfectionem „ 486
Optima dispositio ad perfectionem est, quod homo abneget semetipsum . . . . . „ 488
Maxima dispositio est ad perfectionem operari cum conscientia pura „ 490
Maxima dispositio est ad perfectionem quod voluntas humana conformetur divinæ . . . . „ 492

12.

De eadem dilectione proximi „ 495
De perfectione dilectionis proximi, quæ cadit sub consilio . „ 499
De amore amicitiæ et concupiscentiæ erga Deum . . . . „ 503

13.

Quid sit virtus heroica, et in quo differat a communi . . „ 507
De fide, spe et charitate heroica „ 511
De spe . . . . . „ 514
De charitate . . . . . „ 515
De castitate, humilitate et misericordia heroica . . . . „ 517
De humilitate . . . . . „ 519
De misericordia . . . . „ *ibid.*
De obedientia, fortitudine et religione heroica . . . . . „ 520
De fortitudine . . . . . „ 522
De religione . . . . . „ 523
De paupertate, de patientia et de mansuetudine heroica . . „ 524
De patientia . . . . . „ 525
De mansuetudine . . . . „ 526
Hic ponuntur aliquæ additiones quæ pertinent ad articulos disputationum præcedentium . . . „ 527
Index alphabeticus rerum notabilium . . . . . „ 533

247.02
V243

3527

VALLGORNERA, THOS., O.P.

AUTHOR

Mystica Theologia Divi Thomae
Vol. II

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER